




2
6
302











1

DE
SIMONIA
TRACTATVS
IN TRES PARTES DIVISVS

QVÆSTIONES FERE OMNES ad hanc rem pertinentes breui oratione complectens.

Auctore
D. FRANCISCO RIPA FLORENTINO
S. Theologiæ Mag. Vallumbrosanæ Congreg. Monacho, & in Rom. Curia Procuratore generali.

Cum Summarijs, & Indice locupletissimo.





ROMAE, Typis Francisci Corbelletti. MDCXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISS. PATRI ET DOMINO

D. THOMAE DAVANZATO

VALLVMBROSANÆ CONGREGATIONIS

ABBATI, AC PRÆSIDI GENERALI

Domino meo colendissimo. S.



N scœnico huius Mundi amphitheatro à Deo positus, & Religioni addictus, vt sanctiores pro viribus agerem partes, ad ingenuos labores studium meum traducens, Tractatum hunc de Simonia non inutilem (ni fallor) Classi litterariæ futurum Typorum ęternitati committere operę pretium duxi. Et quia benignitas tua (Reuerendissimæ Præsul) in hac Alma Vrbe totius Mundi præclarissima arena rebus nostræ Congregationis me, licet indignum, præposuit, gratitudo mea tibi præ cæteris quoscunq; elucubrationum mearum fructus, Deo iuuante, completos non consecrare nefas esse putauit. Lucem igitur à Sole nominis tui maximo desiderio expetitam

exigui mei labores tutò concelebrent, qui aliàs tenebris obsiti, & obliuionis squalore inuoluti silerent. Stella meæ propensionis te singulariter intuetur, & amat, quem Natalium honestas, Principum fauor, Prudentiæ splendor, & morum celsitudo Horizonti huius nostræ Vallumbrosanæ Reipublicæ Solem præfecerunt. Munus hoc, quodcunque est, oro, libens accipito, & calorem gratiæ tuæ operum meorum generationi impertito, sic fœcunditatem mihi præstans, ipsam tibi deuotam esse facies, & vt illius Tutelaris Patronus nullo tempore vacuam, cuiusquè liuoris expertem, tuo munere gratam omnibus perpetuò reddes. Saluere te velit Deus, & me tibi perpetim placere. Ex Monasterio Sanctæ Praxedis de Vrbe die 8. Septembris 1631.

Reuerendiss.ᵐᵃᵉ Paternitatis Tuæ

Humill.ᵐᵘˢ seruus, ac semper deuinctiss.ᵐᵘˢ

D. Franc.ᶜᵘˢ Ripa Procurator Generalis.

DE

DE mandato Reuerendissimi Patris Generalis Tractatum de Simonia auctore adm. R. P.D. Francisco Ripa nostræ Congregationis in Rom. Curia Procuratore Generali matura consideratione percurrens, & omnia in eo contenta sacris Canonibus, & veræ doctrinæ consona reperiens, ingenium, & laborem Auctoris plurimum commendans, vt quàmprimùm excudatur vtile, ac necessarium existimaui. Florentiæ die 26. Iulij 1631.

D. Ricciardus Bettus Visitator Congregationis Vallis Vmbrosæ.

OPVS morale de Simonia ab admodum R. P. D. Francisco Ripa pro Congregatione Vallis Vmbrosæ in Romana Curia Procuratore Generale compositum facultate ad id à Reuerendissimo Patre Generali mihi tradita accuratè perlegi, in quo attenta Auctoris eruditione, & doctrinæ sanitate imprimi posse, ac debere propter eius vtilitatem censui. Florentiæ die 5. Iulij 1631.

D. Adamantius Rubeus Abbas S. Trinitatis Florentiæ Congregationis Vallis Vmbrosæ.

Admodum Illustris, & Excellens Domine.

QVIA neminem præter te in Vrbe agnosco nostræ Congregationi, & mihi magis addictum, examen Operis R. D. Francisci Ripæ Procuratoris Generalis nostræ Congregationis in Romana Curia, de Simonia typis mandandi tibi committere deliberaui, probè sciens te hoc labore minimè grauatum iri. Rem igitur gratissimam feceris,

& Congregationi prædictæ, & mihi, si iudicio tuo opus pręfatum proeli dignitatem consequatur. Deus Opt. Max. D. T. diutissimè seruet incolumem. Florentię Kal. Augusti 1631.

Adm. Illustris, & Excell. D. T.

Addictissimus seruus

D. Thomas Dauanzatus Præsidens Generalis Congregationis Vallis Vmbrosæ.

PEtitioni Reuerendissimi D. Thomæ Dauanzati Congregationis Vallis Vmbrosæ Præsidis Generalis faciens satis librum adm. R. D. Francisci Ripæ dictæ Congregationis in hac Curia Procuratoris Generalis, qui inscribitur Tractatus de Simonia, diligenter perlegi, in eoque, vt nil in S. Canonibus Orthodoxæque doctrinæ contrarium; ita sana, ac vtili eruditione reperi refertissimum, vt proelo maximè iudicem dignum. Romæ Virginis assumptæ profesto 1631.

Theodorus Amydenus in Romana Curia causarum Aduocatus, ac S. Theologiæ Doctor.

D. Thomas Dauanzatus Præsidens Generalis Congregationis Vallis Vmbrosæ.

CV M hoc Opus inscriptum de Simonia a R. P. D. Francisco Ripa nostræ Congregationis Monacho Sacerdoti, & in Romana Curia Procuratore Generali compositum, ex allegata prędictorum Patrum doctrina insignium, aliorumque peri-

peritorum, quibus examen commisimus, assertione luce dignum censeatur, nos etiam, vt Typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, &c. Dat. in Monasterio Sancti Bartholomæi de Ripulis propè Florentiam nostra solita residentia die 23. Augusti, 1631.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episcopus Bellicastr. Vicesg.

EX mandato Reuerendissimi Patris Nicolaij Riccardij Sacri Apostolici Palatij Magistri Tractatum de Simonia summo studio per Dominum Franciscum Ripam S. Theologiæ Magistrum, & Vallumbrolanæ Congregationis Monachum in Romana Curia Procuratorem generalem vnà cum consultationibus eidem insertis doctè conscriptum, omni qua potui obseruatione perlegi, & in eo nihil, quod Fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur, inueni, ideo ad communem Reipublicę vtilitatem Typis mandari posse censeo. In quorum fidem, &c. Romæ 28. Augusti 1631.

Augustinus Barbosa V.I.D. Lusitanus.

Imprimatur

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magister.

INDEX

INDEX PARTIVM ET ARTICVLORVM,

Qui in hoc Tractatu continentur.



PARS I.

Agit de vera Simonia, eiusque essentiabus, & in quatuor articulos diuiditur.

PARS II.

Agit de Simonia, quæ legibus tantùm humanis prohibetur, & in tres articulos diuiditur.

PARS

PARS III.

Agit de restitutione, alijsque pœnis, quibus per sacros Canones afficitur simoniacus, & quibus modis simonia probetur, & in sex articulos diuiditur.



Epilogus

Epilogus Apostolicarum Constitutionum, quæ in hoc opere referuntur.



INDI-

INDICVLVS DECISIONVM ROTALIVM, quæ in hoc opere citantur, & referuntur.



Meſ-



D.FRAN-

D. FRANCISCI RIPAE S. THEOLOGIAE MAGISTRI, ET IN ROMANA CVRIA Vallumbrosanæ Congregationis Procuratoris Gen.

TRACTATVS DE SIMONIA.



PROOEMIVM.



QVAM sit vtilis hic Tractatus, & materiam contineat omnibus in scholis, & foro versantibus necessariam quilibet coniecturari poterit ex dicendis; in eo enim multa explicantur scitu dignissima, circa Sacramenta, aliaq; spiritualia, & spiritualibus annexa; necnon circa rem beneficiariam, & pensiones, transactionem, modum, seu conditionem spiritualibus impositam, denique circa restitutionem, aliasq; pœnas contra simoniacos latas, omnia secundum Iuris Canonici dispositionem, cæterasq; Pontificias constitutiones, ac doctrinas in vtroque Iure peritissimorum Doctorum, & nostrorum Theologorum schola tractata, & decisa, quos omnes hac in re videre operæpretium duxi, videlicet.

Pontifices *in tit. de Simonia in Decretalib. & in Extrauag. inter communes*, item *in Decreto causa 1. q. 1. & sexseqq.* vbi Ordinarii, & omnium nouissimus *Augustinus Barbosa in suis*

Collectaneis.Paulus II.in Extrauag.2.de simonia, pœnas statuit contra committentes simoniam realem in Ordine, & beneficio, ac mediatores. *Paulus IV. in sua Constit. incip. Inter Cæteras curas, sub Dat.27.Nouemb.1557.* insurgit contra eos, qui pro obtinẽdis beneficijs se ipsos pro alijs in examine supponunt, vel annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro alijs, vt ab eis aliquid consequantur, vel pro se ipsis, vt alijs postea cum pensione resignent, refert *Quarant. in sum. Bullarij verbo simonia, pag.604.Pius IV.* in sua Constit.incip. *Romanum Pontif.sub Dat. Romæ 4.Decemb.1564.* circa certam simoniacæ prauitatis speciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, insurgit contra quoscunque ecclesias, & beneficia ecclesiastica quæcunque in confidentiam retinentes; refert *Quaranta d. verbo Simonia pag. 594. Pius V.* in sua Constitut. incip. *Intolerabilis, sub Dat. Romæ 6. Augusti 1569.* agit de confidentijs beneficialibus, earumq. casibus, præsumptionibus, & probationibus, ac pœnis retinentium beneficia in confidentiam, refert *Quarant. d. verbo simonia pag. 596.* Idem *Pius V.* in alia sua Constitut. incip. *Cum primum, sub Dat. Kalend. Aprilis 1566.* innouat, & ampliat pœnas impositas contra committentes simoniam realem in Ordine, & beneficio, ac mediatores. *Sixtus V.* alias pœnas addit contra promouentes, & promotos ad Ordines simoniace etiam in prima Tonsura, in eius Constit. contra clericos male promotos, incip. *Sixtus, sub Dat. Romæ apud S.Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1588. Nonis Ianuarij*, quæ in hoc non fuit moderata per *Clementem VIII.* in sua Const. incip. *Romanum Pontificem, sub Dat. Romæ Pridie* Kalendas *Martij anno Incarnationis Dominicæ 1595.* quas refert *Quarant. in sum. Bullarij, verbo Ordo pag. 496.* Item in *Concilio Trid. Sess. 24. de reform.cap.14.* contra prauas consuetudines recipiendi aliquid à prouisis de beneficijs, in cuius executionem reuocatio priuilegiorum, & consuetudinum ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione, aut alia prouisione, seu admissione ad possessionem beneficiorum fuit facta à *Pio V. Romæ publicata*

13.*Iulij*

13. *Iulij* 1570. incip. *Durum nimis*. & contra dantes & recipientes etiam Episcopi ministros pro collatione Ordinum, idem *Conc. Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 1. & contra examinatores deputatos pro eligendis ad gubernandas ecclesias Parochiales aliquid accipientes, idem *Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 18. *vers. caueant*.

Theologi nostri de hoc crimine tractant *in* 4. *distinct.* 25. *S. Thom.* 2. 2. *quaest.* 100. *vbi Caiet. & Aragon. S. Antonin. par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 4. *&* 5. *Adrian. quodlib.* 9. *Sot. de Iustit. lib.* 9. *quaest.* 5. *Victor. in relect. de simon.* 1. *&* 2. *Rosel. Angel. Siluest. Armil. & alij Summistae verbo simonia, Sum. Corona* 3. *p. tract. de simonia*, Petr. *Nauar. de restit. lib.* 2. *cap.* 2. *ex num.* 365. *vsque ad finem. Iacob. de Graff. in aureis decis. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 98. *Ludou. Lopez in instruct. Conscient. p.* 1. *cap.* 208. *Emman. Roderic. in sum. tom.* 2. *ex cap.* 55. *vsque ad cap.* 66. *Henriq. in sum. lib.* 13. *cap.* 37. *Petr. de Ledesma etiam in summ. p.* 2. *tract.* 12. *Fernandez in examine Theologiae moralis p.* 3. *cap.* 14. §. 1. *Soar. de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 4. *de simon. Leonard. Less. de Iustit. lib.* 2. *cap.* 35. *Valer. Reginald. in praxi fori poenit. lib.* 23. *num.* 108. *cum multis seqq. Azori. instit. moral. p.* 3. *lib.* 12. *Raph. de la Torre de Relig. tom.* 2. *q.* 100. *Aldrete de Relig. disciplina tuenda lib.* 2. *cap.* 16. §. 5. *n.* 41. *cum seqq. Valent. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *Filliuc. tom.* 3. *tract.* 45. *c.* 9. *& seq. Paul. Laymann in Theologia morali lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *Bonacin. vari. tract. q.* 1. *de simonia.* nouissime *P. Ascanius Tamburin. nostrae Congregationis Monachus, vir quidem Religiosissimus, in suo doctissimo tract. de Iure Abbatum, & Praelatorum tam Regularium, quàm saecularium Episcopis inferiorum tom.* 1. *disp.* 10.

Iurisperiti multò frequẽtius de eo tractãt, videlicet *Ioannes Carapha, & Petr. Binsfelt* per integros tractatus de simonia, item *Guilielm. Redoan.* peculiariter egit de simonia mentali, & est inter tractatus *Doctor. tom.* 15. *p.* 2. *fol.* 28. *Barthol. Vgolin. de simonia mentali, & conuentionali* tractatum edidit, & generaliter de simonia incidenter tractarunt *Clar. lib.* 5. §. *simo-*

nia, Nau. in man. cap. 23. num. 99. cum seqq. & in repet. cap. fin. de simon. Viui. Bonacos. & alij tom. 1. commun. opin. lib. 1. tit. 15. Ioan. Vella de delictis cap. 32. Mascard. de probation. concl. 134. & concl. 1310. num. 2. cum seqq. Bernard. & Salzed. in pract. Canon. cap. 94. in nouiss. impress. Viuald. in candel. aureo in append. cap. 1. Rebuff. in praxi benef. tit. de simon. in resignat. Menoch. de præsumpt. lib. 5. præs. 8. Tiber. Decian. in tract. crimin. tom. 1. lib. 9. cap. 77. Quarant. in summ. Bullarij verbo simonia, Zerol. in praxi Episcop. eod. verbo, Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 14. & per tot. tract. de confident. Card. Tusch. lit. S. concl. 249. cum seqq. Nicol. Garz. de benefic. p. 8. cap. 1. Ioann. Baptista Costa de facti scient. & ignor. cent. 2. dist. 11.



PARS PRIMA
ARTIC. I.
SVMMARIVM.

1 *Simoniæ nomen non ex natura rei, ſed à primo eius auctore Simone Mago deſumptum eſt.*
2 *Simonia largo modo dicitur hæreſis, & quare, oſtenditur.*
3 *Simonia eſt maximum peccatorum.*
4 *Simoniæ grauitas tanta eſt, vt illa tolerabilior ſit hæreſi Macedonij, & eorum, qui errauerunt contra ipſum Spiritum ſanctum.*
5 *Simonia ratione auaritiæ, & ambitionis vocari ſolet ſimoniaca peſtis, quia nimium diffunditur, & vt cancer ſerpit.*
6 *Simonia magnitudine ſua omnes alios morbos, omniaq; crimina vincit.*
7 *Simonia eſt crimen cæteris grauius.*
8 *Simoniaci dicuntur omni peccatore deteſtabiliores.*
9 *Simoniæ tres ſunt ſpecies, ſeu gradus, mentalis ſcilicet, conuentionalis, & realis.*
10 *Mentalis ſimonia dicitur, quæ ſola voluntate committitur, nec in actum procedit exteriorem.*
11 *Conuentionalis ſimonia dicitur, quæ in pactum à partibus deducitur, traditio tamen nulla fit.*
12 *Realis ſimonia eſt, quæ rei traditione conſumatur.*
13 *Conuentionalis ſimonia eſt quaſi media inter mentalem, & realem.*
14 *Simoniæ vitium habet ſuam deformitatem ex tribus potiſſimum rationibus.*
15 *Eccleſiarum Prælati diſpenſatores ſunt ſpiritualium, non domini.*
16 *Venditio, & omnis non gratuitus contractus illud habet eſſentiale, vt pretium rei, & res data acceptæ reſpondeat.*

17 *Spirituales res supernaturales omne tẽporale pretium superant.*

18 *Simonia definitur, vt sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi res spirituales, seu spiritualibus annexas.*

19 *Virtutes humanæ, quæ ordinant humanas actiones ad alterum, quemadmodum pro subiecto habent voluntatem, sic vitia his virtutibus contraria.*

20 *Voluntate non existente nec virtutis meritum, nec peccati culpa contrahitur.*

21 *Simonia sine deliberatione non committitur.*

22 *Simonia non solum committitur in emptione, & venditione, sed etiam in cæteris contractibus onerosis, qui non gratis, nec liberaliter fiunt, sed æquiualent emptioni, & venditioni.*

23 *Spiritualia alia sunt naturalia, alia supernaturalia, naturalia sunt, quæ naturaliter obueniunt, & proprijs viribus comparamus, supernaturalia, quæ supra ordinem naturæ à Deo gratis data, aut instituta sunt ad æternam beatitudinem.*

24 *Spiritualia naturalia in duas species partiuntur, alia sunt spiritualia per essentiam, quæ vendi non possunt, alia per effectum, quæ pretio æstimantur.*

25 *Spiritualium supernaturalium diuisio ponitur.*

26 *Scientiarum acquisitarum doctrinam pretio æstimantes non committunt simoniam.*

27 *Doctori, qui publicum stipendium habet pro actu docendi, non licet pretium aliquod recipere.*

28 *Magister publicum habens stipendium si ab aliquo pretium exigat non scientiam vendere iudicandus est, sed id, quod præstare potest, nempe doctrinam, & docendi laborem, & tunc peccat contra Iustitiam.*

29 *Scientiam, vel doctrinam vendens, etiamsi intendat vendere ipsam veritatem, non committit simoniam.*

30 *Theologiam practicam, vel speculatiuam, seu scholasticam, aut interpretatiuam Scripturarum pretio docens, non committit simoniam.*

31 *Consilium pretio dare in quacunque facultate licet Doctori absque vlla simoniæ labe.*

32 Ad-

32 *Aduocati pro consilijs dandis iustum pretium recipere possunt.*

33 *Theologus in materia Theologica speculatiua, vel practica pretio accepto præbens consilium non peccat peccato simoniæ nisi detur per modum exhortationis.*

34 *Iudices seculares, qui pro iusta, aut iniusta sententia pecuniam accipiunt, peccatum simoniæ non committunt.*

35 *Simonia non committitur dando, vel accipiendo temporale pro actibus iurisdictionis laicæ, & temporalis.*

36 *Officia secularia cum iurisdictione, vel absque ea vendere, simonia non est.*

37 *Papa nonnulla vendere consueuit officia in Romana Curia, vt Auditorum Cameræ, & alia, quia ea non vendit ratione iurisdictionis illis annexæ, sed ratione emolumentorum.*

38 *Officiorum secularium venditio, vel quæuis muneris, aut pecuniæ datio, aut receptio pro ipsis iustissimè legibus humanis prohibetur.*

39 *Iudicibus pœna apponitur permittentibus locari officia suæ correctionis.*

40 *Renunciationes officiorum fieri non possunt in Hispania, nisi in manibus Regis.*

41 *Testes, qui pro testimonio ferendo pecuniam recipiunt, simoniam non committunt.*

42 *Testis pecuniam non accipiens directe pro ferendo testimonio, sed vt Iudex inducatur ad iudicandum in causa spirituali, vel ad dispensandum, vel ad conferendum alicui beneficium, vel quid simile, committit simoniam, siue testimonium verum sit, siue falsum.*



Quid

Quid sit Simonia, & quotuplex?

1 IMONIAE nomen non ex natura rei, sed à primo eius auctore Simone Mago, de quo *Actor. cap.* 8. desumptum est, *cap. quicunque, cap. qui studet, cap. Petrus* 1. *q.* 1. *cap. Saluator* 1. *q.* 3. S. *Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *Azor. instit. moral. p.* 3. *lib.* 12. *tract. de simonia cap.* 1. *q.* 1. *vers. sed dicitur, Bonac. de simon. q.* 1. *in princ. nu.* 1.

2 Et cum sit grauissimum quoddam vitium ideo saltem largo modo dicitur hæresis, nam committens hoc crimen eo ipso, quod impretiabile vendit, verisimile est eum male sentire de sanctitate Ecclesiæ, quasi credat eam velle spiritualia licere, vel spirituale non esse impretiabile, ita *Caraph. de simon. nu.* 41. *Soar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *de simon. cap.* 1. *num.* 5. *Mart. de Iurisdict. p.* 2. *cap.* 37. *num.* 15. *Emman. de Valle de ensalm. & incantat. sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 22. vbi tamen subdit sacrum Tribunal Inquisitionis non se intromittere de hoc obiectiuè grauissimo delicto, *Vbert. verb. simonia*, tenet quod dicitur hæresis propter immanitatem criminis, & quod est maximum pecca-
3 torum, & *Lorin. Actor.* 6. *vers.* 18. §. *simonia*, dicit quod
4 grauitas simoniæ tanta est vt illa tolerabilior sit hæresi Macedonij, & eorum, qui errarunt contra ipsum Spiritum sanctum. Et capitale crimen appellat *S. Greg. in d. cap. qui studet*, 1. *q.* 1. *Roland. cons.* 31. *num.* 12. *lib.* 3.

5 Sic etiam vitium hoc ratione auaritiæ, & ambitionis, quæ cum vllo coniuguntur, vocari solet simoniaca pestis, quia nimium diffunditur, & vt cancer serpit, ita *Gambar. in extrau. Iulij II. de simoniaca elect. Papæ num.* 50. *Flamin. Paris. de confident. q.* 8. *num.* 21. *Soar. d. lib.* 4. *de simon. cap.* 3. *num.* 3. Et prauitas pestifera, *Host. in cap. in tantum num.* 1. *de simon.*

6 Vnde simoniam magnitudine sua omnes alios morbos, omniaq; crimina vincere resoluit *Valer. Reginald. in praxi fori*

pœni-

7 *pœniten.lib.*2 3.*n.*1 6 2.*verſ.certè*, & eſſe crimen cęteris grauius
atteſtantur *Gaſp.de Peruſ.de reſeruat.beneſ.num.*28.*Anton.de*
*Roſell.in cap.quidam Epiſcopus num.*1.2.*q.*1. *Flamin. Pariſ. de*
*confident.q.*4. *nu.*7. capitale *Redoan.de ſimon.p.*1.*cap.*5.*num.*2.
*& p.*4.*cap.*3.*nu.*1 6.deteſtabile,*Præpoſ.in cap.ex multis num.*1.
1.*q.*3. & indiſpenſabile *Redoan.d.p.*4.*cap.*1 5.*num.*2. itaut alia
crimina ad comparationem iſtius quaſi pro nihilo reputentur
8 *cap. vlt.* 1.*q.*7. *Flamin. d. num.*4. Et demum ſimoniacos dici
omni peccatore deteſtabiliores referunt *Redoan. eadem par.*4.
*cap.*1 2.*num.*1 4.*& Flamin.Pariſ. d. q.*8. *num.* 27. appellantur
fures, *Turrec.in cap. ordinationes num.* 18. *& in cap. ſtatuimus*
*num.*3.1.*q.*1.idolatræ,*Iacobat.de Concil.lib.*4.*art.*4.*num.*58. &
ſunt æternaliter damnati *Redoan. d.p.*4.*cap.*10.*num.*16.*Flamin.*
*Pariſ.d.q.*8.*num.*31. vbi *num.* 32. quod difficiliter ſaluantur.
9 Simoniæ tres ſunt ſpecies,ſeu gradus, mentalis ſcilicet,con-
10 uentionalis, & realis. Mentalis dicitur, quæ ſola voluntate
committitur, nec in actum prodit exteriorem, quo animus de-
prauatus probetur, de qua in *cap.tua in* 2.*p. & in cap.vlt.de*
ſimon. & ſic non ea dicitur, quæ in ſola mente, ſiue propoſito
conſiſtit committendi ſimoniam, ſed quæ in externum opus
tranſit, quod licet exterius nullo modo nec per ſe,nec propter
adiuncta ſimoniacum appareat, ex ſola tamen intentione, &
11 affectione tale eſt. Conuentionalis, quæ in pactum à partibus
deducitur, traditio tamen nulla fit, de qua in *d. cap.tua, in*
princ.& in cap.cum eſſent, eod.tit. de ſimon. Realis eſt, quæ rei
12 traditione conſumatur, de qua hic agetur, & habetur per to-
tum fere *tit.de ſimonia in Decretalib.* Colligitur hæc trimem-
bris diuiſio ex *Extrauag.* 2. *de ſimon.* inter communes, tradi-
tur ab *Abb.in cap.nemo num.*6.*de ſimon. Felin. ad rub. illius tit.*
*Paul.in tract.de irregular.p.*6.*tit.de ſimon. num.*7. *Nauar. in*
*man.cap.*2 3.*num.*10 2. *Azor.inſtitut.moral. par.*3. *lib.*12. *de ſi-*
*mon.cap.*2.*q.*1. vbi dicit in hoc ſequi Iuris Canonici peritos,
*Paul.Laymann in Theolog.morali lib.*4 *tract.*1 0.*cap.vlt.*§.6.*nu.*
67.*Fernand. in examine Theolog. moralis p.*3.*cap.*16. §.1.*nu.*10.
*Flamin.Pariſ.de confident.q.*1.*ex num.* 137. nam hæc trimem-

bris diuisio perfectior est illa, quam in mentalem, & conuentionalem tantum faciunt nostri Theologi, prout suo loco latiùs tractabimus.

13 Ex quibus apparet simoniam conuentionalem esse quasi mediam inter mentalem, & realem, quia mentali simoniæ conuentionalis superaddit externam pactionem expressam, vel virtualem, ipsi vero conuentionali realis simonia superaddit executionem, seu traditionem rerum, de quibus simoniaca conuentio facta est. Vnde si quis fictè promittat dare rem spiritualem pro temporali sine animo se obligandi, ac soluendi, is conuentionalem simoniam non committit, quia non est conuentio sine consensu in obligationem, eademq; ratione, neq; is, qui fictè promittit dare rem temporalem pro spirituali conuentionalem simoniam committit, sicuti rectè docent *Caiet. tom.2. opuscul. tract. 9. q. 2. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 8. art. 1.* licet contrarium sentiat *Nau. in man. cap. 23. num. 106. vers. ad tertium*, quem reprobat *Valent. tom. 3. disp. 6. q. 16. puncto 5.*

14 Habet autem vitium hoc suam deformitatem ex tribus potissimum rationibus. Prima est ex parte vendentis, qui vt rem possit vendere, seu quouis titulo in aliquem transferre, oportet, vt dominus sit, vel à domino sufficiens mandatum habeat, *l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin. l. si filius 24. ff. de donat.*

15 Cum autem Ecclesiarum Prælati dispensatores sint spiritualium, non domini, vt ait *Apost. 1. ad Corinth. 4. & 2. cap. 6. Bernard. ad Eugen. lib. 3. cap. 4. cap. expendit 12. q. 1.* mandatum autem à Christo Domino non habeant nisi vt gratis dispensetur *Matth. cap. 10.* necessariò sequitur graue peccatum com-
16 mittere eos, qui gratis non dispensant. Secunda deformitatis ratio euenit ex comparatione rei ad pretium, habet enim illud venditio, & omnis non gratuitus contractus, vt pretium rei, & res data acceptæ respondeat, erit namque penitus inuitus si magno pretio res parui detur, aut res pretiosa vili, & è conuerso, iuxta ea, quæ *D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. Sot. de Iustit. lib. 6. q. 3. art. 1. Nau. in cap. nouit de iudic. notab. 6. nu. 58. Cou. lib. 2. var. cap. 4. nu. 11. Pinel. in l. 2. C. de rescind. vend. p. 2. cap. 1.*

cap. 1. num. 35. & multò iniustior erit contractus si res aliqua pretio detur, quæ nullam omnino habeat ad pretium comparationem, & hoc est, quod Iureconf. significat in *l. si emptione §. omnium ff. de contrab. empt.* & ratio *tex. in §. vlt. Instit. eod.*

17 Porro res spirituales supernaturales omne temporale pretium superant, iuxta illud *Prou. 3. pretiosior est cunctis opibus*; Tertia deformitatis ratio deducitur ex natura contractus, & rerum spiritualium, etenim venditio, & omnis contractus non gratuitus natura sua habet, vt nec pretium, vel aliquid loco pretij interueniat, aliàs liberalis non erit donatio, ex *l. 1. ff. de donation.* natura vero rerum spiritualium supernaturalium est, vt gratiosa sint, & gratis dentur iuxta præceptum Domini, de quo supra; quibus quarta ratio adiungi potest, nempe irreuerentia, quæ his rebus fit dum temporalibus comparatur, quapropter, & iure naturali, & supernaturali prohibetur simonia Pontificio, ac Ciuili, & aliquando hæresis apppellatur, & alijs prauis nominibus de quibus in *cap. Presbyter, & in cap. quisquis, & in cap. reperiuntur 1. q. 1. & in cap. 1. 1. q. 3. & in cap sicut, & in cap. tanta, de simon.* & supra diximus.

18 Simonia definitur, vt sit *studiosa voluntas emendi, vel vendendi res spirituales, seu spiritualibus annexas*, ita *S. Thom. & omnes fere Theologi, Sot. d. q. 5. art. 1. Nau. d. cap. 23. nu. 100. Clar. in pract. verbo simonia num. 5. Ciriel. de primog. lib. 3. cap. 8. nu. 6. Viguer. de institut. cap. 5. §. 6. Lambertin. de iurepatr. lib. 2. p. 1. art. 3. q. 8. num. 11. Victor. in relect. de simonia p. 1. nu. 7. Less. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 1. num. 2. Paul. Laymann in Theolog. morali lib. 4. tract. 10. cap. 8. §. 1. num. 1. Flamin. Paris. de confident. q. 1. num. 112. Menoch. de arbitr. cent. 5. casu 402. Azor. d. lib. 2. c. 1. q. 1.* Pro qua facit *tex. in cap. qui studet 1. q. 1.* & auctoritas *Augustini in lib. de hæresib. in præfat. tom. 6. & in Euangelio Ioan. tract. 10. cap. 2. tom. 9. & homil. 23. cap. 10.* quibus locis in sola emendi, aut vendendi voluntate simoniæ vitium videtur constituere.

19 *Studiosa voluntas*. Ponitur loco generis *voluntas*, in qua veluti in subiecto versatur, quemadmodum enim virtutes mo-

rales, quæ ordinant humanas actiones ad alterum, pro subiecto habent voluntatem, vt docent *S.Thom.& Caiet. 1.2.q.20. art 4.* sic vitia his virtutibus contraria, inter quæ simonia numeratur, quod Theologi docent, & illud adiuuat nec virtutis
20 meritum, nec peccati culpam sine voluntate contrahi, *cap. cum voluntate, de sent. excom. S.Thom. 1.2 q.71. art. vlt. Sot. de Iustit. lib. 5. q. 1. art. 9. Cou. in Clem. si furiosus p. 2. in princip.*
21 Ponitur, *studiosa*, idest deliberata, quia sine deliberatione simonia non committitur, nam hoc vitium magna ex parte pendet à voluntate, & intentione operantis, *cap. tua nos, de simon.* ibi, *si tamen is, qui eam donationem facit, ea intentione ducatur, &c.* tum quia Simon, à quo dicta est simonia, studio quodam, & animi affectu voluit emere spiritualia, *Azor. d. cap. 1. q. 1. vers. sed dicitur.*
22 *Emendi, aut vendendi, &c.* Ponuntur in definitione hæc verba ad ostendendum obiectum simonię, & his differentijs ab alijs vitijs distinguitur: & non adhibentur solum ad significandum contractum emptionis, aut venditionis, itaut solo hoc contractu committatur simoniæ crimen, verum etiam adhibentur ad significandos cæteros contractus onerosos, qui non gratis, nec liberaliter fiunt, sed æquiualent emptioni, & venditioni, vnde comprehenditur transactio, permutatio, locatio, redemptio, quia ex causa, & cum onere existunt, nominatio itidem, præsentatio, electio, institutio, confirmatio, renunciatio, missio in possessionem, si gratis non fiant, colliguntur hæc ex *Siluest. verbo simonia q. 1. Valent. tom. 3. disp. 6. q. 16. puncto 1. vers. sequitur altera, Azor. d. cap. 1. q. 1. vers. emendi.*
23 *Res spirituales.* Ponitur ad ostendendam materiam simoniæ. Sed ad maiorem declarationem sciendũ est alia esse spiritualia naturalia, alia supernaturalia; naturalia, sunt quæ naturaliter obueniũt, & proprijs viribus comparamus; supernaturalia, quæ supra ordinem naturæ à Deo gratis data, aut instituta sunt ad æternam beatitudinem, prout in effectu Doctores docent in *Sum. 1. q. 1. Siluest. d. q. 1. vers. 3. Sot. vbi sup. Nau. d. cap. 23. num. 99. & in rub. de iudic. num. 24.* Rursus obseruandum est

24 spiritualia naturalia in duas etiã species partiri, alia enim sunt spiritualia per essentiam, prout est intellectus, virtutes morales, scientiæ acquisitæ; alia vero per effectum, prout est doctrina, & omnes actus prædictorum. Priora nec de Iure, nec de facto vendi possunt, quia nequeunt in alium transferri; posteriora vero vtroque modo licitè venduntur, & pretio æsti-
25 mantur. Circa diuisionem vero spiritualium supernaturalium videntur Doctores variè sentire: aliter enim diuidit *S. Thom.* *& Theologi aliqui*, aliter *Abb. in cap. consulere, de simon. Archid. in cap. piæ 16. q. 7. num. 3. S. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 15. Siluest. d. loco, Adrian. quodlib. 9. Sot. d. art. 1. Nauar. locis proxime citatis*, qui non contemnendam descriptionem vtroque loco tradit, & *Caiet. in sum. verbo simonia*, quem sequitur *Viguer. d. vers. 9.* Cæterùm licet Doctores varijs loquãtur modis, mens tamen omnibus eadem videtur fuisse, vt scilicet spiritualium supernaturalium quatuor species distinguantur: alia enim sunt per essentiam, vt donum prophetiæ, curationum, linguarum, miraculorum, &c. Spiritus sancti gratia gratis data, & gratum faciens, virtutes Theologicæ, potestas Clauium, siue Ordinis, siue iurisdictionis. Alia vero sunt spiritualia per causam, prout Sacramenta, quæ gratiam conferunt. Tertia sunt spiritualia supernaturalia per effectum, vt benedictio, excommunicatio, consecratio, absolutio, & omnes actiones à prædictis spiritualibus productæ immediatè, quæ sunt effectus prædictorum spiritualium primæ speciei. Quartam speciem constituunt spiritualia per connexionem, quæ aut sunt annexa antecedenter, vt vasa sacra, iurapatronatus, & similia, aut concomitanter, prout est labor, & actio, quibus Sacramenta ministrantur, aut consequenter, prout sunt beneficia. Ex his omnibus spiritualia supernaturalia per essentiam nec de Iure, nec de facto pretio dari possunt, quia non possunt ab omnibus transferri, cætera vero omnia de facto possunt pretio dari, quia transferuntur, de Iure non possunt, vt Theologi, & Iurisperiti citatis locis resoluunt. Et sic videtur simoniam propriè non dari in concessione, vel receptione non gratuita spiritualium natura-

lium,

lium, ac proinde melius, & breuius definiri posse, vt sit spiritualium supernaturalium non gratuita cōcessio, vel receptio, & colligitur, ex *c.1.1. q.1.* ibi, *simoniaci non gratis accipiunt*, & ex *c.gratiam, ead.causa, & quæst.* ibi, *non gratuitum*, & non multùm differt à definitione, *Host.& Abb.in d.cap.nemo, de simon.*
26 Primò ex dictis infertur non committere simoniam eos, qui scientiarum acquisitarum doctrinam pretio æstimant. Probatur, diximus enim numero anteced. in fine simoniam propriè committi in spiritualibus supernaturalibus, sed scientiæ acquisitæ naturales sunt, igitur citra peccatum simoniæ eadem doctrina potest vendi. Præterea deformitas simoniæ expenditur ex illis quatuor rationibus, quas supra retuli *num.4.cum seqq.* sed nulla earum reperitur in scientijs acquisitis, quoniam in potestate sunt dantis, item pretio æstimantur, *l.1.* §. 1. & ibi *glos. & Bart. ff. de var. & extraord. cognit. l. medicos* §. *mercede, C. de professorib. lib.* 10. Rursus nec gratis tenetur aliquis docere, vt omnes fatentur, nec irreuerentia fit, igitur nihil repugnat quominus doctrina pretio æstimetur, si doctrina dari non posset, nec etiam labor ipsius, est enim in hac materia manifestum pro labore inseparabili, quo spiritualia supernaturalia administrantur, pretium recipi non posse sine labe simoniæ, *cap. si quis obiecerit 1.q.3. S.Thom. d.q.100. art.* 4. & infra suo loco latius dicemus, sed omnes Doctores fatentur pro labore docendi pretium recipi posse, igitur hæc doctrina pretio æstimatur. Quare corol. probant *Theologi in 4.dist.25.* vbi *Durand. q.3. Palud.q.4.& Richard.art.3.q.2. Adrian.quodl.9. S.Thom. 2.2.q.71.art.4.ad 2. & q.100. art.3.ad 3. Siluest. verbo simonia q.10. Nau.d.cap.23.num.100. Valent.tom.3.disp.6.q.16. puncto 2.col.3. Valer. Reginald.in praxi fori pœnit. lib.23. num. 112. Azor. instit. moral. par.3.lib.12.de simon.cap.18.q.6. Lessi. de Iustit.lib.2.cap.35. dub. 13. num. 74. Filliuc. tract. 45. cap. 2. quæs. 5. Bonacin. var. tract.vbi de simonia q.4.* §.*10.ex num.1.* nouissime *Paul. Laymann in Theologia morali lib. 4. tract.10. c. vlt.* §. *4. num. 30.*
27 Quamuis cōtrariam opinionem minus bene tenuerint *Host.*

Ioan. Andr. Panorm. & alij Pontificij Iuris Interpretes in cap. quia nonnullis, de magistr. Archid. in cap. de quibusdam dist. 37. *Siluest. sibi contrarius verbo Doctor q.*10. *Alex. Altisodoren.* & alij citati ab *Azori. d. q.*6. *in princip. glos.* enim in *cap. non licet* 11. *q.*3. quę pro hac parte solet allegari, nihil probat, Canonistæ vero id non affirmant, sed tantùm illud non licere Doctori, qui publicum stipendium habet pretium aliquod recipere, quod libenter fatemur, sed tunc non simoniæ, sed furti potius peccatum committitur dum vltra iustum pretium indebitum recipitur, quo pacto intelligendi sunt *S. Thom. in* 4. *dist.* 25. *q.*3. *art.*3. *ad* 3. & omnes Doctores affirmantes non licere habenti salarium aliquid petere pro doctrina, vt peccatum iniustitiæ non simoniæ committatur.

28 Vnde audiendi non sunt, qui distinctione quadam vtramque sententiam componere nituntur, vt scilicet communis, quæ negat simoniam esse naturales scientias acquisitas pretio dare, de vera, ac propria simonia intelligatur; contraria vero, quæ affirmat committi in hoc casu simoniam, procedat in simonia quadam late sumpta, quæ quasi simonia dici potest, ex *glos. verbo consuetudinis, in cap.* 1. *de magist*, quæ id non probat, agit enim de licentia docendi. Confunditur autem hæc concordia si aduertamus propositam controuersiam vix posse intelligi de venditione ipsarum scientiarum quatenus sunt habitus, & spirituales per essentiam, hæ enim nec de Iure, nec de facto in alium per se transferri possunt, atq; ideo nemo erit adeo insanus, qui sic emere, aut vendere velit, sed intelligenda venit Doctorum controuersia de venditione doctrinæ per quam alij scientiæ communicatur, quæ pretio æstimari potest, vnde nihil hic considerari poterit inæstimabile, vt benè aduertit *Sot. vbi sup.* Quinimò si is, qui publicum habet stipendium ab aliquo pretium exigat, non scientiam vendere iudicandus est, vt *S. Thom.* ait *d. art.*3. *ad* 3. sed id, quod præstare potest, nempe doctrinam, & docendi laborem, & tunc vltra iustum pretium iniuste petit, & sic peccat contra iustitiam, *Bonacin. d.* §.10. *num.*3. *in fine*. At vero si aliquis scientiam ipsam frustra

ſtra vendere intenderet, nec tunc ſimonia eſſet, ſed iniuſta alieni contractatio, dum pro re, quam præſtare non poteſt,
29 pretium exigit, quod adeo verum eſt, vt etiamſi vendens ſcientiam, vel doctrinam intendat vendere ipſam veritatem, nec tunc ſimoniam committet, quia ipſa veritas non eſt aliquid ſupernaturale, & ſacrum, ac proinde non poteſt eſſe materia ſimoniæ, *Soar.d.lib.4.de ſimon.cap.8.num.*11. *Leſſ.de Iuſtit.lib.*2.*cap.*35.*dub.*13.*num.*75. *Filliuc.d.tract.*45.*cap.*2.*quæſ.*5.*num.*4.

30 Hinc colligitur ſimoniam non committere, qui pretio docuerit Theologiam practicam, vel ſpeculatiuam, ſeu ſcholaſticam, aut interpretatiuam Scripturarum, quia actiones magiſtri docentis Theologiam, naturales ſunt, & labor, atque opus ipſius eſt pretio æſtimabile, tum quia Theologia naturalibus Iuribus comparatur, & ad exemplum eorum docetur, verſaturq; in deducendis concluſionibus ex principijs ſupernaturalibus, tum denique quia licet doctrina ipſa Theologiæ in ſe quidem ſupernaturalis ſit, actus tamen docendi non eſt ſupernaturalis, neque ex parte principij cum poſſit quis poſita reuelatione articulorum verſari circa illos actibus mere naturalibus independentibus ab auxilijs gratiæ ſupernaturalibus: neq; eſt ſupernaturalis ex parte termini, quia per ſe non ordinatur ad ſalutem ſpiritualem, neq; eſt ſupernaturalis quoad effectum, cum inſtruat intellectum quatenus naturaliter ab eo fieri poteſt ex vi diſcurſus; ita *Victor.relect.*1.*de ſimon. num.*6. *Soar.d.lib.*4.*de ſimon.cap.*18.*num.*9. *Filliuc. d.tract.*45.*cap.*4.*quæſ.*7. *Paul. Laymann d.*§.4. *num.*30. *in fine*.

31 Secundò infertur abſque vlla ſimoniæ labe licere Doctori cuiuſuis facultatis conſilium pretio dare. Probatur. Diximus enim ſpiritualia naturalia pretio æſtimari poſſe, ſed conſilium ad naturalia pertinet, eſt enim actus ſcientiæ acquiſitæ, igitur pretio poteſt æſtimari, quod etiam ſuadent argumenta præcedentis corol. *cap.non ſane* 14.*q.*5. *vbi Archid.& communis, cap. Romana*, §. *nec etiam, de foro comp.lib.*6. *Imol. in cap. cum ab omni nu.*17. *de vita, & honeſt.cleric. Anan.in rub. de magiſt. num.*28.

num.28.Felin.in cap.per tuas il 1.num.4. de simon. Ias. in §. sed iste quidem num.113. Instit.de actionib. Rebuff.de priuileg. scholar. priuil.56. Tiraq.de nobilit.cap.28.num.3. Perez l.2.vers.aduocatus tit.19.lib.1.Ordinam.Azeued.l.21.num. 6.tit.16. lib 2. nouæ Recop. quamuis *glos.in d.cap.non licet*, & alij, quos refert *Tiraq. d. num. 31.* contendant pretium recipi non posse cum absque præsenti labore consilium datur, quasi tunc scientia ipsa vendatur; quorum opinio merito ab omnibus improba-
32 tur. Pari etiam modo licebit aduocatis pretium recipere, vt citata Iura probant *l.sumptus 54.ff. de pactis, l. 1. §. in honorarijs ff.de var.& extraord.cognit.l.vnic.C.de suffrag.D.Thom. 2.2.q.71.art.4.Nauar.in man.cap.25.num.30.* idque in aduocatis Ecclesiæ, & Reip. locum habet, *glos.vlt.* & ibi *Abb.nu.7. in cap. breui 17. de iureiur. Menoch. de arbitr. casu 494.* non tamen licebit vltra iustum pretium recipere, iustum autem erit quod lex, aut bonus vir taxat habita ratione qualitatis personæ, nam consilium peritioris, vel artem publicè profitentis præstantius existimatur, etiamsi minori labore, maioriq; facultate, & celeritate præstetur, quàm consilium alterius minus in arte periti, vel eam artem publicè non profitentis, ita *Less. d. dub. 13.num.75.Soar.d.lib.4. de simon. cap. 8. num. 13. Filliuc.d.tract.45.cap.2.quæs.5.num.6.*

33 Amplia huius secundi corolarij resolutionem, vt procedat etiam in Theologo, hic enim in materia Theologica speculatiua, vel practica pretio præbens consilium non peccat peccato simoniæ, quia huiusmodi consilium est actus naturalis tam ex parte scientiæ, à qua procedit, cum ope, & industria humana acquisita fuerit, & ex parte modi illam docendi cum fiat per modum humanæ doctrinæ, & magisterij, quàm ex parte affectus, & finis proximi, qui est instructio intellectus in cognitione talis veritatis; & nihil refert, quod huiusmodi consilium detur ad pacandum alterius conscientiam, quia intentio, seu finis pacandæ conscientiæ extrinsecus est consilio, nec mutat naturam actionis secundum se spectatæ, ita *Nau.d.cap. 23.num.100. Filliuc.d.tract.45.cap.4.q.8. num.31.Soar.d.lib.4.*

de simon. cap.18. num.20. vbi tamen *num.19.* id limitat si consilium detur per modum exhortationis, itaut ęquiualeat priuatæ concioni, quia tunc vendi non potest, & *num. 21.* pariter limitat quando consilium magis pendet ex donis peculiaribus Spiritus sancti, quàm ex sola doctrina, & studio humano, vt cum datur consilium ad iudicandum an aliqua vocatio sit à Deo, vel quo pacto orandum, vel qua ratione tentationibus resistendum sit, &c. tunc enim nihil accipi potest pro huiusmodi consilio, tum quia est consilium spirituale, tum quia nullus vir timoratę conscientiæ audet quicquam pro huiusmodi consilijs capere.

34 Tertiò infertur peccatum simoniæ non committere Iudices seculares, qui pro iusta, aut iniusta sententia pecuniam accipiunt. Diximus enim citra spiritualia naturalia simoniam non committi, sed sententia, & reliqui actus iurisdictionis temporalis pertinent ad spiritualia naturalia per effectum, igitur in his simonia committi non potest. Probant corol. *glos.* recepta *verbo Iustitia in cap. vendentes 1.q.3. S. Antonin.p.2.tit.1. cap. 5. §. 18. Siluest. in sum. verbo simonia q. 10. Bonacin. in tract. de simonia q.4.§.17.num.1.* Peccabunt tamen grauiter, & grauissimis afficientur pœnis Iudices temporales, qui à partibus pecuniam, vel munus receperint, vt probat *cap.non licet, cap. qui recte 11.q.3.cap.vlt. 15.q.5.cap.iubentes, cum multis seqq. 1.q.1.cap.1.de re iudic. lib.6. l.omnes cum seqq. C.ad leg.Iul.repetund. auth. vt Iudices sine quoquo suffragio §. cogitatio, Auth. de mandatis Princip. §. 1. Afflict. lib.1. constit. rub. 42. ex nu. 27. Auendan.ad leges Prætor. cap.2. Auiles ad easdem leges in verbo ni lleuaran, Rebuff. ad leges Galliæ tom. 3. tit. de salar. art. 1. S. Antonin. p. 3. tit. 9. cap.1. §. 2. Simanch. de Cathol. instit. cap. 34. num.32. Nauar. in man. cap. 25.num.12. Octauian. in procœm. decis. Pedam.num.5.*

35 Amplia adeo verum esse simoniam non committi dando, vel accipiendo temporale pro actibus iurisdictionis laicæ, & temporalis, seu politicæ, vt Prelatus habens propriam iurisdictionem temporalem minime sit reus simonię accipiendo

aliquid

aliquid pro actibus huiusmodi iurisdictionis temporalis, vt bene resoluit *Bonacin. vbi supra vers. secundo*.

36 Quartò infertur simoniam non esse vendere officia secularia, siue iurisdictionem habeant, siue non. Probatur quia diximus in venditione spiritualium naturalium simoniam non committi, sed omnia hæc officia ad naturalia pertinent, quoniam temporali potestate naturaliter à Deo data instituuntur, & conferuntur. Igitur in eorum venditione, simonia nulla est, probatur etiam per locum à speciali in *cap. Saluator 1. q. 3. & in l. omnimodo* §. *imputari C. de inoff. testam.* & vtrobique Doctores, resoluit *glos.* recepta *verbo, & Iudicem in d. cap. Saluator, Bart. in l. 1. ff. ad legem Iuliam de ambitu, Salicet. in l. 1. num. 3. C. eod. tit. Aegid. Boss. in pract. tit. de ambitiosis nu. 2. cum seqq. Paris. cons. 56. num. 11. lib. 4. Cou. var. lib. 3. cap. 19. num. 6. Clar. in* §. *simonia num. 4. Menoch. de arbitrar. cent. 5. casu 401. S. Thom. opusc. 21. Caiet. in sum. verbo venalitas, Sot. de Iustit. lib. 3. q. 6. art. 4. corol. 5.*

37 Vnde Summus Pontifex nonnulla vendere consueuit officia in Romana Curia, vt Auditoris Cameræ, & alia, quia ea non vendit ratione iurisdictionis illis annexæ, sed ratione emolumentorum, quæ talia officia consequuntur, ita *Soar. de Relig. tom. 1 lib. 4 de simon. cap. 20. num. 6. & cap. 24. num. 28. & seq. Filliuc. tom. 3. tract. 45. cap. 5. nu. 17. Bonacin. d. q. 4.* §. *17. nu. 5.*

38 Verùm iustissimè legibus humanis vbilibet prohibita est officiorum secularium venditio, vel quæuis muneris, aut pecuniæ datio, aut receptio pro ipsis, vt probat *l. vnica ff. ad leg. Iuliam de ambitu, auth. vt Iudices sine quoquo suffragio* §. *certe, &* §. *si igitur collat. 2. Cabed. Lusitan. decis. 24. par. 2.* & est statutum apud Lusitanos *Ordin. Regia lib. 1. tit. 95.* vbi *Emmanuel Barbosa* doctissimus Iureconsl. *Augustini* pater, plures Doctores refert, & apud *Castellanos l. 11. tit. 11. lib. 3. nouæ Recop. & l. 4. tit. 25. lib. 4. eiusdem nouæ Recopil.* vbi *Azeued.* imò per

39 *l. 13. tit. 6. lib. 3. eiusdem Recop.* apponitur pœna Iudicibus permittentibus locari officia suæ correctionis. Quæ quidem am-

40 pliantur etiam ad renunciationes officiorum, itaut fieri non

 possint

possint nisi in manibus Regis, seu Principis, *Cabed. Lusit. decis. 91. num. 4. p. 2.*

41 Quintò & vltimo infertur simoniam non committere testes, qui pro testimonio ferendo pecuniam receperint; constat enim nihil spirituale supernaturale in testimonio considerari posse, quamuis in causis spiritualibus feratur, peccabunt tamen, & corruptionis, seu falsitatis pœnas dabunt, qui pro ipso testimonio ferendo pecuniam receperit, iuxta *tex. in cap. nolite timere 11. q. 3. cap. non sine 14. q. 5. cap. 1. cap. sicut nobis, de testib. cap. licet, de probat.* & vtrobique scribentes, *Crot. in tract. de testib. q. 15. S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 4. ad 3. Sot. de Iustit. lib. 5. q. 8. art. 4. concl. 8. Cou. in reg. peccatum p. 2. §. 3. num. 2. & in cap. quamuis pactum p. 1. §. 3. num. 5.* Ratio est quia per receptionem pretii violatur integritas, & veritas, quæ in iudicio necessaria est, siquidem testis pretium accipiens non tam liberè testificatur, nec præsumitur dicere veritatem, eo quòd munera excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum, ne veritatem intelligant, vt legitur *Deuteronom. cap. 17.* refertur ab *Augustin. Barbosa in addit. collect. ad cap. 1. post nu. 1. de testibus.*

42 Verum si talis testis pecuniam non accipiat directè pro ferendo testimonio, sed vt Iudex inducatur ad iudicandum in causa spirituali, vel ad dispensandum, vel ad conferendum alicui beneficium, vel quid simile, credo in hoc casu probabilissimum mihi videri testem simoniæ reum esse, siue testimonium verum sit, siue falsum, ex ea ratione quia dans pecuniam mediatori, seu intercessori, vt sententiam in causa spirituali obtineat, simoniam committit, vt suo loco dicemus, ergo illam etiam committet saltem largè qui pecuniam testi eo fine tradit, quare ita tenent *Tabien. verbo simonia num. 47. Soar. de Religion. tom. 1. lib. 4. de simonia cap. 53. num. 10. Filliuc. tom. 3. tract. 45. cap. 12. quæs. 6. num. 11.*

SVMMARIVM.

1 Spiritualia supernaturalia in quatuor species diuiduntur.
2 Sacramenta Ecclesiæ non sunt spiritualia per essentiam, sed velut mixta ex corporalibus, & naturalibus participant.
3 Labor, qui Sacramentorum ministerio reperitur, est in duplici differentia.
4 Labor inseparabilis est ille, qui reperitur in ipso ministerio per se semper, & necessario, atque ideo est de substantia Sacramenti.
5 Labor inconcomitans dicitur ille, qui per accidens, & non semper, aut necessariò, sed aliquando in Sacramenti ministerio reperitur.
6 Labor concomitans per se non potest cõsiderari, nec æstimari pretio, inconcomitans verò, quia temporalis est, æstimatur pretio.
7 Officiorum diuinorum celebratione tria possunt considerari, pretium scilicet ipsorum, merces operis, seu laboris, & stipendium sustentationis Ministri.
8 Simonia est pro Sacramentis, & diuinis Officijs temporale aliquid recipere, vel dare tamquam pretium ipsorum, aut tamquam mercedem operis, seu laboris concomitantis.
9 Matrimonij pro Sacramento pecuniam recipere non licet, & num. 10.
11 Sacerdotibus licet operas suas locare, & pro labore ministrandi diuina, pecuniam accipere, contrarium probatur num. 12. sed vtraque opinio conciliatur num. 13.
14 Clericus si ex officio, vel aliqua obligatione tenetur ad laborem accidentalem, non poterit pro eo aliquid exigere.
15 Simoniam non committunt spiritualium Ministri, qui temporale aliquid tamquam stipendium sustentationis accipiunt.
16 Amplia etiamsi Sacerdotes aliunde habeant vnde se sustentare valeant.
17 Sacerdotibus licet pacisci de stipendio sustentationis.
18 Sacerdos sine labe, ac nota simoniæ apud legitimum Iudicem,

& via

& via Iuris stipendia pro Mißarum celebratione à soluere recusantibus exigere potest.
19 Sacerdoti sacrilego, qui aliter non vult Sacramenta ministrare, licet pecuniam dare.
20 Absolutionem iniustè deneganti licet absque vitio simoniæ pecuniam dare.
21 Sacerdoti sacrilego, qui aliter non vult adultum baptizare, non licet pecuniam dare, sed potius sine Baptismo decedendum.
22 Idem de paruulis dicendum quando aliquis adfuerit laicus, vel fœmina à quibus possint baptizari.
23 Quid autem dicendum in necessitate absoluta, qualis in paruulo dari potest, si nullus adsit alius à quo baptizetur, ostenditur, & num. 24. & 25.
26 Infidelibus pecuniam, aut alia temporalia bona dare licet, vt ad Fidem conuertantur, & Baptismi Sacramentum suscipiant.
27 Pecuniam licet dare, vt homines alliciantur ad Sacramenta percipienda, & ad ea religionis, ac virtutis opera facienda, quæ non sunt præcisæ de necessitate salutis.
28 Simonia nulla erit, etiamsi temporalia dentur infidelibus, ea expressa conditione, & conuentione, vt ad Fidem conuertantur.
29 Ministris spiritualium quotiescumque temporalia dantur in aliquo actu, vbi honesta dandi, & recipiendi causa accedit, ex data, & recepta iudicandus est.
30 Spiritualia si ministrentur eo casu, quod nulla honesta causa considerari potest, sed illud in dubium veniat vtrum liberali, seu pio, aut prauo animo temporalia data, aut recepta sint, simonia meritò iudicabitur, si pactio, conditio, taxatio, aut exactio interueniant.
31 Prohibitum Iure vbi aliquid committitur, vel quod mali speciem habeat, prauus animus iudicabitur.
32 Donatio vt pia, & liberalis, vel praua iudicetur datæ rei quantitas, personarum qualitas, & temporis circumstantia inspicienda est, vbi nec honesta, nec mala causa considerari potest.
33 Quantitas rei datæ, in primis consideranda est, quia si magna sit, ità vt liberalitatis fines videatur excedere, non erit

erit donatio præsumenda.

34 *Dignitas, nobilitas, & diuitiæ personæ in causa sunt, vt magna munera gratis data præsumantur.*

35 *Donationem quemadmodum arguunt nobilitas, diuitiæ, generosus animus, & alia similia, ità per contrarium paupertas, ignobilitas, quæ sunt liberalitati contraria, eam præsumptionem elidunt.*

36 *Simoniæ crimen non incurritur, sed inobedientiæ, si lex temporalia gratis data recipi prohibeat, vel eo casu, quo nulla Iuris committitur simonia, nisi aut ex verbis, aut ex titulo contrarium colligatur.*

37 *Legibus quæ prohibent, aut puniunt ea, quæ mala non sunt, nec Diuinis aduersantur, semper id, quod est benignius, iudicare debemus.*

ARTIC. II.

De simoniæ crimine, quod admittitur in spiritualibus supernaturalibus administrandis.

1 N principio huius tractatus spiritualia supernaturalia in quatuor species diuisimus, scilicet per essentiam, per causam, per effectum, & per connexionem. De prima specie spiritualium per essentiam nulla dubitatio esse potest, quoniam nec de Iure, nec de facto transferuntur ab homine in alium, & ideo, quæ superiori articulo dicta sunt, de his dixisse sufficiat. Nunc vero ex ordine sequitur, vt de secunda spiritualium specie tractemus, de his scilicet, quæ per causam talia sunt, scilicet de Ecclesiasticis Sacramentis, de quibus agit *cap. quicunque studet, cap. quisquis, cap. si quis Episcopus, cum seqq.* 1.*q.*1. atq; ideo opportunè quæritur vtrum liceat casu aliquo pro Sacramentis pecu-

niam dare, vel recipere, pro cuius quæstionis clariori resolutione à nobis aliqua sunt præmittenda.

2 Pro resolutione igitur præsupponendum est, quod licet Sacramenta Ecclesiæ non sint spiritualia per essentiam, sed velut mixta ex corporalibus, & naturalibus participent, vt *Caiet.* ait in *sum. verbo simonia, Viguer. de instit. cap. 5. §. 6. vers. 9.* quia tamen sunt instrumentales causę gratię, quam conferunt, quę spiritualis, & supernaturalis rectè à Theologis appellantur spiritualia supernaturalia per causam, & quia magis, & ex spiritualibus participant, eorum naturam retinent, *S. Thom. Durand. & alij in 4. dist. 25. q. 3. Nau. in man. cap. 23. num. 99.* quod etiam in alijs rebus naturalibus cernitur, quę spiritualibus supernaturalibus sunt annexę, vt eorum naturam sortiantur, & de ipsis, ac de spiritualibus iudicetur, iuxta notata in *cap. quanto, de iudic. per text. ibi, & in cap. quod in dubijs, de consecrat. Eccles. vel Altar. Siluest. in sum. verbo aqua benedicta q.* 3. atque ideo dubium non est quin Sacramenta Ecclesię spiritualia per causam inter spiritualia supernaturalia connumerari debeant.

3 Secundò pręsupponendum laborem, qui Sacramentorum ministerio reperitur, esse in duplici differentia; alter enim est labor, qui ab ipsa actione Sacramenti non distinguitur, & appellatur concomitans, alter qui realiter distinguitur ab ipso
4 ministerio, & appellatur non concomitans. Labor inseparabilis est ille, qui reperitur in ipso ministerio per se semper, & necessariò, atq; ideo est de substantia Sacramenti, prout est
5 actio, exemplum sit prolatio formæ. Labor vero inconcomitans dicitur ille, qui per accidens, & non semper, aut necessariò, sed aliquando in Sacramentorum ministerio reperitur, prout est labor itineris, cum procul iubetur Sacerdos Sacrum facere, vel ex longinquo accersitur, vt Sacramenta ministret, ad quę non tenebatur, obligatio item perpetua, aut temporalis, qua se quis obstringit ad Sacramenta ministranda, seu
6 diuina Officia celebranda. Inter hos labores illud est descrimen, quod prior scilicet concomitans per se non potest consi-

derari,

derari, nec æstimari pretio, posterior vero per se consideratur, & quia temporalis est, æstimatur pretio. Colligitur hæc distinctio ex *cap. si quis obiecerit* 1. *q.* 3. & ex *D. Thom.* & alijs Theologis, & faciunt quæ *Fernandez in examine Theolog. moralis p.* 3.*c.* 16. §.1.*ex num.*16.

7 Tertiò & vltimo præsupponendum in celebratione aliorum diuinorum Officiorum tria posse considerari, scilicet pretium ipsorum, merces operis, seu laboris, & stipendium sustentationis ministri. Primum semper est damnabile; secundum etiam est illicitum, si ad illam operam, & laborem merces referatur, qui concomitans est; tertium semper est licitum si debito modo, & intentione fiat. Colligitur hæc trimembris distinctio *ex cap. & si quæstiones, de simon. iuncto cap. clerici omnes* 1.*q.*2. & ex *S. Augustino in* 1. *epist. Pauli ad Timoth. cap.* 5. & *Caiet.*2.2.*q.*100.*art.*3. quæ omnia in alijs consecrationibus, benedictioninus, sacramentalibus, atque etiam diuinis Officijs locum habent.

8 Quibus præhabitis articulus sub vnica resoluitur conclusione. Pro Sacramentis, & diuinis Officiis temporale aliquid recipere, vel dare tanquam pretium ipsorum, aut tanquam mercedem operis, seu laboris concomitantis, simonia est. Probatur conclusio, pro spiritualibus supernaturalibus simonia est pretium dare, vel recipere; sed quando pro Sacramentis, & diuinis Officijs temporale datur vt pretium, vel vt merces laboris concomitantis, vere datur pretium pro spiritualibus ipsis. Igitur pro Sacramentis, &c. Maior est nota, minor probatur in præludijs, consequentia bene infertur. Probant conclus. *tex.in cap.quicquid* 1.*q.*1. ibi, *pretia qualibet, vel præmia*, & plenè citati per *Bonacin.de simon.q.*4.§.1.

9 Ex hac igitur conclus. iam primò infertur falsam esse sententiam *glos. in sum. verbo spiritualia* 1.*q.*1. dum ait licitum esse pro Sacramento Matrimonij pecuniam recipere, huius erroris fundamentum illud adducit, quod Sacramentum Matrimonij non confert gratiam, ratione cuius simonia non committitur, eandem rationem repetit in *d.cap. quicquid*, expen-

dens textum illum quatenus agit de alijs Sacramentis, Matrimonium vero omittit, idem vult *glos. in cap. vendentes* 1.*q*.3. *glos.in cap.honorantur* 32.*q*.2.*glos.verbo benedictionibus in cap. cum Ecclesiæ, de simon. glos. in cap. alma mater, verbo Sacramentis, de sentent.excom. lib.6. Host. in sum. de Sacram. non iteran.*Durand.*in* 4.*dist*.26.*q*.3. *Præpos. in cap. de illis, il* 1. *de condition. appos.*

10 Verùm ex dictis patet quàm falsa sit hęc sententia, & hæreticum fundamentum, diximus enim simoniam esse pro Sacramentis pecuniam recipere, sed Matrimonium verum est Sacramentum nouæ legis, & gratiam confert, vt definitum est à *Concil.Trid. sess.*24.*de reform. Matrim. can.*1. & late tradunt *Reginald.in praxi fori pœnit.l.b.*31.*cap.*1. *ex num.*2. *Fernandez in examine Theologiæ moralis p.*3.*cap.*18. *num.* 1. *&* 7. *Molin.de ritu nupt.lib.*2.*differ.* 18. *num.*5.*Sanch.de Matrimon. lib.*2.*disp.*10. *Gutier.in simili tract. cap.*42. *Bonaco. eod. tract. q.*2.*puncto* 1.*num.*2. Igitur necessariò infertur simoniam esse pro Sacramento Matrimonij pecuniam accipere. Accedit si non licet pro benedictionibus nubentium, quæ accidentales sunt, pecuniam recipere, vt probat *tex.in d.cap.cum in Ecclesiæ,* multò minus licebit pro Sacramento ipso coniugij. Probant corolarium expresse *S.Thom.*2.2.*q.*10.*art.*2. *ad* 6. *Sot. de Iust. lib.*9.*q.*6.*art.*1.*in fine, Abb.in d.cap.cum in Ecclesiæ*, vbi *Anan. num.*7.*Siluest.verbo simonia, q.*8. *Azori.institut. moral. p.* 3. *lib.*12.*de simon.cap.*3.*Soar.de Relig.tom.*1. *lib.*4. *de simonia cap.* 10. *num.*10.*Filliuc.tom.*3.*tract.*45.*cap.*3.*quæs.*3. *Bonacin. de simon. q.*4.§.1. *ex num.*1.

Non obstat, quod pro Matrimonio dos datur, quia respondet *S. Thom.* & alij Doctores citati, quòd Matrimonium licet verum Sacramentum inter Catholicos, est tamen verus contractus, quo se coniuges obligant non solum ad indiuiduam vitam, sed etiam ad alia obsequia, & onera temporalia, quæ nihil commune habent cum Sacramento, pro quibus pecunia datur, *l.pro oneribus, C.de iure dotium, cap.salubriter* 16. *de vsuris*, idem prorsus dicendum est de arrhis, vel muneribus,

quæ

quæ ſponſus tradit ſponſæ, vel è contra, hæc enim non traduntur ratione Sacramenti, ſed ad conciliandam beneuolentiam, vel ob aliam cauſam, ſic etiam procedit quod de pecunia traditur, quæ alicui datur, vt curet Bertam ſibi in coniugem tradi, ita reſoluũt Doctores fere omnes, quos ſupra citauimus.

11 Secundò infertur licere Sacerdotibus operas ſuas locare, & pro labore miniſtrandi diuina pecuniam accipere. Probatur quia tunc demum ſimonia committitur quando pro ſpiritualibus pretium recipitur, at vero quando operæ locantur, & merces laboris petitur, nihil recipitur pro ſpiritualibus, ſiquidem labor ille perſonalis eſt, & temporalis, igitur non erit ſimonia. Accedit quod ſi in locandis operis, & mercede laboris recipienda ſimonia committeretur, nulla poſſet conſuetudo excuſare, quoniam à ſimonia conſuetudo non excuſat, vt probat *tex. in cap. cum Eccleſiæ, verſ. putant autem, de ſimon. cap. 3. nè Prælati vices ſuas*, at conſuetudine receptum eſt, vt Sacerdotes Eccleſiarum Rectores temporales, & Capellani operas ſuas locent, & de mercede paciſcantur, vt patet, igitur ſimonia non eſt; facit denique pro hac parte *tex. in cap. ſignificatum, de præben.* vbi temporalis præbenda datur Sacerdoti, vt quotidiè Sacrum faciat: quare corol. probant *Bonauen. in 4. diſt. 25. art. 1. q. 4. Maior ibid. q. 5. col. 5. Adrian. quodl. 9. num. 5. Angel. verbo ſimonia 2. num. 5. gloſ. Ioan. Andr. Butr. & Abb. num. 8. in d. cap. ſignificatum, Clar. §. ſimonia num. 2. Sot. de Iuſtit. lib. 9. q. 6. art. 1. Fernandez in examine Theolog. moralis p. 3. c. 14. §. 1. num. 18.*

12 Verùm contrariam ſententiam probant *Innoc. in d. cap. 3. Imol. & Anchar. in d. cap. ſignificatum, Durand. d. diſt. 25. q. 3. Palud. ibid. q. 5. Gabr. in can. Miſſæ lect. 28. col. 2. Abulen. lib. 3. Regum cap. 14. q. 9. art. 2. Silueſt. verbo ſimonia, verſ. 3. Caiet. 2. 2. q. 100. art. 3. dub. 2. & in ſum. verbo ſimonia reg. 5. Victor. in relect. de ſimonia p. 2. num. 29.* Horum autem fundamentum eſt, quod locare operas nihil aliud eſt quàm pro ſpiritualium adminiſtratione pretium accipere, quemadmodum pecunia numerata pretium eſt rei venditæ, ſic merces pretium eſt rei locatę, & in eo tantum differunt, quod pecunia eſt pretium

ipsius rei, merces vero est pretium vsus, & ob id locatio emptioni dicitur similis, *l.2.ff.locati, Princip.Instit.eodem*, at vero certum est non licere spiritualium ministerium vendere, ergo nec licebit locare. Accedit quod ex opposito sequeretur omne spirituale ministerium vendi posse impunè, cum in omni reperiatur labor; tandem hanc partem probat ratio *tex. in d. cap. si quis obiecerit* 1.*q*.3. *& in cap.vlt.ead.q.* & omnia Iura, quibus probatur simoniam esse Sacramenta, & diuina misteria pecunia dare, vel accipere, de quibus per totam 1. *q.* 1. *cum seqq. & in tit.de simonia*, nihil enim agerent illa Iura si pretium tanquam merces laboris dari possit.

13 Ego verò probabilius teneo vtramque sententiam facili concordia posse conciliari, vt scilicet Doctores, qui affirmant licitum esse locare operas, & mercedem laboris exigere, intelligantur de operibus, & labore, qui ab ipsis spiritualibus distinguntur, & reperiuntur ibi peraccidens, prout est obligatio temporalis, aut perpetua ministrandi in loco aliquo, item labor itineris, quę cum temporalia sint pretio ęstimantur, secundum *Bonac.de simonia q.6.pun.3.num.6.vers.4. & num.* 7. & hoc videntur docuisse *Innoc.Hostien. Io.And. & Ancharan, num.6.in d.cap.significatum* dum aiunt temporales operas locari posse, non vero spirituales. Contraria verò sententia, quę tenet non licere Sacerdoribus locare operas, aut mercedem exigere, procedat in laboribus concomitantibus, qui ab spiritualibus non distinguntur, & ita ab aliquibus vocatur labor hic intrinsecus actioni spirituali; ratio est quia labor operis non est dignus alia ęstimatione quàm ipsum opus, cum intrinsice coniunctus sit ipsimet operi; sed ipsum opus non habet ęstimationem, cum sit aliquid spirituale, & sacrum. Ergo nec illam habet labor intrinsicè coniunctus operi sacro, & spirituali, & ideo hanc partem tenent *Valent.tom.3.disp.6. q. 16. punct.2. vers. nihilominus*, *Valer.Reginald.in praxi fori pœnit. lib.23.num.*119. & hoc pacto has contrarias sententias componunt *Caiet. & Sot. dictis locis*.

14 Nec refert vtrum accidentalis labor ex Ecclesię constitutione,

tione, aut ex conuentione priuatorum ad supernaturalia ordinetur cum vtroque casu temporalis distinctus sit à spiritualibus, ac perconsequens poterit pretio æstimari, vt colligitur ex *S.Thom.d.q.*100.*art.*4.*&* 7. Illud autem in hac materia maxime obseruandum est, quod si clericus ex officio, vel aliqua obligatione teneatur ad laborem istum accidentalem non poterit pro eo aliquid exigere, vt benè aduertit *glos.& Doct in d.cap. significatum, & in cap. suam, de simonia.*

15 Tertiò colligitur minimè simoniam cõmittere spiritualium ministros, qui temporale aliquid tanquàm stipendium sustentationis accipiunt. Probatur quia iuxta supradicta, tunc demum simonia committitur quando temporale pro spiritualibus tanquam pretium ipsorum recipitur; at verò quando ministri accipiunt temporale ad sustentationem, nullum est pretium spiritualium, sed honesta accipiendi ratio, igitur simonia nulla erit. Confirmatur hoc ipsum auctoritate Christi Domini *Matth.cap.*10. *Dignus est operarius cibo suo,*& *Lucæ cap.*10.*Dignus est operarius mercede sua*, probant *Diuus Paulus* 1. *ad Corinth. cap.*9.*&* 1. *ad Timoth. cap.*5.*cap.penult. & vlt.* 1.*q.*2. *cap.cum secundum, de prabend.S.Thom.& omnes Theologi in* 4. *dist.*25.*q.*3. idem *S.Thom.*2.2.*q.*100.*art.*2. *Victoria de simonia p.*2.*num.*19. *Siluest. verb. simonia q.* 9. *Sot. lib.* 9. *de Iust. q.* 6. *art.*1.*Nauar.in manuali cap.* 23.*num.*101. *Bonac.de simonia q.* 6. *punct.* 2. *num.* 1. *Fernandez in examine Theolog. moralis par.*3. *cap.*14. §. 1. *num.*19.

16 Non obstat, quod Sacerdotes aliunde habeant vnde se sustentari valeant, itaut non egendo huiusmodi sustentatione minime valeant illius titulo aliquid accipere pro obligatione actionis spiritualis, quia respondetur id peraccidens euenire, cum hoc minime debeat Sacerdoti obesse ne recipiat id, quod sibi ex natura rei debetur, cum nemo etiam diues suis stipendijs militare teneatur, secundum *Soar.de Religione tom.*1.*lib.*4. *de simonia cap.*45. *num.*7. *Valer.Regin. in praxi fori pœnitent. lib.* 23.*num.*117. *Valent.tom.*3.*disp.*6.*q.*16. *punct. vers. quoad etiam,* vbi benè aduertit aliunde tamen peccare posse, vt si ex

officio ministrare teneatur, & ratione officij alios redditus habeat, quia cum accipiat indebitum, peccat contra iustitiam, nisi forte redditus adeo tenues essent, vt non sufficerent ad sustentanda onera personæ, status, & officij.

17 Quæ quidem resolutio adeo veritate innititur, vt dubio procul verum sit hanc sustentationem in pactum deduci posse, ac proinde licere pacisci de hoc stipendio sustentationis, ratio est, quia quilibet in pactum adducere potest, quod sibi iure naturæ debetur, non enim petit indebitum, & ideo hanc partem sustinent *Henriq. in summ. lib. 9. cap. 22. §. 1. Posseuin. de officio Curati cap. 2. num. 20. Less. de Iust. lib. 2. cap. 35. dub. 8. Soar. d. lib. 4. de simonia cap. 46. num. 4. Fernandez in examine Theolog. moral. p. 3. cap. 14. §. 1. num. 21* plures quos refert, & sequitur *D. August. Barbos. de offic. & potest. Episcopi p. 2. alleg. 24. num. 2.* Vnde sequitur Sacerdotem sine labe, ac nota
18 simoniæ apud legitimum Iudicem, & via Iuris, stipendia pro Missarum celebratione à soluere recusantibus exigere posse; stipendia enim exquiruntur, non vt pretium sacrificij, sed vt merces laboris, & operæ, velut eleemosyna superioris lege, aut consuetudine Sacerdotum sustentationi debita, vt benè resoluunt *Azor. instit. moral. p. 3. lib. 12. cap. 7. q. 2.* Fraxinel. *de obligat.* Sacerd. *sect. 3. prænot.* 1. §. 2. quos refert, & sequitur *D. Augustin. Barbos. in collectan. ad cap. significatum num. 20. de præbend.*

19 Quartò colligitur licitum esse vnicuique pecuniam dare sacrilego Sacerdoti, qui aliter non vult Sacramenta sibi ministrare, vt sic illius vexationem redimere possit, & in primis quoad materiam redimendi vexationem in beneficijs illa recepta est conclusio post ius quæsitum, seu obtentum beneficium, aut aliud spirituale donum, non esse simoniam redimere vexationem, quæ pro iure tollendo iniustè infertur, vel probabiliter timetur, vt cum multis resoluit *D. August. Barbos. in collect. ad cap. Matthæus num. 4. de simonia*, quoad absolu-
20 tionem certum est simoniam non committi si detur pecunia Sacerdoti iniustè absolutionem deneganti ad tollendum

prauum

prauum affectum, seu iniustam vexationem, vt per *Redoan. de simonia p. 3. cap. 21. nu. 16. Soar. d. lib. 4. de simonia cap. 19. nu. 8.* & nos de vtroque casu infra latiùs dicemus.

21 Quæstio tamen in hac materia satis controuersa est, in qua tàm Theologi, quàm Canonistæ numero, & auctoritate sunt pares pro vtraque parte, vtrum scilicet liceat sacrilego Sacerdoti, qui aliter non vult in extrema necessitate constitutum baptizare, pecuniam impendere pro vexatione redimenda, & spirituali saluti consulendo. In qua quæstione in eo omnes conueniunt non licere adulto pecuniam dare, sed potius sine Baptismo decedendum, quia cum per Fidem, & Baptismum, flaminis possit saluus fieri, iuxta *cap. debitum, de Baptismo*, nunquam potest in extrema necessitate constitui, quod ita docet *glos. vltima in cap. baptizandis, 1. q. 1.* quam omnes in hoc sequuntur, *Abb.* & communis in *cap. cum in Ecclesia, de simonia, Theologi in 4. dist. 5. q. 2. & dist. 25.* & alij infra citandi.

22 De paruulis hoc quidem affirmant, quando aliquis adfuerit laicus, vel fœmina, à quibus possint baptizari, eo enim casu, acsi nullus esset clericus, nemo ambigit laico, aut fœminæ id licere, iuxta *cap. quicquam* 1. q. 1. *cap. super quibus 30. q. 3. cap. constat, cap. mulier, cum seqq. de consecrat. dist.* 4. docent *Theologi in 4. dist. 4. q. 2.* quod multò magis de alijs Sacramentis affirmant, in quibus percipiendis nulla potest dari præuisa, & absoluta necessitas, vt sine ipsis nullus saluus fieri possit, & ideo si necessitatem extremam, & absolutam æternæ salutis remoueamus, conueniunt omnes non licere pecuniam dare, & vexationem redimere.

23 In necessitate verò absoluta, qualis in paruulo dari potest, si nullus adsit alius à quo baptizetur, & in vltimo vitæ termino constitutus sit, vtpote quando sola adest mater, aut solus pater, seu alia sola persona, quæ aut truncatus sit manibus, aut muta, itaut nequeat Sacramentum Baptismi ministrare, & etiam hoc casu existimant plures pecunia vexationem redimere licitum non esse, sed potius dimittendum esse paruulum, vt sine Baptismo pereat, ita *glos. in d. cap. bapti-*

zan-

zandis, vbi late *D.Barbos.* quam communiter receptam dicit *Præpositus ibidem num. 1.* sequitur *Cardin.in d. cap. cum Ecclesiæ*, D.*Thom.in 4.dist.5.q.2.in fin.* vbi *Palud.q.3. num.17. Ricard.d.dist.25.q.1.art.3.ad* 8. S.*Antoninus p.2. tit. 1. cap.5.* §. 16. *Silu. verbo simonia q.8.* Quorum autem illud præcipuum est fundamentum, quod simonia de se mala est, nec potest aliqua circumstantia cohonestari, vt probat *Caietan.quodlibet. 1. q.9.* mala autem facienda non sunt, vt inde veniant bona, *Paul.ad Romanos cap.3. cap.super eo, de vsuris, cap.magnopere qui Clerici, vel Monachi, Tiraquel. de pœnis temperandis caus. 52. num.*8. igitur non licebit propter necessitatem extremam pecuniam dare. Deinde hæc pars probatur,quia tunc demum licet redimere vexationem quando is, à quo redimitur, de facto nocet, prodesse vero de iure non potest, hoc est cum impedimentum solum obiecit iniustum, ius verò spirituale dare non potest, vt contingit in homine priuato, qui aut matrimonio contrahendo,aut beneficio obtinendo,aut possessioni ipsius iniuste se opponit, quo casu is, qui vexationem suam redimit, nullum ius spirituale ab impediente consequitur, & ideo iuste facit. Si autem ab eo fiat vexatio, qui dum ab illa cessat, spirituale ius confert, non est licitum pecunia redimere, vt contingit quando is, ad quem pertinet confirmatio, aut institutio beneficij id facere iniustè recusat, quod *Palud. cit. loco* docet, & est de mente Doctorum in *cap. ad aures, & in cap. Matthæus, & in cap. dilectus il 2. de simonia*, licet alijs loquantur verbis. Hoc enim posteriori casu redemptio vexationis ideo illicita est, quia nihil aliud importat quàm assequutionem spiritualium, tum namque cessat cum spirituale ius conceditur; igitur in casu proposito non licebit paruuli vexationem ita redimere, quia non aliter redimitur, quam per concesionem spiritualis Sacramenti, & in effectu videtur pro eo dari pecunia.

24 Verum contrariam sententiam probarunt multi Doctores antiqui, quas referunt *Archid.& Dominic.in d.c.baptizandis*, qui etiam in hãc partem magis inclinãt data extrema necessitate

tate probat *Abb. in d. cap. cum Ecclesiæ num.* 5. quem sequitur *Anan. num.* 3. *Nau.in man. cap.* 23.*num.*101. *in fine*, asserens hanc sententiam receptiorem esse, *Caiet.*2.2.*q.*100.*art.*3.*Ang. in summa verb.simonia* 2.*num.*12. *Soto de Iust.lib.*9.*q.*6. *art.*1. quin & *Riccard. ac Antonin.citatis locis*, si rectè expendantur, huic parti assentiunt, quam vltimo loco referunt *Præposit. & glos. in d.cap.baptizandis* sibi non constat, vnde hæc posterior sententia citra dubium receptior est, quam in primis probant plures resolutiones supra per nos adductæ, & ex eo confirmatur, quia quando intentio dantis in aliquam honestam causam immediate dirigitur, quæ ab ipsius spiritualibus distingui potest, non committitur simonia, vt supra diximus, cum spiritualia emere non intendat, hic autem intentio dantis immediate tendit ad remouendum impedimentum ministri, aut ex auaritia, aut ex necessitate proueniens, dat enim vt auaritiæ, aut necessitati satisfaciat, & in hoc consistit immediate redemptio vexationis, igitur simonia cessat. Præterea cum is, qui temporale dat spiritualia recepit tantum, nec ex eorum assecutione aliqua temporalis vtilitas ad illum peruenire potest, omnis praua suspicio ex parte dantis cessare debet, nisi manifeste appareat contrarium, nemo enim ita fatuus esse creditur, vt temporalia concedat mala intentione, quæ tunc nec ad spiritualem salutem, nec ad temporale bonum prosunt, prout contingit quando dat ministro baptizanti, vngenti, aut confirmanti; secus verò dicendum est quando ex assecutione spiritualium tempore aliquod commodum redũdare potest, prout fit in Sacramento Ordinis, in absolutione à censuris, in beneficio, aut monasterij loco comparando. Qua ratione sacri Canones non solent condemnare eos, qui ministris Baptismi, aut Confirmationis temporalia dant, quasi in ipsis præsumptio mali deficiat, condemnant tamen passim exigentes, vt colligitur ex dicto *cap.baptizandis*, *cum seqq.* Cum ergo in proposito nulla possit temporalis vtilitas considerari ex parte dantis, & extrema sit necessitas, quam redimit, est procul dubio excusandus. Tertiò fatentur Auctores omnes licitum esse dare

temporalia ministro, nec per simoniam spiritualia comparat, quod etiam in hoc proposito fieri potest. Tandem recepta sententia est tam à Theologis, quàm à Canonistis in locis præcitatis, & à *Medina in lib.de reb.restit.q.27.in 4.art.* licitum esse extremè indigenti aliquid vltra sortem dare, si mutuum gratis consequi non posset, quia tunc materialis est illa datio, quæ non fit tamquam pretium mutui, ergo idem in casu proposito dici potest, quod non sit simoniaca illa datio, quæ non fit tanquam pretium spiritualium.

25 Ad argumenta verò in contrarium adducta facilè respondetur, & ad primum, quod in hac specie nullum malum fit, vt bonum sequatur. Ad secundum, quod non est licitum pecunia vexationem redimere, quando alia supersunt remedia, & non vrget extrema necessitas. Sin autem Sacerdos, vel alius in tantam prorumperet insaniam, vt non solum pecuniam exigeret, sed etiam iusiurandum, quod ij, qui pecuniam darent, profiterentur se tamquam pretium spiritualium illam tribuere, adhuc excusandum esse putat *Soto*, quod nos durum esse, & à veritate alienum putamus, quoniam aut simoniæ, aut mendacij, seu periurij crimen effugere non potest. Si enim verè daret, vt pretium Sacramenti, esset simonia manifesta, quam nulla necesꝭsitas excusat, sicut reliqua de se mala, iuxta *cap. & si Christus, §. quidam, de iureiur. cap. super eo, de vsur.* Si verò intentionem haberet verbis iuramenti contrariam, mendax esset, & periurus, quod ad redimendam propriam, aut omnium salutem non licet, vt eadem Iura probant, igitur non licet sic iurare, præsertim cum ad huiusmodi iuramentum citra contemptum, iuxta aliquos, cogi possit, quo casu dimittendum esse potius paruulum sine Baptismo idem fatetur *Soto*, vnde melius *Caiet. cit. loco* docet tale iuramentum non esse subeundum; nec etiam ferenda est eiusdem *Soti* distinctio, quam inter dantem, & recipientem temporalia pro spiritualibus constituit, putat enim recipere temporalia pro spiritualibus semper esse malum, dare verò temporalia pro spiritualibus non ita esse de se malum, atq; ideo ob necessitatem extremam

licitum

licitum fieri. Confunditur enim hæc distinctio auctoritate Diui Petri *Actorum* 8. deinde ex correlatiuorum natura, quæ non patitur, vt sit alicui licitum emere, non verò vendere, facit *l. vlt.* & quæ ibi scribit *Ias. C. de indicta viduitate tollenda*, *Bernard. reg.* 158. *Ioan. Garz. reg.* 141. præsertim quia nulla in hac specie & materia simoniæ ratio discriminis considerari potest inter emptionem, & venditionem.

26 Quintò, colligitur licitum procul dubio esse infidelibus pecuniam, aut alia temporalia bona dare, vt ad Fidem conuertantur, & Baptismi Sacramentum suscipiant, imò & Catholicis, vt Sacramenta frequentent. Probatur quia diximus supra simoniam tunc demum committi, cum temporalia pro spiritualibus in pretium dantur, sed hic non ita dantur, imò vt Infideles alliceantur ad Fidem, & se disponant, atq; etiam alij ad alia Sacramenta, ergo hoc est planè licitum. Confirmatur efficaciter ex eo, quia simonia fieri non potest, nisi in contractu oneroso, vt probat *tex. in cap. etsi quæstiones, de simonia*, obseruat *glos.* recepta *in cap.* 1. *eod. tit.* est autem liberalis donatio, & vera, quando aliquid datur etiam sub conditione, si conditio, vel causa fauorem recipientis continet, quod bene docet *Tiraq. in l. si vnquam, verb. donatione largitus num.* 145. *C. de reuocand. donat.* Cum ergo is, qui dat in casu proposito, causam adijciat, causaq; vtilitatem recipientis continet, procul dubio omnis simoniæ labes excluditur. Quare ita resoluunt, & corolarium probant *glos. verb. inuitari in cap. dilectus* 30. *de simonia*, vbi *D. Barbos. num.* 6. *glos. verb. interuentum* 1. *q.* 2. vbi *Præposit. nu.* 1. *Sot. de Iust. lib.* 9. *q.* 6. *art.* 2. *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disput.* 39. *nu.* 4. *vers.* 6. *Soar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *de simon. cap.* 16. *num.* 10. *Azor. instit. moral. p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 5. *Molin. de Iustit. tract.* 2. *disp.* 93. *Ioan. Malder.* 2. 2. *tract.* 9. *cap.* 3. *dub.* 7. *Paul. Laymann in Theologia morali lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* §. 2. *num.* 11. & quod possit quis absque vitio simoniæ aliquid alteri dare, vt peccatum euitet, vel vt opus spirituale faciat, in solius operantis vtilitatem, resoluunt *Soar. d. cap.* 16. *num.* 12. *Less. de Iust. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 12. *nu.* 66.

Filliuc.tract.45.cap.4.quæs.4.num.13. D.Barbos. ad dictum cap.dilectus num. 7. in nouissima impressione.

27 Amplia primò supradicta procedere etiam quando pecunia datur, vt homines alliciantur ad Sacramenta percipienda, & ea religionis, ac virtutis opera facienda, quæ non sunt præcisè de necessitate salutis, vt prædicti Doctores intendunt, quamuis *Hostien. Archid.* & alij, quos refert, & sequitur *Abb. in d.cap.dilectus num.7. Anan. num.5. Silu. verb. simonia q.* 8. existiment non esse licitum dare temporalia hoc pesteriori casu, vt scilicet inuitentur homines ad ea spiritualia, quæ non sunt de necessitate salutis.

28 Amplia secundò etiamsi temporalia dentur Infidelibus ea expressa conditione, aut conuentione, vt ad Fidem conuertantur, adhuc enim simonia nulla erit, sed potius virtus, si is qui dat solam conuentionem, & spiritualem salutem recipientis intendat, quoniam conditio hæc, vel conuentio gratuita est, & liberalis, atque ideo simonia caret quamuis Doctores ferè omnes velint non esse licitum hanc exigere conditionem, vel conuentionem, per *tex. in cap.quam pio, & reg. cap.vlt. de pactis*, quibus tamen respondetur locum habere, quando conditiones reciprocæ sunt, & non gratuitæ, vel tales præsumuntur, non verò in ijs, quæ sunt gratuitæ, & tales apparent, vt suo loco dicemus.

29 Sextò ex dictis colligitur resolutio ad iudicandum in vtroque foro factum, & intentionem dantis temporalia ministris Sacramentorum, & recipientis, quando non apparet qualis fuerit actus, & intentio vtriusque, vt scilicet ex certis probationibus, aut coniecturis hoc colligendum sit, pro qua huius materiæ declaratione huiusmodi coniecturas assignari posse censeo. Prima igitur erit, vt quotiescumque temporalia dantur spiritualium ministris in aliquo actu, vbi honesta dandi, & recipiendi causa accedit, ex data, & recepta iudicandum est: causæ verò honestæ dandi, & recipiendi sunt eleemosyna, pia oblatio, stipendium sustentationis, merces laboris accidentalis, & obligationis subsequutæ, vel iusta con-

suetudo

ſuetudo rationabis, & præſcripta. Si enim tenemur in dubio mali præſumptionem euitare, & bonum credere, multò magis in his caſibus cogemur iudicare homines honeſtos, & fideles ex illa honeſta cauſa diuiſè, quæ in eo actu requiritur, nec putare fas eſſe eum, qui ſanctè dare potuit, & recipere, nefariè tamquam pretium dediſſe, & recepiſſe, niſi contrarium euidenter appareat. Conſtat hoc corolarium quoad ſingulos caſus ex Iuribus clarè in hac re diſponentibus, vt de eleemoſina, & oblatione eſt *textus in cap. placuit. il 2. & in cap. dictum 1. q. 1. & in cap. dilectus 30. de ſimonia*, de ſtipendio, & ſuſtentatione eſt *textus in cap. penultimo 1. q. 2. cap. cum ſecundum, de præbendis*, de conſuetudine eſt *textus in cap. ad Apoſtolicam 42. de ſimonia, vbi gloſ. vlt. & Abbas num. 4* & ideo hanc coniecturam effectu probant *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. & 3. Soto de Iuſtitia lib. 9. q. 6. art. 1. cum ſeqq. Viguer. de Inſtitut. cap. 5. §. 6. verſ. 9. collat. 3. Nauar. in man. cap. 23. ex num.* 100. *Bonac. de ſimonia q. 1. §. 2. verſ. ſecunda eſt*. Quando verò conſuetudo, & ſtatutum permittens aliquid dare miniſtris ſpiritualium iuſta ſit, & obſeruanda dicam infra ſuo loco, interim tamen ſciendum eſt, quod niſi euidenter de eorum iniquitate appareat, excuſabuntur, quia ſubditis non licet de legibus, & conſuetudinibus iudicare, ſed ſecundum eas facere, *cap. erit autem lex 4. diſt.* reſoluit poſt alios *Ant. Gabr. com. opin. lib. 7. tit. de criminal. concl. 2. num.* 8.

30 Secunda coniectura eſt, vt ſi ſpiritualia miniſtrentur eo caſu quod nulla ex prædictis honeſtis cauſis conſiderari poteſt, prout in Epiſcopo Ordinante, Confirmante, Conſecrante, aliouè Prælato, cui illud ſpirituale munus iure incumbit, ſed illud demum in dubium veniat, vtrum liberali, ſeu pio, aut prauo animo temporalia data, aut recepta ſint, ſimonia merito iudicabitur, ſi pactio, conditio, taxatio, aut exactio interueniant. Vbi enim vrgentes, aut veroſimiles mali coniecturæ apparent, non immerito delictum præſumetur, ſiue ad aliquam pœnam, vt frequentius Doctores volunt, ſiue ad omnem, vt alij rectius putant, & probat *text. in cap. afferte*,

& in

*& in cap. litteris, & in cap. tertio loco, de præsumpt. & in cap. dixit Dominus, & ibi glos. verb. suspicio, 32.q.1.cap.cum contumacia 7.de hęret.lib.6.*cum late traditis per *Hippolit.ad rub. C.de probat. num.230. Sarmien. select. lib. 1. cap. 1. Menoch. de arbitr. centur. 5. casu 416. num. 14.* & multò magis id obtinet cum delictum natura sua est difficilis probationis, & occultè fieri solet, *l.dolum, C.de dolo*, facit *cap. veniens 38. de testib.* & quæ scribit *Dec. cons. 342.num.3. Boss.in pract. tit. de partu supposito ex num.33.*est autem simonia inter alia difficillimæ probationis, atque ideo coniecturis, & minus legitimis probationibus iudicatur, *cap.per tuas il 1. de simonia, Menoch. centur.2. casu 116. num. 12. Clar. in pract. §. simonia in fine, Io.Gar.reg.374. in fin.* at verò pactio, conditio, taxatio, & exactio manifestæ sunt simoniæ coniecturæ, indicant enim pro spiritualibus temporalia dari, & recipi, quià venditionis imaginem, & non gratuiti contractus præseferunt, quando eo casu interueniunt, quod nulla temporalis causa reperitur, de qua liceat pacisci, vel ob quam taxatio, aut exactio præmitti debeat, ergo ex ijs simonia recte iudicabitur. Insuper vbi ali-
31 quid iure prohibitum committitur, vel quod mali speciem habeat, prauus animus iudicabitur, *l.1.C.de siccar. Bart.*receptus *in l.si quis ex argent. §. an vero, ff. de eden.* at verò prędicta omnia in spiritualibus iure prohibentur vbi temporale interuenit, quia liberalitaris pręsumptio remouetur, vt probant Iura infra citanda, nec temporalis causa extat, ad quam referri possint, iuxta *cap.vltimum, de pactis*, igitur &c. Tandem vbi aliquid ex ijs interuenit, aliauè honesta causa, nulla est, vt præsupponimus, igitur simonia merito iudicatur. Probatur hæc coniectura, ex *cap.dictum, & ex cap.quampio, & ex cap. sicut, 1.q.2. ex cap. tua nos, de simonia*, ibi, *sine pacto, & conditione, & ex cap. dilectus il 2. in fin.* ibi, *sine taxatione, eodem titulo*.

32 Tertia coniectura est, quod eo casu, quod nec honesta aliqua ex prędictis causis considerari potest, aut aliqua ex prędicti mali coniecturis non apparet, sed sola datio; & receptio

tem-

temporalium cernitur, & an gratis, an verò pro spiritualibus data, aut recepta sint, quæritur, datę rei quantitas, personarum qualitas, & temporis circumstantia inspicienda sint, vt ex ijs, aut liberalis, & pia donatio, aut praua commutatio iudicetur. Probatur coniectura, quia vbi aliæ boni, aut mali coniecturę deficiunt, ex quibus actus definiatur, nulla potest alia considerari ad ipsum iudicandum, nisi dati quantitas, personarum qualitas, & temporis circumstantia, vt rectè intuenti palam fiet, igitur ex alijs actus necessariò iudicari debet: est etiam ad hanc coniecturam probandam manifesta auctoritas *cap. etsi quæstiones, de sim.* quod tunc demum locum habet, cum alię coniecturę, & causę deficiunt, de quibus supra dictum est, & cum nihil aliud in actu cernitur nisi datio, & receptio, vt benè sentit *Abbas ibidem nu. 5.* vide *Bonac. de simonia q. 1. §. 2. vers. tertia coniectura est.* Intellige autem rei datę
33 quantitatem in primis considerandam esse, quia si magna sit, itaut liberalitatis fines videatur excedere, non erit donatio pręsumenda, *argum. text. in l. cum de indebito, ff. de probat. & in cap. super hoc 5. de renunc.* cum ijs, quę congerit *Tiraq. in l. si vnquam, C. de reuoc. donat. verbo donatione largitus ex num. 206.* quę omnia intelligenda sunt, vbi res est magnę
34 quantitatis. Intellige rursus qualitatem personę ita esse considerandam, vt ex ea quantitas data, aut liberalis donatio, aut è contrario iudicetur, etenim personę dignitas, nobilitas, & diuitię in causa sunt, vt magna munera gratis data pręsumantur, *arg. text. in cap. 1. de donat.* docet *Bald. in l. aduersus in fin. C. mandati*, late *Tiraq. de nobilit. cap. 29. num. 37. Baec. de decim. tutor. cap. 9. num. 7. Azeued. l. 21. num. 5. tit. 16. lib. 2. nouæ Recopil.* qui omnes recte docent ex nobilitate, & dignitate personę donationem pręsumi, adducentes *text. in d. cap. & si*
35 *quæstiones*. Itellige etiam qualitatem personę, de qua ille textus agit, non solum nobilitatem, aut dignitatem comprehendere, vt Doctores putant, sed etiam paupertatem, vilitatem, auaritiam, prauam consuetudinem, itaut quemadmodum nobilitas, diuitię, generosus animus, & alia similia donatio-

natio-

nationem arguunt, ita per contrarium paupertas, & alia supra adducta, quę sunt liberalitati contraria, eam pręsumptionem excludunt, etenim ista omnia ad qualitatem personę referuntur. Quod si res adeò fuerit exigua, vt non patiatur sinistram pretij suspicionem, tunc non oportet qualitatem personę expendere, nec enim grauissimum simonię scelus ex vilissimę rei donatione iudicari debet. Deniq; expenditur tempus in eo textu, quando si eo tempore spiritualium minister indigeat temporalibus, quę non potest pretio comparare, vt aliquando contingit Episcopo visitanti, & eius delegatis, qui in ea loca deueniunt, vt sibi necessaria nullo pretio obtinere possint, quo casu pia donatio merito iudicabitur, vt volunt *Doct. in d. cap. & si quæstiones*, quibus adde optimam esse donationis coniecturam consanguinitatem, & antiquam amicitiam, iuxta tradita per *Doct. in cap. requisisti, de testam.* & per *Alciat. de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 32.*

36 Quarta coniectura est, vt si lex temporalia gratis data recipi prohibeat, vel eo casu, quo nulla Iuris committitur simonia, nisi aut ex verbis, aut ex titulo contrarium colligatur, non simonię, sed inobedientię crimen incurritur, quod vel arbitrarijs, vel taxatis ab ipsa lege pœnis mulctabitur. Probatur hęc coniectura ex dictis, & ex eo, quia simonia, vel vera est legibus diuinis contraria, vel prohibita legibus ecclesiasticis tantum, iuxta omnium Doctorum sententiam de quibus infra *par. 2. in princ.* Sed dum supponimus hanc causam, verè non est simonia, quia tamquam pretium spiritualium nihil datur, nec etiam est prohibita lege Canonica, quia non potest hęc dari, nisi in casibus expressis, igitur nisi lex exprimat sola prohibitio humana his casibus simoniam non faciet.

37 Accedit quod in legibus, quę prohibent, aut puniunt ea, quę mala non sunt, nec legibus diuinis aduersantur, semper id, quod est benignius, iudicare debemus, *l. semper in dubijs, l. semper in obscuris, ff. de reg. iur. reg. in pœnis eod. tit. lib. 6.* cum alijs ibidem citatis per *D. Barbosam*, benignius vero est, vt inobedientiæ quis culpam, & pœnam quasi transgressor legis

humanæ

humanæ sustineat quam simoniæ, quæ excommunicatione, priuatione, & alijs acerbissimis pœnis afficitur, igitur dicendum, quod nisi lex aliud velit, nec quoad culpam, nec quoad pœnam simonia iudicabitur. Vnde in *cap. sicut* 1. *q.* 1. *& in cap.* 1. *de simon.* quicunque ex illis ministris gratis oblatum acceperit temporale ante spiritualia de simonia condemnabitur quando ex verbis legis, & ex titulo id colligitur, & ex *Conc. Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 1. Contra verò in *cap. statutum* §. *insuper, de rescrip. lib.* 6. *& in cap.* 1. §. *pen. & in cap. exigit, de censib. eod. lib.* quamuis etiam illi spirituale ministerium exerceant, nisi temporalia spiritualibus hic prohibita recipiant, quia lex id non exprimit, simoniam non committunt, & alijs mitioribus pœnis afficiuntur, quod etiam dicendum est circa Decretum *Conc. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 18.

SVMMARIVM.

1 Simonia est pro actibus spiritualibus temporalia quasi pretium recipere, potest tamen accipi ad sustentationem, & quasi stipendium iustum, seu gratis datum.

2 Pro oratione, aut prædicatione pecunia recipi, aut dari non potest.

3 Pauperi potest pecunia dari, vt ad orandum alliciatur.

4 Prædicanti pauperi potest pecunia dari ad sustentationem, ita tamen vt ne pacto fiat taxatio.

5 Pro ipsa concione nihil accipi potest cum sit actus sacer, & opus proprium, & principale Dei.

6 Stipendium sustentationis constitui, & de eo pacisci potest, quando pauperibus ad orandum certis diebus, certis etiam Ecclesijs, & tempore imponitur obligatio.

7 Pauperes ad Ecclesiarum porticus sedentes non sine auaritiæ manifesta præsumptione inuitant ingredientes, vt certas orationes illos dicere iubeant, & pretium licet paruum pro ipsis exigunt.

8 Canonicis, alijsue clericis, quibus in officio incumbit Horas

Canonicas, seu diuinas laudes in choro proferre, temporales licet accipere distributiones.

9 Canonicorum intentio qualis esse debeat cum ad suum munus peragendum Ecclesias adeunt, ostenditur, & num. 10.

11 Temporalia pro Religione accipere non licet, præsertim si pactio, vel exactio interueniat.

12 In receptione ad Religionem duo requiruntur, alterum receptio ipsa, & ius intrandi, & manendi in Monasterio, quod est spirituale, & pro quo temporalia recipi non possunt, alterum sustentatio Religiosi, quod est temporale.

13 Simonia duplex in receptione ad Religionem considerari potest, altera vera legibus diuinis interdicta, altera legibus tantùm humanis prohibita.

14 Simonia vera committitur si ab ingrediente temporale exigatur pro ipso ingressu.

15 Temporale recipi non potest ab ingrediente Monasterium, etiam sustentationis, aut paupertatis titulo, pie vero oblatum sine exactione, aut pactione recipi potest.

16 Declaratur tex. in cap. quoniam, de simon.

17 Moniales ex priuilegio Innoc. VIII. non incurrunt labem simoniæ si accipiant dotes ob ingressum aliarum in Monasterium excepto duplici casu, de quo ibi.

18 Pro exequijs mortuorum temporale quicquam exigi non potest, absque vitio simoniæ, nisi liberè, & piè offerantur.

19 Exequijs mortuorum peractis possunt officio Iudicis compelli hæredes, vel executores, vt laudabilem consuetudinem obseruent, & consuetas oblationes persoluant.

20 Actus omnis iurisdictionis Ecclesiasticæ, non possunt absque simonia pretio æstimari.

21 Simoniacum est pretium dare, vel accipere pro absolutione à peccatis.

22 Prælatus, qui pretio vices suas, aliudue spirituale munus alicui demandauerit, veram simoniam committit.

23 Prælatus temporales vices, si temporale habeat dominium, vel iurisdictionem, absque simonia pretio dare poterit.

24 Si-

24 *Simoniæ crimen erit, si Prælatus pro licentia docendi pecuniam exigat, si scientiæ fuerint ecclesiasticæ, & piæ, secus si temporales.*

25 *Prælatus, qui clericis suis subditis licentiam pretio concesserit ad studia litterarum, crimen simoniæ incurrit.*

26 *Episcopis, eorumue Visitatoribus non licet aliquid temporale ratione visitationis, aut ad alicuius actus ad illud munus pertinentis, absque simonia recipere.*

27 *Procurationes temporales ad sustentutionem Iure constitutæ sunt dum Episcopus personaliter visitat, vel si iustum habeat impedimentum per alium id faciat.*

28 *Episcopus quamuis redditibus abundet non ideo recipiendo procurationem consuetam simoniam committit.*

29 *Examinatores siue à Iure communi, siue à Concilio Trid. deputati veram simoniam committunt, si aliquid temporale ab examinatis recipiant.*

30 *Simoniacus est clericus temporale aliquid recipiens, vt peccatum alterius celet, aut non denunciet, item si Prælatus, vt subditum non corrigat, intelligendo, vt num. 32.*

31 *Peccatum alterius pretio celare, seu non corrigere duobus modis contingere potest.*

33 *Simonia committitur si propter confirmationem beneficij, inuestituram, aut possessionem tradendam, seu propter receptionem in Canonicum, aut velum Moniali concedendum aliquid temporale exigatur.*

34 *Beneficio vacanti si aliquod onus temporale impositum sit, quod certa pars fructuum, aut pecuniæ quantitas in pios vsus reseruetur, vel ad sustentationem ministrorum nulla facta conuentione, id erit ab omni mali suspicione alienum.*

35 *Constitutiones, & consuetudines, quibus aliquid temporale in vsus non pios ante, vel post spiritualia exigitur, vel etiam ad pios per spiritualium subtractionem extorquetur, sacris Canonibus improbantur.*

36 *Simonia committitur si actus officiorum spiritualiũ vendantur.*

37 *Prima Tonsura secundum Theologos non est Ordo, sed quædam*

ad Ordines, & spiritualia munera dispositio.

38 Simoniam committens in prima Tonsura non incurrit excommunicationem.

39 Milites Cruciferi absque simonia operas suas ad bellum locare possunt.

ARTIC. III.

Vtrum liceat spiritualibus per effectum temporale dare, aut recipere.

1 VONIAM tertia spiritualium species est eorum, quæ per effectum sunt talia, prout omnes actus ab spiritualibus supernaturalibus producti, merito tertio loco de his quæritur, & resoluendum pro actibus spiritualibus temporalia quasi pretium recipere esse simoniam, ad sustentationem vero, & quasi stipendium iustum, seu gratis datum recte accipi. Ratio huius resolutionis est, quia tam in spiritualibus actibus supernaturalibus, quàm etiam in reliquis spiritualibus per causam, aut per essentiam distinguendum est, vtrum in eis temporalia dentur ratione pretij, an vero ratione stipendij, vel sustentationis, vel gratis, ad quæ tria reducuntur omnes iustæ causæ ob quas temporalia spiritualium ministris rectè dantur, prout est eleemosyna, oblatio, lex, & consuetudo: si dentur ratione pretij semper erit simonia, sin autem ratione iusti stipendij, sustentationis, vel gratis simonia nulla erit etiam lege humana prohibita, nisi pactio, conditio, vel taxatio, aut exactio interueniant in illis casibus, in quibus nec ratione laboris accidentalis, nec alicuius temporalis obligationis pactio honesta fit, vt resoluunt *Caiet. 2.2.q.100.art.3. dub.2. Victor. in 2.p.de simonia num.19. Sot. de Iust.lib.9.q.6,art.2.* & ita intelligendus est *S.Tho.quodlib.8.*

art. 2. & *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. Quibus adde oportere, vt
adsit debita intentio in dante, & recipiente temporalia ob illas
iustas causas, erit sufficiens intentio, vt actus bonus sit si actua-
liter non sit mala, sed virtualiter bona, quoniam virtualis in-
tentio sufficit, videlicet quando quis de bono fine actualiter
non cogitat. Facit tamen illud, quod de bono fine recte fieri
potest, iuxta tradita per *Sot. in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 8.
2 Ex dictis iam primò infertur pro oratione, aut prædicatio-
ne, quoniam actiones sunt spirituales, pecuniam recipi, aut
3 dari non posse, posse tamen pauperi, vt ad orandum allicia-
4 tur, dari eleemosynam, prædicanti vero ad sustentationem,
ita tamen vt nec pacto fiat taxatio, quoniam venditionis, &
pretij speciem haberet. Ita *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. &
in 4. *dist.* 25. *q.* 3. *Palud. ibid. q.* 5. *vers. item oratio*, & *Durand.*
q. 3. *num.* 14. *Astens. in sum. lib.* 6. *tit.* 1. *Angel. verbo simonia*
in 2. *num.* 9. *Sot. de Iust. lib.* 9. *q.* 6. *art.* 2. *ad* 1. *Nau. in man. cap.*
23. *num.* 101, *Soar. tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de simon. cap.* 15. *nu.* 9.
Bonacin. de simon. q. 4. §. 5. *num.* 3. *Paul. Laymann in Theolog.*
morali lib. 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* §. 4. *num.* 32. & 38. Et quod pro
5 ipsa concione nihil accipi possit, cum sit actus sacer, & opus
proprium, & principale Dei, obseruant ex aliis *Soar. d. lib.* 4.
cap. 18. *num.* 22. *Filliuc. tom.* 3. *tract.* 45. *quæst.* 8. *nu.* 32. *Bonacin.*
6 *d. q.* 4. §. 10. *num.* 8. Quæ sanè vera sunt, & extra controuer-
siam quando nulla pauperibus ad orandum certis diebus, certis
etiam Ecclesijs, & tempore imponitur obligatio, prout fit cum
mulieres ad orandum in certis Ecclesijs destinantur, item cum
aliquis ad prædicandum per annum, aliudue tempus se obstrin-
git, his enim stipendium sustentationis constitui potest, & de
eo pacisci, vt vsus obseruat, quoniam labor ille accidentalis,
& obligatio pretio æstimabilis est, vt rectè probat *Caiet. d. q.*
100. *art.* 3. *dub.* 2. *vers. patet ergo*, *Viguer. de institut. cap.* 5.
§. 6. *vers.* 9. *col.* 3. *Sot. citato loco*. Illud autem quod aliqui
tradunt videlicet non licere de oratione, aut prædicatione
pacisci, ita exaudiendum est, vt locum habeat cum ad vni-
cum orandi, vel prædicandi actum quis vocatur, nec extra

locum

locum domicilij longe mittitur, quia tunc nullus accidentalis labor ab opere spirituali distinctus, & pretio æstimabilis repe-
7 ritur. Nec absque saltem auaritiæ manifesta præsumptione fieri potest illud, quod communiter obseruari vidimus, & abusus vbique seruat, vt pauperes ad Ecclesiarum porticus sedentes inuitent ingredientes, vt certas orationes illas dicere iubeant, & pretium licet paruum pro ipsis exigunt, est enim hoc venditioni maxime simile, atque ideo ab Ecclesia abijciendum; tunc etiam illud, quod pauperes certo statuto pretio ad orandum ad ostium cuiusq; domus quotidiè pro certis diebus, vel mensibus conducuntur, licet enim labor ille, & obligatio accidentalis sit, tantum abest, vt orationi prosit, vel conueniat, vt plane sit contraria, atque ideo non bene pretio æstimantur, & manifestum præseferunt scandalum.

8 Secundò infertur, licitum esse Canonicis, alijsue clericis, quibus ex officio incumbit Horas Canonicas, seu diuinas laudes in choro proferre, temporales accipere distributiones. Diximus licitum esse ad sustentationem temporalia accipere his, qui spirituales actus exercent, sed distributiones dantur ad sustentationem, & ideo victualia, & manualia appellantur in *in cap. de cætero, de cleric. non resid. & in cap. olim 16. de verb. signif. & in cap. vnic. de cleric. non resident. lib. 6.* ergo non est dubium quin id liceat.

9 Verum dubitari solet qualis esse debeat eorum intentio cum ad illud munus peragendum Ecclesias adeunt: qua in re *glos. pen. verbo receperint, in d. cap. vnic.* existimat eos peccare, & simoniam mentalem committere, si principaliter propter distributiones id faciant, sin autem ad Ecclesias accedunt, vt suo muneri satisfaciant, & minus principaliter propter illa temporalia, sunt tuti in Conscientia, glossam sequuntur omnes ibdem *Abb. num. 3. Anan. num. 2. Felin.* & reliqui omnes in *cap. suam, de simon.* idem *Abb. in cap. significatum num. 8. de præbend. Siluest. in sum. verbo simonia q. 9. Nauar. in cap. vlt. nu. 56. de Pœnit. dist. 5. Cou. lib. 1. var. cap. 20. num. 5. Monet. de distribut. quotid. p. 2. q. 18. nu. 32. Vgolin. de censur. tab. 4. cap. 7. §. 2. num. 5.*

num.5.Ioan.Valer. de different. inter vtrumque forum, verbo simonia, differ.10. & alij, quos refert *D.Barbos. in collect.ad d. cap. vnic. num.28.*& nouissime *de Iure Eccl.in cap.de Canonicis.*

10 Hæc tamen sententia, nisi bene explicetur, vera non est, etenim si quis principaliter ad diuinas Horas moueatur propter temporales distributiones non ideo simoniam committit, quia non pro ipsis quasi pretio operis id agit, sed propter ipsas impellitur;porro causa impulsiua licet ea sit,quam si remoueas quis non esset facturus, & dicatur causa sine qua non, multum tamen à primo fine, seu à causa finali distat, vt explicant *Maior. in 4.dist. 15.q.29. Nau. in cap. inter verba 11.q.3. corol.4.Cou.d.loco num.2.* idque exemplis manifestum fit; patet enim quod si quis ab alio petat, vt pium opus in indigentem exerceat, vel Parochus orationes pro viuis, aut defunctis fieri iubeat, certum est illum non esse facturum ea pia opera, nisi ea ab ipso alius peteret, & ob eam petitionem principaliter mouetur, falsum est tamen finem illius operis pij esse petitionem, sed potius charitatem, & Dei obsequium. Id ipsum alijs exemplis probant citati Doctores, & colligitur ex vulgari *l. 1. §.sexum, ff. de postulando*, vt expendit *Cou. dicto loco*, Finalis verò causa est non quæ agentem mouet, sed in quam eius intentio principaliter dirigitur, atque ideo licet Canonicus ob distributiones principaliter moueatur, si tamen in illas eius intentio tanquam in pretium operis non dirigatur, nulla est culpa; cum autem actus humani non ex causis impulsiuis, sed ex causis finalibus, in quas intentio fertur, speciem sortiantur iuxta supra dicta.Quod si per contrarium beneficiarius in distributiones tanquam in proximum, & immediatum operis finem suam dirigat intentionem, & ita ex pretio velut ex causa finali moueatur, simoniam incurrit, quia iam spiritualia pro temporalibus commutantur, & hoc modo explicanda est dicta *glos. verbo receperit*, prout eam benè intelligit *D.August. Barbosa in d.cap. vnico num.29.*

11 Tertiò infertur licitum non esse pro Religione temporalia accipere, præsertim si pactio, vel exactio interueniat. Diximus

mus licitum non esse pro actibus spiritualibus temporalia accipere in ratione pretij, sed receptio Religionis actus est spiritualis ex parte principij, & finis. Igitur, &c. Accedit quod dare temporale pro spirituali, vel recipere nihil aliud significat in sacris Canonibus, quam commutationem quandam spiritualium cum temporalibus, vt probat *cap.placuit*, *cap.statuimus*, & ferè omnia *1.q.1.* hæc autem datur vbi temporale pro Religione recipitur. Igitur, &c. Probant corol.*tex.in cap. quam pio, & in cap.nullus* 1.*q.2.cap.non satis*, *cap. quoniam*, *cap.audiuimus*, *de simon. Extrauag. 1. eodem tit. inter commun. Bonac.de simon.q.4.*§.8.*Paul.Laymann in Theologia morali lib.4.tract.*10. *cap.vlt.* §.4.*num.39.*

12 Pro clariori tamen huius dubij explicatione aduertere oportet in receptione ad Religionem duo requiri, alterum receptionem ipsam, & ius intrandi, & manendi in Monasterio ad perpetuum Religionis obsequium, alterum sustentationem Religiosi, & onus, quod Monasterium suscipit ad necessaria perpetuò ministranda, prius est spirituale, pro quo temporalia recipi non possunt, posterius est omnino temporale ab omni Iure spirituali distinctum per se; pro quo non repugnat tem-
13 porale dari. Deinde aduertendum duplicem etiam in hac receptione simoniam considerari posse, alteram veram legibus diuinis interdictam, quæ in venditione spiritualium consistit, alteram legibus tantùm humanis prohibitam, quæ sine spiritualium venditione contrahitur.

14 Quo supposito resoluendum, quod si ab ingrediente temporale exigatur pro ipso ingressu vera committitur simonia, contra diuinas leges, si autem ad sustentationem, vel vt Monasterium commodius valeat temporale onus, quod suscepit, adimplere, à parte rei vera simonia esse non potest, quæ legibus diuinis prohibeatur, quia nihil hic spirituale pretio æstimatur, si recta sit intentio, nec refert an diues, vel pauper sit Monasterium, quia siue diues sit, siue locuples poterit aliquid pro sustentatione ingredientis Religionem recipere ob necessitatē absque incursu excommunicationis comminatæ in

d.Ex-

d. Extrauag. 1. de simon. inter commun. vt bene resoluunt *Siluest. in sum. verbo simonia num. 15. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 6. art. 2. art. 4. Fr. Ludou. Miranda de sacris Monialibus q. 8. art. 7. q. 2. Binzfel. in cap. 9. de simon. q. 1. concl. 2. Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 17. num. 7. Paul. Laymann d. §. 4. num. 36. vers. altera*, quamuis in foro exteriori ratio paupertatis mali præsumptionem magis tollat. Nec item refert vtrum temporalia exigantur ante receptionem, vel post, vt male aliqui Doctores distinguunt, cum in vtroque casu sit eadem ratio.

15 Attamen quia hac honesta causa homines passim abutebantur, multasq; illicitas auaritia, cupiditate, scandaloq; plenas exactiones, & pactiones faciebant, ne sub eo prætextu, aut simoniam, aut auaritiam suam protegerent, & propter nimiam huius criminis frequentiam sacri Canones constituerunt, ne ab ingrediente Monasterium temporale aliquid recipiatur, etiam sustentationis, aut paupertatis titulo, piè vero oblatum sine exactione, aut pactione recipi posse, iuxta *cap. tua nos, de simon. d. Extrauag. 1. eodem tit. inter communes*. Vnde qui ali-
16 quid exegerit temporale, vel per pactum receperit, quantumuis protestaretur se ad sustentationem id agere, simoniam prohibitam perpatrabit contra leges Canonicas; *tex.* enim *in d. cap. quoniam*, indistincte omnem receptionem prohibuit, vt omnem prorsus peccandi occasionem auferret, vt eius verba euincunt, & citata verba *Extrauag.* quibus minime satisfaciunt Doctores asserentes licitum esse ratione paupertatis exigere temporale ad sustentationem, aut etiam pacisci, dum intelligunt *tex. in d. cap. quoniam.* agere eo casu, quo in fraudem tantum temporalia exiguntur, aut, vt alij volunt, præcedente pacto, prout post alios declarant *Siluest. & Sot. vbi supra.* Refellitur enim eorum intellectus ex eo quia nec *tex.* de pactione agit, nec eam tantum receptionem prohibet, quam in fraudem fieri constaret, sed omnem prorsus exactionem ne forte in fraudem sit, & eo honesto prætextu celetur simonia. Nec etiam intelligas *tex.* ibi definitiue iudicare, aut præsumere veram simoniam ea receptione committi, & fieri quasi pretium spi-

ritualium, id enim ad eam prohibitionem faciendam necessarium non erat, sed suppositiuè lex iudicat, & præsumit, cauens ne forte committatur. Cum ergo in ea receptione, quæ à Monasterijs fit, vt commodius possit ingrediens sustentari, solum committatur simonia prohibita, poterit contraria consuetudine illa receptio cohonestari, quatenus tantum legi humanæ aduersatur; cuius consuetudinis triplex ratio reddi potest, vt defendatur, prima vt latior pateat aditus ad illum perfectissimum Religionis statum, secunda quia à pia, & liberali ingredientium deuotione potuit initium habere, quo casu iusta est, & necessitatem imponit, vt probat *tex. in cap. ad Apostolicam, de simon.* tertia quia omnia ferè Monasteria non tot habent redditus, vt possint omnes gratis recipere sine temporali sustentatione; quibus addo Sedis Apostol. ac Prælatorum omnium scientiam, & tolerantiam, quæ approbationem consuetudinis, & aliquando dispensationem faciunt, iuxta *cap. quod dilecto, de consanguin.* quo pacto egregie consuetudinem defendit *Felin in d. cap. quoniam, ad fin.*

27 Quoad Moniales Innocentius VIII. priuilegium illis concessit non incurrendi labem simoniæ si accipiant dotes ob ingressum aliarum in Monasterium, excepto duplici casu, quorum vnus est si pactum ineant de aliquid dando, vel soluendo pro ingressu in Religionem, alter si recipiant inhabilem ob spem habendi aliquid, tunc enim sufficienter constat inhabilem non recipi, nisi ob spem habendi aliquid pro ingressu. Præterea ad tollendos scrupulos simoniæ, quibus Moniales vexabantur in recipiendis fœminis in Monasterium, Clem. VII. indulsit Monialibus, vt reæ non sint labis simoniæ, dum conuentiones faciunt circa dotem recipiendam pro congruenti, & sufficienti sustentatione; hæc & alia priuilegia referunt *Nauar. in man. cap. 27. num. 106 excom. 20. Capuccin. in compend. priuileg. verbo Moniales num. 16. & 31. Ludouic. Miranda de sacris Monialibus q. 8. art. 7. concl. 1. Less. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 13. num. 131.* & demum id comprobari communi Ecclesiæ vsu, & consuetudine tradunt *Surd. de aliment. tit. 9. q. 27. num. 5.*

num.5.Soar.de Relig.tom.3.lib.5.cap.9.num.15. Barthol. de Vecchis in praxi obseruanda in admittendis ad Religionis statum nouit.disp.1.dub.3.num.5.

18 Quartò infertur resolutio ad quæstionem illam, an & quando pro exequijs mortuorum aliquid temporale exigi possit, laudabilesq; consuetudines sint obseruandæ? in qua communis Doctorum sententia tenet pro ipsis exequijs, quoniam actiones sunt spirituales, temporale quicquam exigi non posse absque vitio simoniæ, vt probant *cap.cum Ecclesia 9. de simon. cap. non satis 8. ad finem, eodem tit. cap.penult. de sepultur.* Si tamen liberè, & piè offerre consueuit, posse recipi etiam tempore, quo exequiæ, & alia spiritualia ministrantur, quod si eo tempore non offerantur peractis liberè exequijs poterunt offi-
19 cio Iudicis compellere hæredes, vel executores, vt laudabilem consuetudinem obseruent, & consuetas oblationes persoluant, itaut quando spiritualia ministrantur, etiam prætextu consuetudinis exigere non liceat, ne pignus, aut cautionem petere, postea verò officio Iudicis liceat ad obseruantiam consuetudinis agere, quæ si ab exactionibus initium habuit, tanquam irrationabilis non excusabit, quo casu intelligenda sunt auctoritates, & Iura, quibus consuetudines improbantur. Sin autem à pia fidelium deuotione incæperint, laudabiles erunt, & obseruandæ, & sic procedit *tex.in cap.ad Apostolicam 42.de simon.* ita *glos. verbo laudabilem ibi*, & post *Host.* & alios antiquos, resoluit *Abb.ibidem col.fin. Anan.num.6.* testatur communem *Felin.nu.2.* eandem etiam resolutionem latius probant idem *Abb.Anan. & Felin.in cap.suam, eodem tit. de simonia*, & colligitur ex *S.Thom.2.2.q.100.art.3.in corpore, S.Antonin.p.2. tit.1.cap.5.§.22.Siluest. in sum.verbo simonia q.11.Sot.de Iust. lib.9.q.6.art.2.*

20 Quintò infertur idem fore iudicandum de omnibus actibus iurisdictionis Ecclesiasticæ, ac de reliquis spiritualibus, vt non possint absque simonia pretio æstimari quoniam à potestate spirituali supernaturali procedunt. Vnde fit, vt simoniam incurrat quilibet Prælatus, aut Iudex Ecclesiasticus, qui senten-

tiam, at alium quemcunque actum iurisdictionis Ecclesiasticæ contentiosæ, aut voluntariæ pretio ministrauerit, sicut & ille, qui pro excommunicationis absolutione, vel dispensatione pecuniam receperit. nec refert an circa res spirituales, an vero circa temporales natura sua, quales sunt causæ ciuiles, aut criminales Ecclesiarum, aut clericorum Ecclesiastica iurisdictio exerceatur: cum enim omnes actus illi Clauium potestate expediantur, & à supernaturali principio emanent, nunquam pretio poterunt æstimari. Probant corol. *cap. ad nostram, cap. consulere, de simon. cap. 1. cum seq. ne Prælati vices suas, cap. 1. & 2. de Magistr. glos.* recepta, & ibidem *Præpos. num. 7. in cap. vendentis 1. q. 3. Doctores per tex. ibi in cap. recte 11. q. 3. Theologi in 4. dist. 25. q. 3. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. S. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 17. ad fin. Siluest. in sum. verbo simonia q. 10. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 6. art. 2. ad 3. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 20. num. 8. & cap. 29. num. 3. Bonacin. de simon. q. 4. §. 17. ex num. 3. Sbroz. de officio Vicarij lib. 3. q. 54. Paul. Laymann in Theolog. morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 4. num. 40.* Et sic intelligenda est *glos. 1. ad finem in cap. 2. ne Prælati vices suas*, in illis verbis, *maxime cum iurisdictio sit spiritualis*, quibus videtur significare, etiam temporalem iurisdictionem, seu actum ipsius absque simonia vendi non posse, quod verum non est siquidem temporalis iurisdictio, quamuis absque culpa non possit vendi propter Iuris prohibitionem, de qua in *Auth. vt Iudices sine quoquo suffragio, in princip. collat. 2.* & resoluunt *Innoc.* receptus in *cap. 1. ne Prælati vices suas*, & ibidem *Abb. num. 1. Anan. nu. 3.* & diximus supra *art. 1.* nihilominus absque simonia venditur, quia nulla ratione actus spiritualis supernaturalis dici potest. Vnde quod illa *glos.* ait, intelligendum est de iurisdictione Ecclesiastica, & spirituali, quæ circa res, & causas sua natura temporales exercetur, appellatur enim à *glos.* temporalis iurisdictio, hæc, scilicet materialiter, formaliter verò spiritualis est, quia spirituali illa potestate supernaturali, quam Summus Pont. habet, potest ille, & reliqui Prælati de temporalibus iudicare quoties ad spiritualium gubernatio-

nationem id fuerit necessarium, quod naturalis ratio, & ciuilis suadet, de qua in *l.1.ff.de iurisd.omn. Iudicum*, *& in cap. præterea, de offic. delegati*, obseruant *Victor.in relect.de potest. Ecclesiæ 3.p.in §.deseruimus, per tot.Sot.de Iustit.lib.3.q.4.art. 1. Nau.in cap. nouit, de iudic.notab.3. num.97.* qua ratione cum de temporalibus iure suo iudicant, spiritualem potestatem exercent, & hoc videntur sentire *Abb. Anan. & alij Doctores in d. cap.2.* quatenus ad *glos.* defensionem aiunt intelligendam esse de temporali iurisdictione, quæ habet dependentiam à spirituali, licet enim ineptis vtantur verbis, quia iam talis potestas spiritualis est, non temporalis, sensus bonus esse videtur si prædicto modo accipiatur.

21 Ex quibus consequitur simoniacum esse pretium dare, vel accipere pro absolutione à peccatis, *cap.nemo, cap.Presbyterorum, de simon.* pro delegatione facultatis ad audiendas Confessiones, vel data alicui licentia eligendi Confessorem, *Soar. d.lib.4.de simon. cap.19.num.5. Paul.Laymann d.§.4. num.40.*

22 Consequitur quoque veram simoniam committere Prælatum, qui pretio vices suas, aliudué spirituale munus alicui demandauerit, *cap.1.& 2. ne Prælati vices suas*; temporales vero vi-

23 ces, si temporale habeat dominium, vel iurisdictionem, vt in *cap. in Archiepiscopatu, de raptorib.* absque simonia pretio dabit, non tamen sine culpa, *Soar.de Relig. tom.1.lib.4.de simon. cap.29.num.3.D.August.Barbos.in collect.ad cap. consulere 38. num.2.de simonia,Paul.Laymann in Theolog.morali lib.4.tract. 10. cap.vlt. §.4.num.40.*

24 Deinde consequitur simoniæ crimen esse si Prælatus pro licentia docendi pecuniam exigat, est enim actus potestatis spiritualis, quod probat *cap.1.de magist.* quatenus eisdem pœnis hoc casu Prælatos afficit, qui contra simoniacos statutæ sunt, & colligitur ex *cap.2.eod.tit.* ibi, *gratis accipistis, &c. Paul. Laymann d.§.4. num.31.* quamuis *glos. verbo consuetudinis in d.cap.1.* credat non veram simoniam, sed quasi in ea licentia pretio concedenda committi, cuius sententiam Doctores omnes ibidem probant, vt per *Abb.num.3.Felin.num.4.& Host.*

turpe

turpe lucrum appellat, probat *Siluest. in sum. verbo Doctor. q. 11. in princip.* Nam hoc casu non committi simoniam rectius tenent Doctores communiter, vt per *Valent. tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 2. col. 3. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 23. nu. 112. Azor. instit. moral. p. 3. lib. 12. de simon. cap. 18. q. 6. Less. de Iust. lib. 2. cap. 35. dub. 13. num. 74. Filliuc. tract. 45. cap. 2. quæst. 5. Bonacin. var. tract. vbi de simonia q. 4. §. 10. ex num. 1.* & alij plures citati per *D. August. Barbos. in collect. ad d. cap. 1. de Magistr. num.* 8. De plano communis hæc sententia procedit in licentia docendi scientias temporales, quam Prælatus tanquam dominus temporalis concedit, prout est Ius Ciuile, Medicina, & similes, quoniam Prælati ex vi Ecclesiasticæ potestatis facultatem ad has scientias docendas non concedunt, sed pertinet hoc ad temporalem potestatem, *l. 1. ff. de decret. ab ordine faciend. l. magistros, C. de professor. lib. 10.* Si autem scientiæ fuerint Ecclesiasticæ, & piæ, de quibus in *cap. si quis artem 37. dist.* auctoritate Ecclesiastica doceri debet, & gradus concedi, prout est Theologia, & Ius Pontificium, iuxta *tex. in cap. de quibusdam, eadem dist. & in cap. pen. de magistr.* atque ideo simoniam committet Prælatus, qui licentiam docendi has scien-

25 tias pretio emerit. Pari ratione dicendum est simoniæ crimen incurrere Prælatum, qui clericis suis subditis licentiam pretio concesserit ad studia litterarum, aut per quinquennium, iuxta *cap. vlt. de Magistr.* aut per septennium, iuxta *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* aut per decennium, iuxta aliquarum Academiarum indulta, quod probat *Card. Anan.* post *Ioan. Andr. in cap. 2. de Magistr. Archid. Turrec. & Præposit. in d. cap. de quibusdam.* Quamuis *Innoc.* ibidem, quem reliqui Doctores frequentius sequuntur in *d. cap. 2.* velint hoc casu veram simoniam non committi, sequitur *Angel. verbo Magister num. 15.* quorum sententia probabilis non est, siquidem licentia illa actus est Ecclesiasticæ potestatis, & dispensationis similis.

26 Tandem ex eisdem patet non licere Episcopis, eorumuè Visitatoribus aliquid temporale ratione visitationis, aut alicuius actus ad illud munus pertinentis, absque simonia recipere quo-

niam

niam ſpiritualem poteſtatem exercent, quod manifeſtum eſt, ex *S. Thom. Palud. Antonin. Sot.* & omnes Theologi ſupra citatis locis pro comperto habent. Sin autem gratis oblatum accipiant, & alia ratione, quam pro pretio ſpiritualium ſimoniam non committunt, ſed aliud peccatum graue, & incurrunt pœnas illas, de quibus in *cap. 1. & 2. de cenſib. in 6. & in Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 3.* Nec refert quod procurationes temporales ab Eccleſijs, & Monaſterijs licite recipiunt,
27 vt citata Iura probant, quoniam illæ ad ſuſtentationem Iure conſtitutæ ſunt dum Epiſcopus perſonaliter viſitat, *cap. cum venerabilis, cap. procurationes, de cenſib.* vel ſi iuſtum habet impedimentum, & per alium id faciat *Concil. Trid.* vbi ſupra, & generali conſuetudine receptum eſt, vt etiam per alios viſitantes Prælati procurationes habeant, intelligenda tamen conſuetudo dummodo legitimum habeant impedimentum, aliàs per alios viſitantes præcepto non ſatisfacient, nec procurationes licitè recipient, vt ex decreto Concilij colligitur, & probant Iura præcitata, & Doctores omnes ibidem, adhuc tamen in pleriſque locis obtinet, vt quædam procurationes maiores, quę collectæ nuncupantur, non dentur Epiſcopis niſi ad ea perſonaliter accedant, quantumuis ſint impediti, quod iuſtum eſt, & Iuri communi maxime conſentaneum. Adde quod licet Epi-
28 ſcopus redditibus abundet, non ideo recipiendo procurationem conſuetam ſimoniam committit, quia à principio ad ſuſtentationem viſitantium inſtituta eſt, & licet poſtea redditus creuerint, rationem non mutat, aliàs idem foret dicendum de alijs temporalibus, quæ vltra decimas recipiuntur, quod eſt planè abſurdum, quamuis *Sot.* exiſtimet non eſſe eo caſu tutum procurationem recipere.
29 Adde etiam veram ſimoniam committere examinatores ſiue à Iure communi deputati, vt in *cap. ad hæc, de officio Archid.* ibi, *examinatio clericorum*, ſiue ex decreto *Concilij Trid. ſeſſ. 24. de reform cap. 18. verſ. caueantq; ne quicquam prorſus*, de quo vide *Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de ſimonia cap. 49. num. 2. Maſſobr. in praxi habendi concurſum requiſ. 15.* & alios plures, quos

quos refert *D.August.Barbos. de de officio, & potestat. Episcopi p.3.alleg.60.num.52.*

30 Sextò infertur simoniacum esse si clericus temporale aliquid recipiat, vt peccatum alterius celet, aut non denuntiet, item si Prælatus vt subditum non corrigat, vt probat *tex.in cap. nemo 14.de simon.* & tradunt *glos. ibidem verbo celet, Host. Abb. Card.Felin. D.August.Barbos.* & ferè omnes Doctores in illo *text.S.Tho.2.2.q.100.art.3.ad 3.& in 4.dist.25.q.5.*vbi *Palud.* & omnes alij Theologi, *Angel. in sum. verbo simonia 3.nu.42. Siluest. eodem verbo q.6.vers.5. Sot.de Iustit. lib.9. q. 6. art.2. ad 3.arg.* conferunt Doctores eandem sententiam ea ratione, quod quemadmodum actus denũtiandi modo debito, est actus spiritualis, sic etiam actus celandi, & corrigendi ad iurisdictionem pertinet spiritualem, sic etiam non corrigere, & ideo neutrum absque simonia venditur, vt habet *d.cap.nemo, in fine.*

31 Verum hæc resolutio non videtur sic indistincte vera, quia vbi aliquis pretium recipit, vt non denuntiet, seu vt non corrigat, plane nihil spirituale dat, aut promittit, sed tantum omittit facere, omissio autem curæ cum nullum habeat actum positiuum simoniam facere non potest, quia nihil ibi existit, aut fit spirituale. Quare pro exacta huius materiæ explicatione dicendum est duobus modis posse contingere, vt aliquis pretio peccatum alterius celet, seu non corrigat, aut per omissionem puram, cum scilicet non denuntiat, aut correctionem omittit, absque vllo facto positiuo, vel per actum aliquem positiuum, vt si Parochus subditis persuadeat, vel præcipiat ne denuntient, cuius persuasionem actum spiritualem appellat *S.Antonin.d.§.17.* vel à Prælato, & eius ministris obtinet, vt denuntiati nomen, aut non scribant, aut de libris deleant, sic etiam cum Prælatus, aut Iudex, & clericus pretio subditum criminosum à pœna absoluit, crimen ipsum condonat, impunitatem concedit, aut præcipit ne aduersus illum pro eo crimine procedatur, vel ad tempus, aut in perpetum, his enim modis, & alijs similibus, ita à correctione absistit, vt actum sui muneris, aut iurisdictionis Ecclesiasticæ positiuè gerat.

32 Qui-

32 Quibus præhabitis resoluendum est, quod si priori modo per puram omissionem quis aut non denuntiet peccatum, aut non corrigat quamuis ob id pretium recipiat peccabit quidem grauiter, verumtamen simoniam non committet, & hoc casu procedit sententia *Innoc.* & antiquorum rationes, ac argumenta contra communem adducta. Posteriori vero modo si per actum aliquem positiuum id fiat, simonia erit, quia verè spiritualia pretio æstimantur, & hoc casu locum habet *tex. in cap. nemo, & in d. §. qui autem*, ac communis sententia Theologorum, & Canonistarum de qua supra, & huic posteriori membro distinctionis contraueniunt verba *tex. in d. cap. nemo*, tam in prima, quàm in secunda parte, agit enim in principio de clerico, qui pretio apud Episcopum, & eius ministrum publicum peccatorem celat, quòd planè fit per actum positiuum, nec agit *tex.* de quolibet priuato, qui pretio à denuntiando abstinet. Rursus in fine agit *tex.* de Prælato, qui minus digne pœnitentem ad reconciliationem admittit, vel pœnitentem non admittit, hoc est repellit per sententiam, vel decretum, in quo spiritualis actus venditur, nec enim minus spiritualis est actus potestatis Ecclesiasticæ negatiuus, quam affirmatiuus, & hoc non obscuris verbis videtur sentisse *d. q. 9. vers. 9.* quod vero idem *tex.* ait simoniam esse si propter consanguinitatem, aut liuorem id fiat, intelligendum est, quando aliquid in ea re interuenit pretio ęstimabile, sicut de munere, obsequio, vel lingua supra resoluimus.

33 Septimo ex dictis infertur simoniam committi si propter confirmationem beneficij, inuestituram, aut possessionem tradendam, seu propter receptionem in Canonicum, aut vellum Moniali concedendum aliquid temporale exigatur. Diximus actus potestatis, aut officij spiritualis non posse pretio ęstimari absque crimine simonię, sed omnes hi actus potestatis, & officij spiritualis sunt, vt patet, igitur pro his temporale nihil peti potest. Probant corolarium *tex. in cap. ex multis ad fin. 1. q. 3. cap si pro certo, cap. non satis, cap. Iacobus, de simon. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 7. art. 1. Siluest.*

in sum. verbo simonia q. 12. vers. 2. Nauar. in man. cap. 23. num. 101. vers. 2.

34 Verum si vacanti beneficio onus aliquod temporale sit impositum, quod certa pars fructuum, aut pecuniæ quantitas in pios vsus reseruetur, vel ad sustentationem ministrorum nulla facta conuentione, id erit absque vlla controuersia licitum, & ab omni mali suspitione alienum; ratio est quia quoties nihil temporale pro spiritualibus exigitur, nullauè pactio fit, aut conuentio, nulla est simoniæ labes, probaturq; euidenter ex *cap. vnic. §. vlt. vt Eccles. benefic.* At vero si vacanti beneficio hoc temporale onus appositum non sit, sed à personis recipiendis, instituendis, aut benedicendis exiguatur nulla id constitutione, aut consuetudine permittente, siue illud in profanos, aut proprios, seu in vsus pios conuertatur, simonia merito iudicabitur, quia quando temporalia ab eo exiguntur, cui spiritualia ministrantur, simonia ab Ecclesia iudicatur cum talis exactio pretij rationem habeat, sed vbi nulla lex, aut consuetudo id permittit manifesta fit exactio ab eo, qui recipit spiritualia, igitur simonia iudicabitur. Nec ab illius incursu liberabitur, qui ex lege, aut consuetudine à recipiendis Canonicis, clericis instituendis, alijsuè similibus aliquid in proprios, aut recipientium vsus exegerit, quia talis lex, aut consuetudo repugnat Iuri diuino quatenus aliquid temporale exigit sub ea forma, quatenus vero simoniam permittit repugnat rationi, quia manifestam continet cupiditatem, & auaritiam, præbetq; occasionem delinquendi, cum sub legis, aut cunsuetudinis prætextu poterunt passim celari simoniacæ exactiones, facit *tex. in cap. in tantum in fine, de simon.* ibi, *prauam consuetudinem*, & in *cap. Iacobus*, ibi, *consuetudine non obstante, eodem tit. Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 14.* vbi damnantur constitutiones Episcoporum, & consuetudines, quibus aliquid à recipiendis Canonicis, seu instituendis clericis exigitur in alios quam in pios vsus conuertendum.

35 Constitutiones vero, & consuetudines, quibus aliquid temporale in vsus non pios ante, vel post spiritualia exigitur, vel

etiam

etiam ad pios per ſpiritualium ſubtractionem extorquetur, ita demum ſacris Canonibus improbantur ſi ab illis recipiantur temporalia, qui ex officio ſpirituale illud miniſterium confirmandi, aut inſtituendi, vel ſimile tenentur exhibere, quod ſi non teneantur veluti ſuſtentationis ſtipendium antea peti, & in proprios vſus poterunt conuerti. Ratio eſt, quia non licet ſimoniacam receptionem iudicare, niſi eo caſu, quo non apparet honeſta recipiendi cauſa, vt ſuperiori art. diximus, ſed tunc demum non apparet cauſa iuſta quando ab illis exactio fit, qui ex officio tenentur, ſiquidem cum aliunde habeant ſuſtentationis ſtipendium, nempe ex fructibus beneficij, vel ſalario officij ſi pro actibus particularibus pecuniam exigãt non ad ſuſtentationem, ſed quaſi pretium, vel ſaltem ex auaritia videntur exigere, ergo,&c. Quod ipſum euincunt Iura omnia, quibus conſuetudines huiuſmodi improbantur, agunt enim de Epiſcopis, Archidiaconis, & alijs Prælatis, ad quos confirmatio, inſtitutio, receptio, & alia huiuſmodi pertinent, & ex illis videre licet, & ſic loquitur *Concil. Trident. præcitato loco*. Ex quibus illud licet colligere, quod vt in ijs inſtitutionibus, confirmationibus beneficiorum, & Canonicorum receptionibus, aliquid temporale iuſte recipiatur à perſonis, tria ſimul requirantur, primo, vt conſtitutione, aut conſuetudine id receptum ſit; ſecundò, vt in pios vſus conuertatur; tertiò, vt non exigatur prius per ſubtractionem, aut moram ſpiritualium, quæ tria ex ſupradictis in hoc corolar. colliguntur.

36 Octauò ex dictis infertur pari modo ſimoniam committi ſi actus officiorum ſpiritualium vendantur, cum enim ſpiritualia officia, quæ immediatè verſantur circa ſpiritualia miniſteria, qualia ſunt Sacramenta, & cultus diuinus, prout ſunt Ordines Eccleſiaſtici, quorum ſingulis propria officia deputantur, & deſcribuntur in *cap. cleros 21. diſt. & in cap. perlectis 25. diſt.* explicat *S. Thom. & omnes Theologi in 4. diſt. 24. q. 1.* & ibidem latè *Sot. art. 3. cum ſeqq.* planè ſequitur huiuſmodi officia poteſtates quaſdam eſſe Eccleſiaſticas, & perconſequens ſi actus eorum vendantur, vera committitur ſimonia, quod omnes Do-

ctores superioribus corol. citati pro comperto habent, atque ideò si à Summo Pont. incipiamus, qui supremum officium habet, vsque ad Ostiarium, qui habet vltimum, nemo eorum sine simonia actum sui officij vendere poterit, sed nec aliqui, quibus ab Ecclesia aliqua potestas ad aliquod ministerium spirituale data fuerit, quales sunt examinatores, qui non possunt quicquam pro labore, vel titulo stipendij ad sustentationem ex fructibus beneficij vacantis, vel alia ratione accipere, sicut resoluunt *Nicol.Garc.de benefic.p.5.cap.7.num.11.& p.8.cap.1. num.77.Bonacin.de simonia q.7.puncto.2. diffic.1. num.5. vers. secundò*, imò si recipiant, simoniam committent, *Concil.Trid. sess.24. de reform.cap.18. vers. caueant, Soar. tom.1. de Relig. lib.4.de simonia cap.49.num.2.Stephan.Gratian. discept. forens. cap.561. ex num.21.* cum alijs citatis per *D.Barbos. de offic. & potest.Episc.p.3.alleg.60.num.52.cum seqq.*

37 De Prima Tonsura an sit officium spirituale poterit ab aliquo in dubium reuocari, sed verius est iuxta Theologorum opinionem non esse, quoniam non est Ordo, sed quædam ad Ordines, & spiritualia munera dispositio, quia spiritualem non habet functionem, vt *S.Thom. Bonauent. Durand.Richard.& Palud.*probant *d.dist.24.q.2.art.1.*& ibidem *Sot.ad finem*, testatur esse communem Theologorum, *Card.S.Sixti in cap.clerici num.4.dist.23.Siluest.verbo Ordo il 1. q.1.*

38 Qua ratione *S.Thom.d.dist.24.q.3.art.1.*quem *Siluest.& Sot.* sequuntur dictis locis, affirmat clericum primæ Tonsuræ ampliorem potestam non habere in Ecclesia quam laicum, quod intelligo de potentia actiua, seu potestate, nam potentiam habet passiuam ampliorem quam laicus, quia ad Ordines recipiendos, & beneficia Ecclesiastica fit habilis, quamuis Canonistæ velint primam Tonsuram Ordinem esse Ecclesiasticum propriè, *in cap.cum contingat, de ætate, & qualit.* quatenus appellat Ordinem, quoniam Ordo ibi impropriè accipitur, seu latè pro dispositione ad Ordines, vel pro statu, prout etiam Religio Ordo appellari solet. Quæ cum ita sint non video quonam pacto prima Tonsura initiatus si ad aliquod opus in Ecclesia

clesia gerendum locetur, non posse absque simonia pretium petere, cum nullum actum spiritualis potestatis, aut officij exerceat, & ideo committentem simoniam in prima Tonsura non incurrere excommunicationem tenent *Less. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 24. nu. 133. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 23. cap. 12. nu. 174.* contra plures per *Bonacin. de simon. q. 7. §. 1. n. 3.*

39 Vnde colligitur milites Cruciferos absque simonia operas suas ad bellum locare posse, quamuis enim ad militandum eorum Religio fuerit instituta, & ex sententia *S. Thom.* communiter recepta *2. 2. q. 118. art. 3.* possit institui Religio ad militandum, sicut ad studendum, & alia opera vitæ actiuæ, & hos milites, vt plurimum, Religiosos esse velint, vt per *Sot. de Iustit. lib. 7. q. 5. art. 3. ad fin.* nihilominus opus militandi temporale est, & non proficiscitur ab aliquo officio spirituali immediatè, vt resoluunt *Victor. de simon. p. 1. num. 45. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 7. art. 1.*

SVMMARIVM.

1 Annexorum spiritualium tres sunt species, videlicet, per concomitantiam, per dependentiam, & per antecedentiam.

2 Annexa spiritualibus dependentia ab antecedentibus differunt.

3 Spiritualia dependentia quodãmodo naturam assumunt propter illam perpetuam causam, quam habent ab ipsis, quibus inseparabiliter adhærent.

4 Antecedentia, quoniam spiritualibus non cohærent, temporalem naturam retinent.

5 Annexa spiritualibus dependenter, manente eadem dependentia absque vera simonia vendi non possunt, quæ verò antecedunt simonia carent, nisi ordinatio ipsa ad spiritualia pretio æstimetur.

6 Beneficij Ecclesiastici in venditione non committitur vera simonia, sed tantum illa, quæ legibus Canonicis prohibetur, sed contrarium verius, vt num. 12. & 13.

7 Decla-

7 *Declaratur textus in cap. si quis obiecerit 1.q.3.*
8 *Beneficiorum tituli iure humano sunt inuenti.*
9 *Simonia vero non committitur circa ea, quæ Iure positiuo tantum sunt instituta.*
10 *Ponderatur textus in cap. constitutus, de religiosis domibus.*
11 *Abbas distinguit inter curata, & simplicia beneficia, vt priori casu vera simonia committatur, secus in posteriori, sed male.*
14 *Præstimonia absque simonia vendi non possunt quando dantur in titulum beneficij Ecclesiastici.*
15 *Commendæ pretio dari non possunt, nec pro aliquo temporali obsequio, quod rationem pretij habeat, contrà citatos num. 16.*
17 *Commendæ quinque modis in vsu sunt.*
18 *Commendæ fit primo modo quando Ecclesia vacans alicui regenda traditur, & temporalis est, ac vltra sex menses non extenditur.*
19 *Commendæ secunda species fit quando beneficium ipsum alicui confertur, qui propter aliquod impedimentum non potest spiritualem vsum exercere.*
20 *Commendæ tertia species est, cum alicui dignitas, aut beneficium traditur, qui propter defectum ætatis ad illud habilis non est.*
21 *Commendæ quarta species est, quæ in perpetuum conceditur gratia personæ.*
22 *Commendæ nouissima species est, quæ secularibus Militibus, vel etiam Regularibus concedi solet.*
23 *Commendæ, quæ ad tempus fiunt, beneficia Ecclesiastica non sunt, secus verò si in perpetuum clericis conferantur cum administratione, & onere spirituali.*
24 *Cõmendæ quæ possint absque vera simonia pretio dari, ostẽditur.*
25 *Hospitalia an, & quando absque labe simoniæ pretio æstimari, & pro temporalibus obsequijs concedi possint, ostenditur, & n. 26.*
27 *Pensiones temporales non continentur appellatione Ecclesiastici beneficij.*
28 *Pensiones temporales pecunia redimi possunt, & transferri absque simonia.*

29 Pen-

29 *Pensiones clericales sunt materiæ simoniæ sicut beneficia Ecclesiastica.*

30 *Pensiones clericales habens, & incedens in habitu, & tonsura gaudet fori priuilegio.*

31 *Pensionarius pensionem spiritualem non potest transferre accepto pretio, vel reseruatis sibi fructibus, aut eorum parte.*

32 *Pensionarius non potest pensionem anticipatis quibusdam solutionibus extinguere priuata auctoritate.*

33 *Pensioni cedere liberè potest propria auctoritate pensionarius.*

34 *Pensionarius potest propria auctoritate alteri vendere fructus suæ pensionis ad totam vitam modo retineat titulum.*

35 *Pensionarius non est reus simoniæ dum beneficiario, ex cuius beneficio pensionem recepit, fructus pensionis vendit, retento tamen sibi titulo pensionis, & consequenter etiam onere officium recitandi.*

36 *Italus ad cuius commodum, & vtilitatem constituta, & reseruata fuit pensio in capite, & persona alterius, nempè Hispani, potest fructus suæ pensionis vendere pro toto tempore quo pensio durauerit.*

37 *Iuspatronatus per se vendi, aut pretio æstimari non potest.*

38 *Iuspatronatus transit cum villa, aut vniuersitate vendita.*

39 *Iuspatronatus alicui villæ, aut castro annexum, an & quando hæreditate vendita in emptorem transeat? remissiuè.*

40 *Iuspatronatus si exprimatur in venditionem vile, aut castri, an simoniaca sit venditio iudicanda? remissiuè.*

41 *Bona iurispatronatus carius vendi non possunt ob iuspatronatus illis annexum.*

42 *Ius præsentandi si respectu bonorum temporalium fuerit principale, tunc temporalia accessoria sunt.*

43 *Iuspatronatus si fuerit principale respectu bonorū, quę ei coniuncta sunt, nunquā cum ipsis bonis venditis simpliciter transibit.*

44 *Iuspatronatus respectu bonorum temporalium, cum quibus coniunctum est, rarò est principale, sed semper accessorium.*

45 *Presentatio ad beneficium est actio spiritualis, & sic vendi non potest.*

46 Præ-

46 *Præſentans non poteſt ob præſentationem imponere onus præſentato, ad quod aliàs non teneatur.*
47 *Vaſa ſacra, veſtes, lapides, & his ſimilia abſque vlla ſimoniæ labe pretio æſtimari poſſunt habito reſpectu ad temporalem materiam, & formam, cui conſecratio, ſeu benedictio adhæret.*
48 *Vaſa ſacra ſunt prius confringēda, & conflanda quā vēdantur.*
49 *Olea ſancta gratis dari debent, niſi tanta eſſet materia, quæ pretio aliquo æſtimari poſſet.*
50 *Conſuetudinis nullius prætextu obtineri poteſt, vt pro Chriſmate, aut Oleo conſecrato exhibendo pecunia aliqua recipiatur.*
51 *Officia Eccleſiaſtica temporalia vendere, aut in ſolutum dare pro temporalibus obſequijs non eſt ſimonia.*
52 *Declaratur textus in cap. ſaluator 1.q.3.& num.53.*
54 *Prælatus, qui dum in emphyteuſi prædium Eccleſiæ concedit, aliquid pro ingreſſu ſibi exigit, non committit ſimoniam.*
55 *Prælati ſimoniaci ſunt, qui pro pecunia alienationibus ab alijs inferioribus factis, auctoritatem ſuam præſtiterint.*
56 *Mutuare aliquid cum pacto, vt ille, qui recipit mutuum conferet officium, vel beneficium Eccleſiaſticum, an ſit ſimonia? oſtenditur.*

ARTIC. IV.

Vtrum ea quæ ſint ſpiritualibus annexa pretio valeant æſtimari?



1 RICHARD. *in 4. diſt. 25: art. 3. q. 3.* tres conſtituit ſpecies eorum, quæ ſpiritualibus ſunt annexa; alia enim, ait ille, dicuntur annexa per concomitantiam, veluti labor poſt quam Sacramenta, & alia ſpiritualia miniſtrantur: alia per dependentiam, qualia ſunt beneficia Eccleſiaſtica, ius præcipiendi decimas, oblationes, & ſimilia: alia per antecedentiam, quæ

ſcilicet

ſcilicet ordinantur ad vſum ſpiritualium, qualia ſunt iuſpatronatus, vaſa ſacra, veſtes, & alia huiuſmodi. At verò *S. Thom. Bonauent.* & alij Theologi ibidem, & idem *S. Thom. 2.2.q.100. art.4.* duas tantum conſtituit ſpecies, ſcilicet dependentium, & antecedentium, tertiam per concomitantiam omittit, & quidem merito, quoniam cum annexa ſpiritualibus ad differentiam ipſorum ſpiritualium conſtituantur, quarto loco illa tantum inter annexa ſunt ponenda, quæ per ſe temporalia ſunt, per Eccleſiam tamen ſpirituali miniſterio deputantur, vt *S. Thom.* & alij Theologi fatentur, & incomperto eſt, quoniam quæ ſpiritualibus ſunt annexa, oportet vt ab ipſis eſſentialiter diſtinguantur, aliàs non annexa, ſed ſpiritualia dicerentur, vt *Dec.* obſeruat in *cap. 3. de Iudic.* Cum autem labor concomitans ab ipſo ſpirituali opere non diſtinguatur ſi pars ſit eſſentialis ipſius actionis, vt ſupradictum eſt, & labor accidentalis non dicatur concomitans proculdubio non eſt conſtituenda illa tertia ſpecies per concomitantiam, quia concomitantia ſpiritualia ſunt, & inter ipſa computantur, quorum pars ſubſtantialis ſunt; atq; ideo duæ tantum conſtituantur ſpecies annexorum, ſcilicet, dependentium, & antecedentium, quæ cum natura ſua ſint temporalia auctoritate Eccleſiæ ad vſum ſpiritualium deſtinantur, altero ex prædictis duobus modis, quam diſtinctionem bimembrem probat etiam *S. Antonin. p.2. tit.1. c.5. §.21. cum ſeqq. Silueſt. verbo ſimonia q.12. Caiet. eodem verbo, Sot. de Iuſt. lib.9. q.7. art.1. Nau. in man. cap.23. n.108. verſ. quintò*, quamuis aliter loquantur, vt videre licet ex *Abb. in d. cap.3. Lambertin. de iurepatron. lib.1. p.2. q.5. princip. art.11.*

2 Annexa ſpiritualibus dependentia huiuſmodi ab anteceden-
3 tibus differunt, quia dependentia ſpiritualia quodammodo naturam aſſumunt propter illam perpetuam cauſam, quam habent ab ipſis, quibus inſeparabiliter adhærent, & neceſſariò ſpirituale officium præſupponunt, cum primum enim ab Eccleſia ita conſtituta ſunt, vt nonniſi habenti officium ſpirituale competant, *cap. ex litteris, de tranſaction. cap. vlt. de reſcript. in 6.* iam profectò veluti ſpiritualia iudicanda ſunt, ſine quibus

nunquam transferuntur in *cap. dilecto, de præbend.* quatenus præbendam ſpirituale ius appellat, & colligitur ex doctrina Iuriſconſulti in *l. quæ Religioſis* 43. *in princ. ff. de rei vend.* An-
4 tecedentia verò quoniam ſpiritualibus non cohærent, nec ea præſupponunt, temporalem naturam retinent, in quibus nihil ſpirituale præter ordinem illum conſiderari poteſt, atq; de his veluti de temporalibus iudicandum, obſeruant deſcrimen hoc *S. Thom.* & alij Theologi vbi ſupra, quamuis Canoniſtæ non fuerint aſſequuti.

5 Quibus ſic præhabitis ad quæſtionem in hoc art. propoſitum reſponderi poteſt, quod annexa ſpiritualibus dependenter manente eadem dependentia abſque vera ſimonia vendi non poſſunt, quæ vero antecedunt ſimonia carent, niſi ordinatio ipſa ad ſpiritualia pretio æſtimetur. Probatur prior pars. Vera ſemper committitur ſimonia ſi ſpiritualia pretio æſtimentur, ſed quæ ab ſpiritualibus dependent manente dependentia vendi non poſſunt, quin ſpiritualia ipſa vendantur. Igitur, &c. Maior patet, minor probatur auctoritate *tex. in cap. Presbyter* 1. *q.* 1. *& in cap. res Eccleſiæ, & in cap. peruenit, & in cap. pen. eadem cauſa q.* 3. *& in cap. querelam, & in cap. ex diligenti, de ſimon.* Poſterior pars ſic probatur. Simonia non committitur cum temporalia pretio dantur, quamuis ſpirituale aliquid acceſſoriè cum ipſis temporalibus transferatur, ſed ſic contingit cum annexa antecedenter vendantur ſi iuſtum tãtum temporalis rei pretium exigatur, nec ordinatio ipſa ad ſpiritualia æſtimetur. Igitur, &c. Maior patet, & colligitur ex *cap. ex litteris, de iurepatron. & reg. acceſſorium, de regul. Iuris* lib. 6. minor conſtat ex dictis, conſequentia benè colligit, quare ita reſoluunt *S. Thom.* & omnes Theologi vbi ſupra *Bonacin. de ſimonia q.* 4. *§.* 11. *ex num.* 1. *cum ſeqq.*

6 Ex dictis primò infertur reſolutio illius controuerſæ quæſtionis, an in venditione beneficij eccleſiaſtici, vera committatur ſimonia legibus diuinis prohibita? In qua *quæſt. gloſ.* 1. *in cap. ex parte* 12. *de offic. deleg.* vt ei Doctores imponunt, exiſtimat veram ſimoniam non committi, ſed tantum illam, quæ

legibus

legibus Canonicis prohibetur, & appellatur ſimonia quia prohibita, atq; ideo auctoritate Summi Pont. qui ſupra legem humanam eſt, beneficium abſque vllo ſimoniæ crimine vendi poſſe, probat idem expreſsè *Card. in cap. de ſimon.* cuius ſententiam defendit ibidem *Anan. num.* 7. aſſerens eſſe communem, & latiſsimè *Præpoſ. in cap. latorem* 1. *q.* 1. *ex num.* 29. vbi pariter communem affirmat, quam etiam probant *Felin. nu.* 2. *Dec. num.* 7. *in d. cap. ex parte*, *Doctores in cap. cum pridem, de pactis*, & magis placet *Clar. in* §. *ſimonia num.* 5. qui etiam communem dicit, *Vgolin. de ſimon. tab.* 1. *cap.* 3. §. 5. *Nicol. Garc. de benef. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. *Nauar. in man. cap.* 23. *num.* 108. *verſ. nemo*, *Leſs. de Iuſtit. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 4. *num.* 26. *Paul. Laymann in Theolog. morali lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt.* §. 5. *num.* 43.

7 Pro quorum ſententia multa adduci ſolent fundamenta, quorum tria præcipua ſunt, & primò ſic arguunt, vbi venditur id, quod eſt natura ſua temporale, vera ſimonia non committitur, ſed quando auctoritate Pontificis beneficium venditur, id tantummodo venditum cenſetur, quod eſt temporale. Igitur, &c. Conſequentia bona eſt, maior patet, minorem ſic probant, beneficium in eo videtur præcipuè conſiſtere, vt ſit ius præcipiendi decimas, oblationes, & alios redditus Eccleſiæ, quæ omnia natura ſua temporalia ſunt, & perconſequens ius ad illa recipienda nihil aliud eſſe videtur quam temporale emolumentum, ſeu ſtipendium, quod miniſtris Eccleſiaſticis pro officio ſpirituali datur, vt etiam Theologi fatentur infra citandi, ac proinde temporale tantum in eo venditur. Nec obſtare aiunt prædicti Doctores *cap. ſi quis obiecerit* 1. *q.* 3. reſpondent enim in illis tantum rebus locum habere qui à ſpiritualibus nequeunt ſeparari, prout eſt labor concomitans, beneficium autem, ſeu præbenda à poteſtate Clauium, & officio ſpirituali rectè diſtinguitur, atq; ideo per ſe vendi poteſt. Confirmatur ex eo, quia in dubio tenemur maius delictum excludere, & ita actus interpretari, vt rectè valeant, *l. quoties, ff. de rebus dub.* ſi autem intelligamus eam fuiſſe intentionem

vendentis, vt id, quod est temporale tantum venditum esse velit, grauissimum simoniæ crimen excludimus, & actus Iure subsistit, ergo sic oportet intelligere. Accedit quod accessorium principale non sequitur quando aut per se potest subsistere, aut sine principali vtilitatem habet, *l. vlt.* §. *nuncius, ff. de condict. indeb. Dec. & Cagnol. num.* 14. *in l. cum principalis, ff. de regul. Iuris*, beneficium vero per se considerari potest, & sine officio vtilitatem habet, prout est præbenda absque Canonicatu, decima sine officio spirituali.

8 Secundò confirmatur quia tituli beneficiorum Iure humano sunt inuenti, quo etiam attento Parochiarum diuisio facta est, *cap.* 1. 3. *q.* 1. etenim in principio Ecclesiæ nullus erat certus terminus vnicuique clerico constitutus, nec certum ex redditibus Ecclesiæ stipendium datum, sed gratis, & vbique munus suum gerebat, atq; ideo postea cuilibet clerico locus ad officium deputatus est, & pro ipso spirituali ministerio gerendo datum est Ius percipiendi decimas, & redditus Ecclesiæ tanquam sustentationis stipendium, quod eleganter probant *Io. Nicol. in tract. de Iurepatron. lib.* 1. *ex num.* 58. *Abb. in cap. extirpandæ*, §. *quia verò num.* 2. *de præbend. & in cap. constitutus num.* 17. *de Relig. domib. Selu. de benefic. p.* 1. *q.* 4. *num.* 22. *Rebuff. in concord. tit. de constitut. verbo Parochias, Alphons. Hoied. de incompatib. benefic. in præfat. num.* 5. *Marsil. de redditibus Eccles. p.* 3. *cap.* 25. *num.* 42. *& cap.* 39. *num.* 19. Et

9 circa ea, quæ Iure positiuo tantum instituta sunt, vera simonia non committitur, sed prohibita legibus humanis, quibus Pontifex non ligatur, *cap. proposuit, de conceß. præbend.* imò cum actum Iure tantum Canonico prohibitum facit scienter, eo ipso videntur omnia impedimenta legis humanæ remouere, quamuis id non exprimat, *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. l. quidam consulebat* 27. *in fine, ff. de re iudic.* notat *Felin. in cap. in causis num.* 2. *in fine*. Igitur, &c.

10 Tertiò & vltimo adducitur *cap. constitutus, de Relig. domib.* vbi Episcopus Ecclesias quasdam, & tertiam partem mortuorum in emphyteusim Monasterio concessit, & quicquid Iuris

habebat

habebat sub pensione octo denariorum, quo casu videntur beneficia temporali pretio data, & lex Pontificis factum illud approbat. Igitur non committitur vera simonia quando pro beneficio temporali datur, aut recipitur aliud: quapropter pro hac eadem parte alia argumenta adducunt *Durand. & Palud.* infra citandi, & probant *Dec. cons. 436. num. 10. Cassador. decis. 2. de simon. Afflict. in cap. 1. ex num. 68. quæ sunt Regalia*, in vsibus feudorum.

11 Ab hac tamen communi sententia recedit *Abb. in d. cap. constitutus. & in cap. 1. num. 6. de simon.* ea præcipuè ratione, quia per titulos beneficij non solum temporalia conferuntur, sed potestas Clauium, & Ordinis exequutio, quæ spiritualia sunt, vnde cum vtrumque simul eodem titulo concedatur, non potest fieri quin insimul officium cum temporalibus inseparabiliter annexis venditum censeatur, iuxta *d. cap. si quis obiecerit*. Deinde pro hac parte expendit *tex. in d. cap. Presbyter, & in d. cap. ex multis*, ibi, *diuinorum præceptorum immemores, &c.* & in *cap. ex diligenti, de simon.* ibi, *diuinis, & humanis legibus contraire*. Tandem resoluit *Abb.* vtrobiq; quod si beneficium annexam habeat potestatem Clauium, vel Ordinis exequutionem, non potest etiam auctoritate Pontificis absque vera simonia pretio dari: si autem nihil eorum habeat, prout sunt hospitalia, & aliæ administrationes temporales, tunc simonia tantum erit lege humana prohibita. Vnde colligunt Doctores Abbatem inter Curata, & simplicia beneficia distinguere, vt priori casu vera simonia sit, posteriori non ita, & eius sententiam communem dicit *Felin.* sibi contrarius in *d. cap. 1. de simon.* & multis relatis probat *Borgas. de irregular. & dispensat. tit. de simon. num. 23.* Sed nec prædicta distinctio vera est, aut recepta, nec per *Abb.* probatur dictis locis, vt omnes Doctores eidem falsò imponunt, & *Cou. in reg. peccatum par. 2. §. 8. num. 8.* ait enim beneficia, quæ Ordinis exequutionem habent, absque vera simonia non vendi, quæ vero temporales tantum distributiones concernunt, auctoritate Pontificis vendi posse, quibus verbis proculdubio etiam beneficia

sim-

ſimplicia comprehendit, quoniam illa executionem Ordinis habent, & verſantur circa diuina officia celebranda, Horas Canonicas recitandas, & Sacra facienda, & multo euidentius id exprimit *Abb.* quatenus tantum excipit beneficia, quæ ſolum conternunt adminiſtrationem temporalem, quæ propriè beneficia non ſunt, vt inferius conſtabit.

12 Reiecta igitur prædicta diſtinctione, & communi Canoniſtarum ſententia, longe verius docet *S.Thom.2.2.q.100.art.4.* beneficia abſque vera ſimonia vendi non poſſe, nec diſtinguit inter Curata, & ſimplicia, eandem ſententiam latius probat idem *S.Thom.in 4.diſt. 25. q. 3.* latè *Durand. ibidem q. 5. & Palud.q.4.à num.24.* quos ſequuntur *Maior,* & reliqui nouiores Theologi ibidem, idem probat *S.Antonin p.2.tit.1. cap.5. §. 21. Silueſt. in ſum. verbo ſimonia q. 12. Caiet. tom. 2. opuſc. tract.9.de ſimon.q.1. & quodlib.1.de ſimon. Victor. in relect. de ſimon.p.1.num.44. Valent.tom.3.diſp.6.q.16. puncto 2. col. 11. Azor. inſtit. moral. par. 3. lib.12. de ſimon. cap.11. q.3. Nau. in man. cap. 23. num. 108. Cou.* vbi ſupra, qui hanc teſtatur communem ſententiam, id ipſum affimat *Adrian. quodl. 9.* & probat latè *Sot.de Iuſtit.lib.9.q.7.art.1.* Ratio eſt quia ad hoc vt vera ſimonia committatur neceſſarium non eſt vt id, quod venditur, cauſam ſpiritualitatis immediatè habeat à lege diuina, ſed ſufficit vt ſit formaliter ſpirituale, illa vero quæ per Eccleſiam diuino cultui deputantur licet ſuam cauſam ſpiritualitatis à lege humana habeant, poſtquam tamen ita deputata ſunt formaliter ſpiritualia exiſtunt, & perconſequens veram præſtant materiam ſimoniæ, idq; contingit in beneficijs Eccleſiaſticis, vt rectè *Palud. Caiet. Victor. & Sot.* probant. Accedit quod beneficium Eccleſiaſticum non eſt ſolum ius percipiendi temporalia, ſed inſimul ius exercendi officium ſpirituale, titulus enim beneficij vtrumq; habet, atq; ideo fieri non poteſt, vt beneficium abſque Iure officii ſpiritualis exiſtat, vel in aliquem transferatur, quod colligitur ex definitionibus, quas tradunt *Selu.de benefic. p.1.q.1. Nicol.in enchirid. benefic. cap. 1.num.7. Duaren. de ſacris Eccleſ. miniſt. cap. 4.*

Corraſ.

Corras. de Sacerdot. p.1.cap.2.Rebuff. in praxi tit. quid sit beneficium num. 8. *Hoied. vbi sup. num.* 2. omnes enim definitiones veluti essentiale tribuunt beneficio ius spirituale, vnde fit vt quamuis à spiritualibus dependeat ius percipiendi redditus, ita dependet vt ab eis perpetuum, & essentialem casum habeat quasi lux à Sole, quam si adimimus, beneficium non erit, & ideo sequitur, vt nec Summi Pont. auctoritate fieri possit, vt adempta ea collatione spirituali beneficium Ecclesiasticum maneat, nec enim ea, quæ sunt rei essentialia, auctoritate aliqua auferri possunt eadem remanente, iuxta *tex. in cap. cum ad Monasterium in fine, de statu Monach.* Quapropter beneficium Ecclesiasticum vt tale non potest considerari ab officio spirituali distinctum, & multò minus vendi, quin vera committatur simonia. Præterea etsi fateamur beneficium aliqua ratione posse considerari distinctum ab officio scilicet, vt attendamus id, quod in eo temporale est, nempè redditus, negare non possumus, id quatenus beneficium est, esse accessorium inseparabile officio, quod est in eo composito principale, est autem semper in rebus mixtis attendendum id, quod est præcipuum accessorium principale sequitur, non è conuerso, ergo cum venditur beneficium dici non potest spirituale officium cum ipso temporali vendito transire, sed è contra, ideoq; officium ipsum, quod est causa essentialis Iuris percipiendi verè venditum censetur, iuxta *d. cap. si quis obiecerit*, quod si temporale separetur auctoritate Summi Pont. ab officio spirituali, iam beneficium Ecclesiasticum non est, atq; ideo verum est asserere indistinctè beneficium nulla humana potestate vendi posse.

13 Denique hoc aptè euincunt præcitata Iura in *d. cap. Presbyter, & in d. cap. Altare*, cum alijs, quatenus beneficij venditionem diuinis legibus contrariam affirmant, & alijs verè spiritualibus exæquant. Ego tamen has contrarias sententias fœdere distinctionis ex prædictis componi posse censeo, etenim vel Ius percipiendi redditus Ecclesiasticos, absque vllo spirituali officio, & Iure auctoritate Pontificis censetur, siue laicis,

prout fit Regibus, & Militibus, siue clericis pensionarijs, quibus fructus auctoritate propria percipiendi dantur in pensionem, & tunc si pretio id fiat vera simonia non committitur Iure diuino prohibita, sed humano tantum, quam Summus Pont. non incurrit, quoniam non beneficium, sed ipsi redditus temporali titulo pretio dantur, & in hoc casu procedit communis Canonistarum sententia, qui latissime beneficij nomen vsurpant pro omni Iure percipiendi redditus Ecclesiasticos. Aut vero insimul Ius exercendi officium, & percipiendi redditus propter illud eodem titulo datur, quod est propriè beneficium Ecclesiasticum, & tunc vera committitur simonia, à qua nec summus Pont. excusabitur, & ita procedit recepta Theologorum sententia, quia verè spirituale ius pretio datur, siquidem beneficium non benè à Canonistis definitur citatis locis, sed melius definiri debet, vt sit Ius exercendi officium spirituale, & percipiendi redditus Ecclesiasticos propter illud, quæ duo beneficium faciunt, id quod apertè colligitur ex forma collationum, institutionum, & confirmationum, quibus beneficia dantur, & ex tenore titulorum, & quia sacri Canones beneficia passim Ecclesiasticas dignitates, Canonicatus, & officia appellant, & eos, quibus beneficia conferuntur, ad Ecclesiarum regimen assumptos dicunt, quod vero ait *cap. vlt, de rescript. in 6.* beneficium dari propter officium, ita accipiendum est, vt officium ibi actualem operam, & exercitium significet, quoniam officium aliquando ius, & potestatem significat, aliquando vero actum, & operam, & hanc distinctionem verè videtur sentisse *Abb.* dictis locis, licet impropriè sit loquutus, & apertius *Sot.* post alios vbi supra, & eleganter *Bonacin. de simon. q. 4. §. 11. ex num. 11.*

14 Secundò ex dictis infertur præstimonia, absque vera simonia vendi non posse. Diximus enim Ecclesiastica beneficia non posse pretio dari, sed præstimonia sunt beneficia Ecclesiastica. Igitur si pretio dentur vera committetur simonia. Consequentia bona est. Maior probatur ex supradictis, minor vero videtur expressa in *cap. vlt. de concess. præb. lib. 6.* vbi præ-

stimonia

stimonia inter beneficia Ecclesiastica computantur, & resol-
uunt *Flamin.Paris.de resignat.benef.lib.3.q.1. num.140. Azor. instit.moral.p.2.lib.3.cap.7.Gonzal.ad reg.8.Cancel.glos.5.§.2. num.7.Nicol.Garc.de benefic.p.1. cap.3. num. 117.* quos refert *D.August.Barbos.in collect.ad d.cap.vlt.num.2.* quod verum intelligo quando præstimonia dantur in titulum beneficij cum aliquo spirituali onere annexo, si autem absque eo concedantur, vtpote quando laicis gratia militiæ, vel studij dantur, tunc temporalis est titulus, & nullam habet rationem beneficij, quo casu procedit resolutio *Ioan. Andr. in cap. vnic. de rerum permut.lib.6.Abb.cons.47.num.4. lib.2. Felin.in cap. postulastis num.8. de rescriptis*, qui affirmant præstimonium non esse beneficium Ecclesiasticum. Quare corol. probant *Hostiens. in cap. postulasti num.9.de rescript.Soar.tom.1. de Relig.lib.4. de simon.cap.25.num.4.Filliuc. tom.3.tract.45.cap.5. ad fin.*

15 Tertiò ex dictis infertur Commendas pretio dari non posse, nec pro aliquo temporali obsequio, quod rationem pretij habeat. Probatur. Annexa spiritualibus dependenter pretio æstimari non possunt, sed Commendæ beneficiorum, aut dignitatum spiritualem administrationem annexam habent, igitur si pretio æstimentur vera simonia committitur. Consequentia bene colligit, maior ex dictis patet, minorem probant *cap. obitum 61.dist.cap.relatio 21.q.1. cap.cum nobis, in fine, de elect.* ibi, *liberam administrationem*, obseruat *glos.* recepta in *cap. nemo, verbo commendare, de elect. lib.6.* Accedit quod praxi hodierna in Curia Romana, & Sacro Rotæ Prætorio receptum est, vt *reg. de triennali possessore*, quæ de beneficijs agit, in Commendis quoque locum habeat, vt resoluit *Ludou. Gom.in d.reg.q.5.* & idem in omnibus ferme de Commendis, ac de beneficijs iudicatur, & ideo inter beneficia, & Ecclesiasticos titulos computantur à *Monach.in d.cap.nemo, Archid. in cap.si propter, de rescrip.lib.6. Mil. in repert. verbo beneficium §.25. Rebuff. de pacificis possess. à num.35.Corn.cons.66.num.2.lib.3. Soccin.cons.32. ex num.13.lib.1. Mandos. in reg. de verosimili notitia q.3.num.2.* & faciunt quæ tradit *D. August. Barbos.in*

*tract.de appellatiua verborum vtriusque Iuris signif.appell.32. num.7.*Ergo cum Commendæ inter beneficiorum titulos computentur, & spiritualem habeant administrationem insimul cum temporalibus absque dubio dari non poterunt pretio, vel obsequio temporali, quia simonia committitur, quod colligi potest ex *cap. non satis, de simon. vers. nec ab eo,* vbi non licet exigi temporale ab eo, cui regimen etiam ad tempus committitur, quod in Commendis reperitur.

16 Contrariã tamen partem multa suadent argumenta nõ contemnenda, & primum quod titulus Commendæ à beneficio in sacris Canonibus essentialiter distinguitur, vt in *cap. qui plures 21.q.1.*ibi, *vnam intitulatam,& aliam sub commendatione, cap.dudum 54.ante fin. de elect. cap.nemo, cap. cum ex eo, eod. tit.lib.6.* deinde quia frequenter Principibus secularibus, & Magnis Magistris Ordinum Militarium liberam Commendarum dispositio traditur, & laicis pro temporalibus obsequijs conferuntur, scilicet, militia, muneribus Reip.& aliquando in solutionem seruitij temporalis,quod fieri non posset si aliquam spiritualis tituli rationem haberent, iuxta *cap. cum essent, de simon.* Quibus & alijs argumentis *glos.* recepta in *d. cap. qui plures,* negat Commendam esse beneficium, & *glos.verbo commendata in cap. si constiterit, de accusat.* probat Commendam non esse titulum Canonicum, & ideo contra corol. tenent *Doctores in d. cap. nemo, Roman. cons. 350.Dec.cons.149.num.5. Cassan.cons.20.* & communem testatur *Hoied. de incompatibil. benefic.p.1.cap.14.num.6.*

17 Pro vera igitur resolutione sciendum est Commẽdas quin-
18 que modis in vsu esse, primo modo commenda fit quando Ecclesia vacans alicui regenda traditur,qui interim spiritualium, & temporalium administrationem habeat, rationem Prælato redditurus, de qua agit *tex.in d.cap. nemo,Concil. Trid.sess.24. de reformat.cap.18.* & declarat *D.August.Barbos.de officio, & potest.Episcopi par.3.alleg.59.num.10.* & hæc temporalis est, & vltra sex menses non fit, nisi postea eueniat beneficium diutius vacare, & licet Iure communi apud Commendatarium in hac

specie

ſpecie etiam temporalis adminiſtratio fuiſſet, hodie tamen vſu receptum eſt, vt ſolum ſpiritualem habeat cum certa fructuum portione, temporalium vero gubernatio ad Prælatum, vel eius Vicarium ſpectat, & huiuſmodi commendæ beneficia Eccleſiaſtica non ſunt, ſed temporales beneficiorum vacantium adminiſtrationes, habet tamen ſpirituale Ius, & officium ad illud tempus quaſi Vicariæ temporalis, *Barboſ. vbi ſupra*.

19 Secunda commendæ ſpecies huic ſimilis eſt, quæ ſex menſibus non terminatur, nec vacanti beneficio datur, ſed quando beneficium ipſum, aut dignitas alicui confertur, qui propter aliquod impedimentum non poteſt ſpirituale munus exercere, prout gratia ſtudij fit in *cap. cum ex eo, de elect. lib. 6.* & habet huiuſmodi commenda ſpirituale officium interim dum veri beneficiarij impedimentum durat, & idem eſt de iſta, ac de præcedenti in reliquis iudicandum.

20 Tertia ſpecies eſt, quæ non Iure communi, ſed priuilegio conceditur, & magis eſt diſpenſatio quam commenda, quæ fit cum alicui dignitas, aut beneficium traditur, qui propter defectum ætatis ad illud habilis non eſt, & interim illi datur in commẽdam, vt adueniente ætate maneat in titulum beneficij.

21 Quarta ſpecies eſt quæ in perpetuum conceditur gratia perſonæ, de qua agit *tex. in d. cap. qui plures, & in d. cap. dudum,* quæ fit quando habenti aliquam dignitatem, vel incompatibile beneficium, aliud in commendam datur, vt vberiores habeat Eccleſiæ redditus vero beneficij titulo apud alium permanente, & fit etiam quando Monaſteria Regularia ſecularium commendantur clericis, aut Epiſcopatus, vel alia dignitas ei qui Epiſcopus non eſt, vt ſpiritualium, & temporalium adminiſtrationem habeant perpetuam.

22 Quinta & vltima ſpecies illa eſt, quæ omnium nouiſſima ſecularibus Militibus, vel etiam Regularibus concedi ſolet.

23 Circa has commendas illud eſt obſeruandum eas, quæ ad tempus fiunt, beneficia Eccleſiaſtica non eſſe, quorum natura eſt, vt ſint perpetua, nec etiam illas, quæ ſine aliquo ſpirituali onere laicis præſertim conceduntur, & de his intelligendi ſunt

Auctores, qui negant commendas esse beneficia, quæ vero in perpetuum clericis conferuntur cum administratione, & onere spirituali, quas quarto loco constituimus, Ecclesiastici beneficij rationem habent, quo pacto exaudiendi sunt alii Doctores supra relati affirmantes esse Ecclesiastica beneficia, & procedunt Iura, & argumenta ab ipsis adducta, & quod innuit *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 17.* sicq; prædictas Doctorum opiniones, & auctoritates conciliant post alios *Ludou. Gom. citato loco, & Hoied. d. cap. 14. num. 7. Soar. tom. 1. de Relig. lib. 4. de simon. cap. 27. num. 3. Bonacin. de simon. q. 4. num. 14.* & iuxta hanc distinctionem intelligenda est *decis. 3. Capicij*, & quæ scribit *Azeued. l. 14. num. 54. tit. 3. lib. 1. nouæ Recopilat. Siluest. in sum. verbo commenda, Rebuff. de pacificis possess. ex nu. 42.*

24 Quibus ita præhabitis, quod attinet ad nostrum corol. resoluendum est primam, & secundam Commendæ speciem, quę gratia Ecclesiæ ad tempus fit, quamuis non sit beneficium, non posse tamen absque vera simonia pretio dari, quoniam per eam spiritualis potestas, & officium Ecclesiasticum ad tempus traditur, idq; probat *cap. 2. & 3. ne Prælati vices suas*. Tertia vero species, quæ magis dispensatio dici potest, qua inhabili beneficium sub ea forma datur, etiam pretio nequit æstimari, quia per eam saltem in diem, seu post diem beneficium confertur, eadem enim prouisione conceditur, vt ante legitimam ætatem habeat in commendam, postea in titulum, dum ergo nec purè, nec sub conditione, nec in diem spiritualia pretio dari possint, planè huiusmodi commendationes absque vera simonia vendi non possunt, quæ tempore Pauli III. aliquando factæ sunt, hodie non fiunt. Quarta vero commendationis species proculdubio ecclesiastici beneficij naturam habet, quia & officium spirituale, seu administrationem annexam habent, igitur perpetua est, & nonnisi clericis conceditur, & est titulus beneficij, inducit incompatibilitatem, & potest resignari, seu permutari, vt probat *D. August. Barbos. de officio, & potest. Episcopi p. 3. alleg. 59. ex num. 2.* Vltima tandem species Commendarum Militarium, quæ ex dispensa-

tione Magni Magistri Militibus, aut alijs personis de Republ. Christiana benemeritis conceduntur, temporalia quædam stipendia sunt ab omni prorsus speciali iure aliena, atq; ideo pro temporalibus obsequijs iuxta earum institutionem dãtur, vendi autem absque graui scandalo non poterũt licet simoniacum non sit. Vide *Victor. in relect. de simonia num.* 45. *Aragon.* 2.2.*q.*100.*art.*3.*Soar.d.lib.*4.*de simonia cap.*27.*num.* 6. *Bonacin. d. q.*14. *num.* 15. vbi plures dirimit obiectiones.

25 Quartò infertur hospitalia absque vlla simoniæ labe pretio posse æstimari, & pro temporalibus obsequijs concedi. Diximus simoniam committi circa ea, quæ sunt annexa spiritualibus dependenter, sed hospitalia non ita sunt annexa, quoniam nullã habent administrationem spiritualem, nec pro officio Ecclesiastico dantur, sed potius temporales sunt administrationes, quæ versantur circa dispensationem bonorum in vsus pauperum, & infirmorum, iuxta ipsorum hospitalium institutionem, ergo simonia non est si pretio dentur. Facit etiam pro eadem parte *Clem.*2.*de præbend. Clem.quia contingit* §.1. *de Relig.domib.* ergo in titulum beneficij hospitalia dari prohibentur, ac proinde beneficij appellatione non comprehenduntur, nec veniunt sub dispositione *reg.* 9. *Cancellariæ*, vt resoluunt plenè citati per *D.August. Barbos. de officio, & potestat. Episcopi par.*3. *allegat.* 57. *num.*148. In contrarium tamen vrget *tex.in d.Clem. quia contingit* §.1. dum ait hospitalia in titulum beneficij dari posse, si aut per electionem Rector ipsorum assumatur, aut id fuerit institutione constitutum. Facit etiam auctoritas *glos.*2. quam omnes ibidem recipiunt in *Clemen.*2.*de decim.* dum ait hospitalarios Religiosos esse, sed agit de Hierosolymitanis, *glos.* etiam *verbo beneficijs in Clem.* 2. *de iudic.* & alij de quibus per *Selu.de benefic. p.*1.*q.*3.

26 Communis tamen, & vera concordia est quæ ex *d.Clement. quia contingit* §.1. colligitur, aut enim hospitale officium spirituale habet annexum ex institutione, aut consuetudine, & tunc inter bona Ecclesiastica computabitur quoad omnia, nec pretio poterit æstimari, si autem temporalem tantum habeat

admi-

administrationem, prout ex natura sua habent, beneficia Ecclesiastica non sunt, & pretio poterunr dari, & ad instar temporalium per omnia iudicari, quo pacto controuersiam componunt *Rebuff. in praxi tit. de deuolution. num.73. Tiraq. de pia causa in præfat. vers. item relicto, Selu. de benefic. p.2.q.11. num.8. Gam. Lusit. decis. vlt. num.6. D. August. Barbos. de offic. & potestate Episcopi p.3. allegat. 75. num.4. & 5. & in collect. ad d. Clement. quia contingit num.17. & 18. Bonacin. de simon. q. 4. num. 17.*

27 Quintò infertur pensionem (quæ nihil aliud est quàm portio fructuum, aut pecuniæ quantitas ex redditibus beneficij alicui reseruata) absque vlla simoniæ labe vendi, & pecunia posse redimi, quoniam beneficium non est, sed temporale stipendium, quod nullum habet spirituale onus annexum, vt colligitur ex *cap. ad audientiam 31. de rescript. cap. cum pridem, de pactis, cap. audiuimus, de collus. deteg. cap. quamuis il 1. de præbend. lib.6.* quibus locis à Doctoribus receptum est pensiones esse stipendia penitus temporalia, & vltra eos resoluũt *Baptista in tract. de pensionib. q.30. Gig. in simili tract. q.8. & q. 54. 17. Ludouic. Gom. in reg. de infirmis q. 16. & in reg. de annali possess. q.27. Mandos. in reg. 16. q. 36. Selu. de benefic. p. 1. q. 3. Hoied. de incompatibilit. benefic. in præfat. num. 3. Cou. in cap. cum in officijs num.6. de testam.* & alij, quos refert *Sarmien. de redditib. Eccles. p.2. cap.8. num.13.* & ideo pensionem non contineri appellatione Ecclesiastici beneficij tenent Doctores, quos plena manu refert *D. August. Barbos. de appellat. verb. vtriusque Iuris significat. appell. 32. num.2.*

28 Quibus rationibus, & auctoritatibus conuincitur pensiones temporales pecunia redimi posse, & transferri absque simonia; vt tradunt *Sot. lib.9. de Iustit. q.7. art.2. Victor. relect.1. de simonia num.54. Soar. de Relig. tom.1. lib.4. de simon. cap.26. nu.4. Less. de Iustit. lib.2. cap.35. dub.22. num.123. Filliuc. tract.45. cap.8. quæst.1. num.2.* Stylus tamen Curiæ ad omnem simoniæ suspitionem vitandam obtinuit huiusmodi pensiones vendi, aut redimi non posse absque Romani Pontif. auctoritate, vt

referunt

referunt *Azor. instit. moral. p. 2. lib. 8. cap. 10. q. 10. Soar. d. cap. 26. num. 16. Filliuc. d. quæst. 1. num. 17. Valer. Reginald. in praxi*
29 *fori pœnit. lib. 23. num. 276.* Circa tamen pensiones clericales est dubium an vendi possint absque simonia, & quamuis attento Iure antiquo non essent materia simoniæ, quia non tradebantur titulo spirituali, sed temporali ad sustentationem clerici, vt aduertit *Nau. in man. cap. 23. num. 111.* tamen Iure nouo Bullæ Pij V. incip. *Ex proximo, de anno 1571.* vbi recepta fuerit, pensio iam est materia simoniæ, sicut beneficium Ec-
30 clesiasticum, nam pensiones habens, & incedens in habitu, & tonsura gaudet fori priuilegio, vt declarauit *Sac. Cong. Concilij*, teste *August. Barbos. de officio, & potest. Episcopi p. 3. alleg. 57. num. 206. & p. 2. alleg. 12. num. 8.*
31 Vnde sequitur pensionarium non posse pensionem transferre accepto pretio, vel reseruatis sibi fructibus, aut eorum parte, etiamsi alioquin habeat facultatem transferendi pẽsionem, nam pretium, vel rem pretio æstimabilem accipit pro re spirituali, & facultas ad vnum non extenditur ad aliud. Ita *Valent. tom. 3. disp. 6. q. 16. puncto 3. Soar. d. cap. 26. nu. 9. Filliuc. d. quæst. 1. num. 7. & tract. 42. cap. 9. num. 15. Nicol. Garc. de benefic. p. 1. cap. 5. num. 54. Azor. instit. moral. p. 3. lib. 12. cap. 13. quæst. 2.*
32 Hinc etiam prouenit pẽsionarium non posse pensionem anticipatis quibusdam solutionibus extinguere priuata auctoritate, quia videretur vendere titulum spiritualem, cui annexi sunt fructus, non quidem dando illum alteri, sed illum extinguendo, ita *Garc. in addit. ad p. 1. cap. 5. num. 26. Soar. d. cap. 26. num. 14. vbi num. 17.* subdit pensionarium, qui priuata auctoritate pensionem redimit non esse immunem ab onere officij. Liberè
33 autem cedere pensioni propria auctoritate potest pẽsionarius, *Nau. consil. 6. de simon. num. 3. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 8. cap. 11. quæst. 2. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 6. q. 2. num. 123. Zerol. in praxi Episcop. p. 2. verbo pensio, Nald. eod. verbo nu. 10. Soar. d. cap. 26. num. 18. vbi num. 17.* id intelligit modo cedens pensioni ordinatus non sit sacris Ordinibus ad titulum pensionis huiusmodi.

34 Et

34 Et quamuis *Nau.conf.11. de rebus Eccles. non alien. & Nic. Garc.de benefic.p.2.cap.1.nu.37.* expreſsè tenere videantur penſionarium non poſſe alteri vendere fructus ſuæ penſionis ad totam vitam, tamen contrarium verius eſt modo penſionarius retineat titulum, quia in hoc caſu nihil interuenit ſpirituale, ſed tãtum traditur temporale pro temporali; tum quia hæc non eſt redemptio penſionis, cum titulus pẽſionis non extinguatur, ſed eſt quaſi locatio fructuum, ſeu potius anticipata venditio fructuum; quare hanc partem ſuſtinent idem *Garc.* aliàs ſibi contrarius *p.1.cap.5.num.29.Valent.tom.3.diſp.6.q.16.punct.3. Zerol. in praxi Epiſcop. verbo alienatio §.3. Nald.verbo penſio num.10. Azor.d.p.2.lib.8.cap.10. q.11. & cap. 11. q. 2. & 14. Filliuc.tract.42.cap.9.quæſ.8.num.14. & quæſ.14.nu.20.Soar. d.lib.4. de ſimonia cap. 26. num. 9. & 17. verſ. ſecundo infero,*

35 vbi etiã ſubdit penſionarium non eſſe reum ſimoniæ dum beneficiario ex cuius beneficio penſionem recipit, fructus penſionis vendit, retento tamen ſibi titulo penſionis, & conſequenter etiam onere officij recitandi.

36 Vnde prouenit Italum, ad cuius commodum, & vtilitatem conſtituta, & reſeruata fuit penſio in capite, & perſona alterius, nempe Hiſpani, poſſe fructus ſuæ penſionis vendere tam illi; in cuius capite reſeruata fuit penſio, vt exemptus remaneat ab onere illi ſoluendi, ſeu cedendi, quàm alteri pro toto tempore, quo penſio viguerit, & non expirauerit, vt per *Nauar.conſ.62.de ſimon. Nicol.Garc.de benefic.p.1. cap.5. nu. 29. & p.2.cap.1.num.38. Filliuc.tom.3.tract.42.cap.9.ad fin.quæſ. 14. num.20. verſ. ex quo.*

37 Sextò ex dictis infertur iuſpatronatus per ſe vendi, aut pretio æſtimari non poſſe. Diximus ſupra annexa ſpiritualibus per dependentiam vendi non poſſe quando ipſa ordinatio, & relatio, quam habent ad ſpiritualia, venditur, aut æſtimatur, ſed cum iuspatronatus per ſe venditur ordinatio ipſa ad ſpiritualia pretio æſtimatur, igitur vera tunc committetur ſimonia. Accedit quod vbicunque ius aliquod Eccleſiaſticum, ſeu poteſtas venditur, vera committitur ſimonia, ſed iuſpatronatus

nihil

nihil aliud est quàm potestas quædam, & ius ab Ecclesia datum ad præsentandum ministrum idoneum ad beneficium vacans, qui necessariò instituendus sit si idoneus appareat iuxta *cap. quod autem, cap. ex insinuatione, cap. significasti, cum seqq. de iurepatron. cap. decernimus, cum seqq. 16. q. 7.* Igitur negari non potest quin ius hoc Ecclesiasticam aliquam potestatem contineat, & per se sumptum spirituale sit, licet enim ex gratia ab Ecclesia fuerit concessum, & à laicis etiam possideatur, non ideo minus ecclesiasticum est, seu spirituale, quemadmodum potestas eligendi Prælatum, quæ aliquando Principibus secularibus, & alijs laicis concessa fuit, *cap. Adrianus, cap. in synodo, & per tot. 63. dist.* Probant corol. *tex. in cap. quia clerici, de iurepatr. glos. & Doctores in cap. præterea il 1. de transaction. & in cap. quæsitum, de rerum permut. & in cap. querelam, de simon. Roch. de iurepatron. verbo vtile num. 9. Lambertin. in simili tract. lib. 1. p. 2. q. 1. princ. art. 12. num. 17. & q. 4. art. 3. & lib. 3. q. 9. art. 6. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. & in 4. dist. 25. q. 5. vbi Durand. num. 13. & Palud. q. 4. num. 29.* & reliqui omnes Theologi, *S. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 22. Siluest. in sum. verbo simonia q. 12. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 7. art. 1. corol pen. Nau. in man. cap. 23. n. 108. Redoan. de simon. p. 3. cap. 12. nu. 22.* Fernandez *in examine Theolog. moral. p. 3. cap. 14. §. 1. num. 27. Soar. de* Relig. *tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 28. num. 7. & seq.* Bona*cin. de simon. q. 4. §. 11. ex num. 3.*

38 Licet autem Iuspatronatus per se quidem vendi non possit, aut pro aliquo temporali dari, quo casu loquuntur Doctores proxime citati, transit tamen cum villa, aut vniuersitate vendita, *cap. ex litteris, cap. cum seculum, de iurepatron.* vbi late *D. August. Barbos. in collect.* quia tunc non Iuspatronatus, sed bona temporalia, quibus accedit, in venditionem deducuntur, & veluti accessorium suum sequitur principale venditum, iuxta *reg. l. in modicis 25. ff. de contrah. empt. l. prædijs 89. §. fin. ff. de legat.* 3. cum alijs de quibus per Doctores citatos à *D. August. Barbos. in tract. Axiomatum Iuris vsufreq. Axiom. 4. num. 1.*

39 An & quando Iuspatronatus alicui villæ, vel castro

annexum hæreditate vendita in emptorem transeat, & quando in commissarium, cui restituta est hæreditas? Vide *D. August. Barbos. de officio, & potestat. Episcopi par. 3. allegat. 71. num. 7. cum seqq.*

40 Quæstio est dubia. Vtrum si in venditione villæ, aut castri, cui adhæret iuspatronatus, illud exprimatur, simoniaca sit venditio iudicanda? In qua tres reperiuntur Doctorum opiniones. Alij distinguũt vtrum exprimatur iuspatronatus per dict. *cum*, videlicet si dictum sit, *Vendo villam cum iurepatronatus, & alijs omnibus ad eam pertinentibus*, & eo casu dicunt verum esse contractum: si autem exprimatur per dict. *&*, vtpote, *vendo villam, & iuspatronatus, quod in ea est*, simoniacam esse venditionem asserunt, vt ex sententia *glos.* resoluit *Abb. in cap. querelam num. 6. de simon.* quem sequitur *Soccin.* ibidem, idem *Abb. Felin. & alij num. 3. in fine, in cap. quanto, de iudic.* & ibidem *Dec. num. 6.* Cuius opinionis illa ratio est, quod dict. *cum*, denotat accessorium, dictio vero *&*, significat principaliter ęque in ea venditione iuspatronatus exprimi. Ego vero dicendum puto, quod si iuspatronatus per se subsistat, quocunque modo exprimatur in venditione vniuersitatis, quando accessoriè transire non potest, tunc credo simoniacam esse talem venditionem: si autem iuspatronatus vniuersitati sit annexum, villæ, aut castro, & si exprimatur per dict. *&*, non effici simoniacam venditionem si nulla alia praui animi appareant coniecturæ, atq; ideo dicendum, quod si pretium rei temporalis valorem multum excedat, videbitur pretium æstimatum habito respectu ad iuspatronatus, quoniam excessus pretij cum verbis expressis sufficiunt ad prauum animum iudicandum: si autem pretium aut nihil, aut parum excedat valorem rei temporalis, cui iuspatronatus adhæret, nihil erit propter emptionem sinistrum iudicandum, tum quia ea est interpretatio facienda, vt actus valeat, *l. quoties, ff. de rebus dub.* tum etiam vt peccatum excludatur, *l. merito, ff. pro socio*, illud enim videntur partes elegisse dum exprimunt iuspatronatus in venditione, vt noluerint sibi retinere cum possent,

sed

ſed transferre veluti acceſſorium cum re vendita, prout à Iure ineſt.

41 Vnde patet bona iuriſpatronatus carius vendi non poſſe ob iuſpatronatus illis annexum, ac propterea non poteſt hæres illud tradere alteri in compẽſationem maioris portionis quàm accipit, nec alia ratione deduci poteſt in pactum, vel contractum oneroſum, *Tabien. in ſum. verbo iuſpatronatus num.* 7. *&* 8. *Vgolin. de ſimon. tab.* 1. *cap.* 49. §. 2. *num.* 5. *Soar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *de ſimonia cap.* 28. *num.* 13. vbi *num.* 22. ſubdit bona iuriſpatronatus vendi poſſe, & in alium transferri dum bona, & iuſpatronatus habent quidem connexionem inter ſe, non tamen iuſpatronatus cohæret bonis, ſed potius bona cohærent iuripatronatus, modo ea poſſidens poſſit aliquos fructus in ſui vtilitatem conuertere, ſeu modo ſuperſint aliqui fructus præter illos, qui in vtilitatem Eccleſiæ conuertendi ſint, de quo etiam *Filliuc. tract.* 45. *cap.* 6. *quæſ.* 9. *num.* 15. & inferius tractabitur latius.

42 Septimò ex dictis infertur, quod ſi Ius præſentandi reſpectu bonorum temporalium fuerit principale, vt cõtingit quando aliquis bona in gratiam iuriſpatronatus eidem adiunxerit, vt cum oportuerit poſſit patronus ex illis bonis Eccleſiæ ſuccurrere, tunc enim temporalia acceſſoria ſunt, quia gratia iuriſpatronatus adhibentur, iuxta *l. etſi non ſunt*, §. *præueniamus, verſ. ſemper enim, ff. de auro, & arg. leg.* declarat *Dec. in cap. præterea num.* 7. *de offic. deleg.* nec enim ad cognoſcendum in vno quoquo compoſito, vel adiuncto, quod ſit acceſſorium, rei pretium conſideratur, ſed quod alterius gratia ſit

43 adhibitum, vt ex eo *tex.* colligitur: hoc inquam caſu cum iuſpatronatus fuerit principale reſpectu bonorum, quæ ei coniuncta ſunt, nunquam cum ipſis bonis vẽditis ſimpliciter tranſibit, nec valebit venditio reſpectu bonorum, quæ ſine ſuo principali ſtare non poteſt, ex *reg. acceſſorium, de reg. Iuris lib.* 6. & ſi partes agant vt cum illis bonis iuſpatronatus tranſeat, ſimoniam committent, iuxta *cap. ſi quis obiecerit* 1. *q.* 3.

44 Raro tamen eueniet, vt iuſpatronatus reſpectu bonorum

temporalium cum quibus coniunctum est, principale sit ferme, sed semper accessorium, quia gratia fundi, villæ, aut castri, vel alterius loci Ecclesiæ ædificari solent in quibus ius præsentandi competit, quod si non fuerit coniunctum bonis temporalibus, nec etiam erit accessorium, aut cum bonis aliquibus etiam vniuersalibus quouis titulo oneroso transferri poterit, nec etiam gratuito nisi Episcopi auctoritas accedat.

45 Octauò, ex dictis infertur idem esse dicendum de ipsa præsentatione, seu actu præsentandi, quod supra de ipso iurepatronatus diximus, quia præsentatio hæc est actio spiritualis, & sic vendi non potest, vt resoluunt R*edoan. de simon. p. 3. cap. 13. num. 22. Soar. de Relig. tom. 1. tract. de simon. lib. 4. cap. 28.*
46 *num. 7. & 8.* Vnde prouenit præsentantem non posse ob præsentationem imponere onus præsentato ad quod aliàs non teneatur, vt si obliget præsentatum ad tuendum ius præsentatis, & ad litem pro ipso prosequendam, poterit tamen absque simoniæ incursu imponere onus præsentato, vt suam præsentationem prosequatur alioquin liberum sit ipsi pręsentãti alium pręsentare, vel agere, quod sibi opportunum visum fuerit, quia non imponit onus pręsentato ad quod de Iure non teneatur, pręsentatus absolutè obligatur litem prosequi, sed sub conditione, si velit pręsentationem suam vires habere, ita *Nauar. cons. 12. de simon. Vgolin. de simon. tab. 1. cap. 49. § 2. num. 5. Soar. d. cap. 28. num. 14. Filliuc. tract. 45. cap. 6. quæst. 8. num. 13.*

47 Nonò, ex dictis infertur vasa sacra, vestes, lapides, & his similia absque vlla simonię labe pretio ęstimari posse. Diximus supra annexa spiritualibus antecedenter, quia temporalem retinent naturam, vendi posse, dummodo ordinatio ipsa ad spiritualia non ęstimetur, sed in nullo istorum sunt vasa sacra, & reliqua supradicta, igitur poterunt vendi. Accedit quod temporalis materia, & forma, cui consecratio, seu benedictio adhęret, rectè pretio ęstimatur. Probãt corol. *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 25. q. 3. art. 2.* & ibidem *Durand. & Palud. q. 5. Siluest. in sum. verbo simonia q. 12.* Nec
48 refert quod Iure expressum sit in *cap. aurum 12. q. 2.* esse

prius

prius vasa confringenda, & conflanda, quàm vendantur, quod ipsum obseruat *S. Thom. d. art. 4. Fernandez in examine Theolog. moral. p. 3. c. 14. §. 1. num.* 23. quoniam id locum habet quando ad vsus prophanos venduntur contra reg. *quod semel dicatum est, de regul. Iuris lib. 6.* oportet enim tunc, vt mutetur forma, & sic consecratio euanescat, deinde vt conflentur, vt possint à laicis tractari sine indecentia, nunquam tamen committitur simonia, atq; ideo si ad vsus sacros vendantur, integra vendi possunt, quamuis Canonistę in *d. cap. aurum, & in cap. ea enim, vers. hoc ius* 10. *q.* 2. existiment nunquam
49 integre vendi posse sine simonia: idem est in sanctis oleis obseruandum si tanta esset materia, quę pretio aliquo ęstimari posset, nec pretium eius valorem excederet; nulla enim apparet ratio discriminis inter oleum sanctum, & vasa sacra, vt benè aduertit *Sot. lib. 9. de Iust. q. 6. art. 1. vers. per hæc*; sed contrarium videtur probare *glos. & Doctores in cap. placuit vt nullus* 1. *q.* 1. dum simpliciter aiunt oleum consecratum vendi non posse, idem affirmat *glos.* 1. *& Doctores in cap. ea quæ 16. de simon. per tex. ibi, Asten. in sum. lib. 6. tit. 55. art. 9.* Pro quibus etiam illud facit quòd consecratio inest oleo per confusionem, quia non habet determinatam formam, cui adhęreat, sicut vasa sacra; illa vero quę per confusionem sunt annexa spiritualibus, eorum habent rationem, vt supra diximus de labore concomitante, sed tamen non est hoc discrimen inter oleum, & alia annexa spiritualibus antecedenter constituendum, cum enim in omnibus temporalibus materia reperiatur, quę per se considerari potest, non est dubium quin valeat pretio ęstimari, nec *S. Thom.* & alij Theologi pręcitati, nec *S. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 13.* tale discrimen constituunt, nec contrarium probat *tex. in d. cap. placuit, & in d. cap. ea quæ*, cum similibus, quoniam locum habent cum pecunia, quę exigitur materię ipsius olei valorem longe excedit, vt semper fit, quo casu dubium non est, quin simonia committatur, quia iam consecratio ipsa venditur, quod apertè indicat *d. cap. placuit*, ibi, *pro modico balsami*, quasi si magna esset quantitas, quę

eo

eo pretio posset ęstimari, non committeretur simonia, cum ergo quantitas olei, quæ singulis Ecclesijs datur, adeo sit exigua, vt si temporalem materiam solam consideres, fere nullius sit momenti, meritò decreta Pontificum, & Doctores indistinctè aiunt simoniam committi, quia semper pretium materiam excedit, & pro consecratione datum videtur. Et illud etiam circa intellectum prædictorum Iurium cõsiderari potest, quod Prælati oleum illud ratione officij gratis tenentur præstare; si autem naturam rei expendamus, & pretium materiæ respondeat, fieri non potest, vt simonia committatur, nec ratio confusionis quicquam probat, quoniam solum viget vbi illa, quæ spiritualibus coniuguntur, ita eandem efficiunt substantiam, quod in oleo non contingit, in quo temporalis materia per se consideratur, & idem est de aqua benedicta, & benedicto pane resoluendum. Illud autem extra omnem controuersiam esse debet, vt omnis materia antequam consecretur pretio dari possit, etiamsi ad illud finem detur.

50 Decimò, ex dictis infertur nullius consuetudinis prætextu obtineri posse, vt pro chrismate, aut oleo consecrato exhibendo pecunia aliqua recipiatur, nec ex eo consuetudinem excusari, quod illa pecunia, seu cathedraticum, aut præstatio Episcopalis appelletur, vel alio quouis nomine, aut prætextu exigatur, ita probat *tex. in cap. ea quæ* 16. *& in cap. in tantum* 36. *de simon. & in cap. non satis ad fin. eod. tit.* vbi consuetudo quantumuis longæua quasi Iuri diuino contraria improbatur ea ratione, quæ redditur in *cap. vlt. de consuetud.* facit etiam *cap. ad nostram, de simon.* & maxime quia de prauo huiusmodi consuetudinis initio Romanis Pontificibus semper constitit, vt scilicet pro consecratione potius quàm pro materia adeo exigua pecunia illa extorqueretur. Vnde si de prauo consuetudinis principio, aut dolo minime constitisset, & nihil aliud quàm annua pecunia, cera, aut aliud simile, nec tempore, nec modo suspecto præstitum appareat, non esset consuetudo improbanda, sed in meliorem partem interpretanda; qua ratione hodierna consuetudo, qua pecuniæ loco cera præstatur iuste po-

test

test excusari, quoniam circumstantia temporis, & modus exactionis apertè iudicant pro sanctis oleis illud exigi, siquidem eo tempore soluitur circa quod oleum recipitur; deinde non aliter, nec prius oleum datur quàm solutionis chyrographus ostendatur, qua in re aperte improbatur ex *d. cap. in tantum*. Quod vero Doctores docent nō solum illicitum esse pecuniam exigere ratione consecrationis, sed nec pro licore ipso olei peti posse, prout affirmant *Ioan. Andr. Card. Abb. Anan. num.* 1. *in d. cap. ea quæ, per tex. ibi, & Præpos. in d. cap. placuit num.* 2. & omnium communis sententia, ita accipienda est, vt velint docere Doctores non solum pro Sacramento Confirmationis, aut Vnctionis conferendo, sed nec pro ipso oleo consecrato pecuniam recipi posse, non quia materia ipsa nequeat per se vendi, vt cum *Sot.* supra probaui, sed quia cum materia sit adeo exigua, vt vix pretio aliquo valeat æstimari, pecunia ratione consecrationis exigi videtur; oporteret autem circa hodiernam consuetudinem præcauere, vt gratis, ac liberè sanctum oleum concedatur nulla prius exactione facta, deinde alio tempore illa prestatio ceræ quasi onus Ecclesiasticis in posterum constituatur, vt omnis remoueatur suspicio.

51 Vndecimò, ex dictis infertur non esse simoniacum crimen officia Ecclesiastica temporalia vendere, aut in solutum dare pro temporalibus obsequijs, prout est officium syndici, custodis, scribarum, apparitoris, & similia, quæ circa temporale ministerium versantur, quamuis aliàs id iniuste fiat. Diximus supra annexa spiritualibus antecedenter absque simonia vendi posse, si ordinatio ipsa, quam habent ad spiritualia, non æstimetur pretio; sed in his temporalibus officijs non venditur ordinatio aliqua spiritualis, & immediata ad spiritualia, nec aliquid aliud, quod inter spiritualia annumerari possit, sed solum temporale illud munus; igitur &c. Præterea officia temporalia ab spiritualibus distinguuntur essentialiter ratione finis, & ratione materiæ à temporalibus, illa enim circa spirituale ministerium immediatè versantur, atq; ideo sine vitio simoniæ non venduntur, vt supra dixi: hæc vero circa opus tem-

temporale, & plerumque mechanicum exercentur, igitur absque simonia æstimari possunt, aliàs à spiritualibus non differrent, quod est absurdum. Facit etiam quod is, qui vendit, non censetur vendere potestatem, quam habet conferendi officia illa, sed id tantum, quod in emptorem transfert, at nihil in emptorem transfertur, nisi temporale, & nudum ministerium ad mandatum alterius exequendum absque vlla iurisdictione, igitur nulla hic versari potest simonia. Tandem pro hac parte est vsus Romanæ Curiæ, in qua officia hæc omnia pretio dantur, & conferuntur, vt ait *Ias.in l.illud num.6.C.de collationib.* Probant corol. *glos. verbo & Iudicem, ad fin. in cap.Saluator* 1.*q*.3.asserens id generali cõsuetudine receptum, & est communis sententia ex *Præpos.ibid.num.*7. quam probat *Archid.in cap.1.ead.q.Innoc.Abb.Anan.* & omnes scribentes in *cap.*1.*&* 2. *ne Prælati vices suas, Borgas. in tract. de irregul. tit. de simonia num.* 65.

52 Non obstat *d.cap. Saluator, vers. in nomine*, quatenus videtur probare simoniam committi si huiusmodi officia vẽdantur, quia licet *Hostien.in cap.tua nos, de simon.* resoluat in venditione horum officiorum temporalium non committi veram simoniam, sed tantum prohibitam legibus humanis, cum decreta Pontificia prohibeant pretio dari huiusmodi officia, eandemq; sententiam tueantur *Abb.& Anan.in cap. consulere, de simon. S.Antonin.p.2.tit.1.cap.* 5.§.2.*Victor. in relect. de simon.p.1.num.16.& Sot.de Iustit. lib.9.q.7.art.1.col.*5.attamen hoc non est verum, quia nullo Iure probatur venditionem horum officiorum quasi simoniacam prohiberi, nec satis est aliquam venditionem legibus Canonicis prohiberi, vt dicatur simonia, quia prohibita, sed oportet, vt sub ratione simoniæ ea fiat prohibitio, & sub specie illius vitij talis venditio constituatur; Vnde respondendum est *Vrbanum in d.cap.Saluator*, non agere de simonia, quatenus est spiritualium venditio, sed condemnare turpem Prȩlatorum auaritiam, qui res Ecclesiȩ temporales, quas aut conseruari oportet, aut in vtilitatem Ecclesiȩ legitimè distribuere, propter proprium commodum

pretio

pretio distrahunt, & ideo in hac venditione nullam simoniam esse, sed tantum turpe lucrum probant *S. Antonin.* sibi contrarius *p. 3. tit. 1 1. cap. 2. §. vlt. Siluest. verbo simonia q. 9. Sot. de Iustit. lib. 3. q. 6. art. 4. col. 5.*

53 Nec etiam obstat idem *cap. Saluator*, dum simoniacam appellat omnem venditionem cuiusuis rei Ecclesiasticæ temporalis si propter commodum proprium venditionis facta sit, quia omissa responsione *Soar. de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *de simon. cap.* 2 9. *num.* 14. *Bonacin. de simon. q.* 3. *num.* 9. existimantium præfatum tex. non intelligi simpliciter, de quibuslibet rebus Ecclesiasticis secundum se spectatis, sed de officijs Ecclesiasticis habentibus annexam administrationem Ecclesiasticam, respondetur hunc tex. procedere, non quia spiritualia pretio æstimantur, sed quia execrabilis auaritia est, & pecuniæ cupiditas circa res Ecclesię commissa, nec ibi veram essentiam simonię considerat, sed detestabilem eius radicem, quę Simonem in illud crimen impulit, quod non obscurè significant illa verba, *sed ambitionem quæstus, & auaritiam*, & paulo inferius, *sola pecuniæ causa, auaritia scilicet*; tandem suadetur ex illis verbis toties repetitis, *ad propria lucra*, indicant enim non committi culpam aliquam in eo text. cum res Ecclesię ad ipsius commodum attrahit iuxta *cap. sine exceptione* 12. *q.* 2. sed tunc demum cum in proprium Pręlati lucrum id fit, quia tunc auaritia est, sicq; eisdem ferè pœnis auari rerum Ecclesiasticarum venditores afficiuntur, quibus simoniaci, *cap. monemus, cum seq.* 12. *q.* 2. *cap. nulli, cap. si quis, de reb. Eccl. non alien.*

54 Ex quibus colligitur non committere simoniam Pręlatum, qui dũ in emphyteusim prędiũ Ecclesię concedit, aliquid pro ingressu sibi exigit, cõueniunt enim Doctores omnes in eo, vt licitũ sit pecuniã pro ingressu recipere si inter partes cõstituatur, iuxta *glo. t. & omnes Scrib. in c. vlt. de locat. Ias. in l.* 1. *n.* 3. *C. de iur. emphyt. Siluest. verb. emphyteusis q.* 3. *Valasc. de iure emphyt. q.* 10. *ex n.* 1. Sed etsi fateamur non licere Pręlatis pecunia pro ingressu recepta emphyteusim facere, quia rerũ Ecclesię domini nõ sunt, sed administratores, *c. vlt.* 12. *q.* 1. *c.* 2. *de donat.*

non inde ſequitur ſimoniam eos cõmittere, qui nihil ſpirituale vendunt;ratio autẽ ea eſſe poteſt ne cupiditate pecuniæ, aut in caſibus illicitis,aut pro minima pẽſione in damnum ſucceſſorũ emphyteuſim concedũt, quæ licet in Prælatis vigeãt,ad ſimoniã nihil pertinẽt,vt colligitur ex *Conc.Trid.ſeſſ.*25.*de ref.c.*11.
55 *in princ.* Cõmittent tamen proculdubio ſimoniã Prælati ſi pro pecunia alienationibus ab alijs inferioribus factis auctoritatẽ ſuã prę̃ſtiterint,quę à Iure requiritur,quia tũc actus iuriſdictionis ſuę vẽdũt,quo caſu cõtradicẽtes Auctores defendi poſſunt.
56 Quęſtio eſt ad præſens inſtitutũ non cõtemnenda an ſit ſimoniacũ mutuare aliquid cũ pacto,vt ille,qui recipit mutuũ,cõferat officium,vel beneficiũ Eccleſiaſticum? In qua cõmunis Doctorũ opinio affirmatiuè reſpondet,quia obligatio illa tollit libertatẽ præſentanti collatori,ac proinde eſt pretio ęſtimabilis, & ſic habere tale officiũ,vel beneficiũ non ſolũ eſt ſimonia,ſed vſura,ita *Medin.in ſum.lib.1.c.*14.§.23.*Lud.Lop.in inſtruct.conſcient.p.2.c.*56.§.*adde*,*Arag.*2.2.*q.*78.*art.*2.*dub.*2.*Val.Regin. in prax.for.pœn.lib.*25.*c.*11.*num.*202. quos refert, & ſequitur *Diana reſol. moral. tract. de contract. reſol.* 61. Vnde referunt *Val.Regin.d.c.*11.*n.*190.*& Rebello de oblig.Iuſtit.p.*2.*lib.*8.*q.*4. *n.*13.quod vtraq;deformitas,ſimoniæ ſcilicet,& vſuræ,in Confeſſione neceſſariò explicanda erit, nam quatenus in pretium mutui intendit rem ſpiritualem,quæ de Iure pro temporali dari nequit,ſimoniam committit,vſuram vero,vt dictum eſt,quatenus ex mutuo intendit rem, quæ etſi de Iure comparari nequeat, pretio tamen æſtimabilis eſt.
57 Verum ſi quis mutuum daret non vt pretium beneficij Eccleſiaſtici,ſed vt hac ratione prouocet amicitiam collatoris,aut vt gratiam præſtet, quam non vult præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur conferendo beneficium, probabile eſt nec vſuram, nec ſimoniam fore,ita *Malder.in* 2.2.*tract.*5.*c.*3.*dub.*9.*Leſſ.de Iuſtit.lib.*2.*c.*20.*dub.*9.*n.*64.vbi ait,ſi mutues alteri cum pacto vt conferat beneficium Eccleſiaſticum,partim eſt ſimonia,partim vſura modo illud pactum ſit iuſtitiæ, ſecus ſi amicitiæ, refert *Diana d.reſol.*61.*verſ.ſed licet*.

PARS

PARS SECVNDA.

IN QVA TRACTABITVR DE SIMONIA, quæ legibus tantùm humanis prohibetur.



SVMMARIVM.

1 *Simonia aliqua eſt legibus tantum Eccleſiaſticis prohibita.*

2 *Beneficia Iure tantum humano vendi non poſſunt, quia tituli eorum ab Eccleſia ſunt inuenti.*

3 *Simonia contra Ius diuinum, vt committatur nihil refert vtrum ſpiritualia, quæ pretio dantur, ſint talia de ſe, aut ex ſuppoſitione, vel ordinatione Eccleſiæ.*

4 *Simonia legibus Eccleſiæ prohibita illis tantum caſibus admittenda eſt, qui Iure reperiuntur expreſſi.*

5 *Actus aliquis aliàs natura ſua licitus, vt quaſi ſimoniacus iudicetur, non ſufficit, vt per legem improbetur, quoniam non omnis prohibitio actum ſimoniacum conſtituit.*

6 *Simonia prohibita vt conſtituatur oportet, quod in ea materia prohibitio legis humanæ conſtituatur quæ ſimoniæ conueniat.*

7 *Simonia legibus diuinis interdicta, tunc contrahitur cum ſpiritualia ſupernaturalia, vel eis annexa, quatenus talia ſunt, pretio æſtimantur.*

8 *Simonia, quæ legibus tantum Eccleſia prohibetur tunc perpatratur cum ſpiritualia, aut connexa verè pretio non æſtimantur.*

9 *Conuentiones illæ in ſpiritualibus prohibentur in quibus temporale datur, retinetur, aut promittitur.*

10 *Temporalia tripliciter dari poſſunt, dum ſpiritualia dantur, aut tamquam ſuſtentationis, ſeu laboris accidentalis ſtipendium, aliaue ſimili honeſta cauſa, aut gratis, & liberaliter,*

aut tamquam pretium spiritualium.

11 Datio, & pactio temporalis tamquam sustentationis causa licita iudicabitur si euidens est honesta illa dandi, aut recipiendi causa.

12 Ecclesia eas conuentiones Iure optimo prohibuit, quæ secundum suam formam veram exprimunt simoniam, aut si temporalia pro spiritualibus re vera data non sint, habent tamen cuiusdam æstimationis figuram.

13 Pactiones multæ sunt in spiritualibus, in quibus temporale datur, quæ tamen veram non continent simoniam contra Ius diuinum, prout est transactio pro bono pacis inter collitigantes.

14 Pactiones dari possunt in spiritualibus, quæ neq; contra Ius diuinum, neq; contra Ius humanum aliquam continent simoniam, sunt tamen illicitæ, qualis est beneficiorum permutatio absque superioris auctoritate.

15 Pactiones tacitæ possunt efficere simoniam legibus humanis prohibitam.

16 Conuentiones tacitæ fiunt, & propriè pactiones sunt.

17 Pactiones tacitæ quinimò & sola voluntas veram efficit simoniam.

18 Pactiones tacitæ impropriè dicuntur, quæ verbis non fiunt, sed signis æquipollentibus, qualis est illa, quæ fit à muto.

19 Pactio tacita propriè accipitur pro ea, quæ à lege fit mediante facto hominis, vel ab ipsa lege, seu natura actus subintelligitur.

20 Permutatio, & conuentio spiritualium absque vlla simoniæ labe fieri possunt.

21 Ius decimandi, Iuspatronatus, Ius eligendi, Ius conferendi beneficia, Ius nominandi, & alia omnia spiritualia, vel annexa, cum alijs eiusdem generis permutari possunt absque vlla simoniæ labe.

22 Beneficia Ecclesiastica an possint absque labe simoniæ permutari saltem lege humana prohibita, ostenditur, & numeris sequentibus.

23 *Permutatio est conuentio natura sua non gratuita in spiritualibus, in qua aliquid temporale datur, aut retinetur.*

24 *Permutatio beneficiorum, si nihil aliud temporale extrinsecus detur, aut reseruetur, absque vlla simoniæ labe fieri potest, nec simoniam prohibitam continet.*

25 *Principale in quolibet actu expendimus, quæ vero in consequentiam veniunt non considerantur.*

26 *Beneficiorum in permutationibus licet temporalia bona reperiantur, considerari non debent, quia necessitate Iuris veniunt in consequentiam, non vero principaliter.*

27 *Ecclesia noluit omnem conuentionem prohibere in spiritualibus, quæ ex partium malitia occasionem mali afferre potest arreptam potius quàm datam.*

28 *Declaratur tex. in cap. cum olim, de rerum permut.*

29 *Beneficiorum permutatio aliqua datur quæ à translatione distinguitur.*

30 *Declaratur d. cap. quæsitum, ad finem, de rerum permut.*

31 *Promissio permutandi licita est, & ex ea obligatio oritur.*

32 *Beneficia permutantibus non licet de permutatione inter se tractare per quam aliquid temporale datur, aut reseruatur.*

33 *Declaratur d. cap. quæsitum, ibi,* pactione præmissa.

34 *Permutationes beneficiorum non solum potest Episcopus expedire, sed etiam alij inferiores Prælati, ad quos institutio, aut destitutio beneficiorum pertinet.*

35 *Permutatio potest expediri non solum à Capitulo, sed etiam ab alio habente iurisdictionem Episcopalem.*

36 *Declaratur d. cap. quæsitum, in verbo,* Episcopus.

37 *Beneficia duo vbi redditibus, & bonis temporalibus inæqualia permutantur, non est licitum pecuniam dare, vt bona temporalia maiora compensentur, quamuis pro Iure spirituali dari non intendatur.*

38 *Declaratur cap. ad quæstiones, de rerum permut.*

39 *Beneficij vniti titulus in perpetuis Ecclesiarum vnionibus penitus extinguitur, itaut nihil aliud quàm sola proprietas reddituum, & bonorum temporalium amplius consideretur.*

40 Re-

40 *Regressum in euentu non solutæ pensionis, non poteſt quis propria auctoritate in beneficio à se resignato constituere.*
41 *Proponitur casus cuiusdam contingentiæ.*
42 *Pensionis solutio constituit pensionarium in quasi possessione illam exigendi ad omnes Iuris effectus.*
43 *Pensionem soluere recusanti intimari debent personaliter litteræ Apostolicæ reseruationis.*
44 *Auditor Cameræ pro terminis decursis, & non solutis pensionis in vim obligationis Cameralis mandatum executiuum, & litteras declaratorias relaxat.*
45 *Signatura plena Iustitiæ aditur pro committenda causa in Rota, in qua adest obligatio Cameralis.*
46 *Titularis nullam legitimam exceptionem allegare potest, qua à pensionis solutione se eximat, nisi solutionis, aut redemptionis factæ auctoritate superioris, vel similem aliam notoriam nullitatem incontinenti probandam.*
47 *Regressus per sententiam canonizari debet.*
48 *Clausula* non aliàs, *facit totam gratiam corruere si regressus non teneat.*
49 *Regressus, & accessus faciunt gratiam conditionalem.*
50 *Conditione deficiente nihil dicitur actum.*
51 *Accessus, & ingressus intrat ob non solutam pensionem, seu ob petitionem, vel allegationem nullitatis illius.*
52 *Rota non solet admittere accessum, & ingressum nisi concurrat nimia proteruia in denegante soluere.*
53 *Regressus, & accessus per accessum, vel decessum sustulit Concilium Tridentinum, non autem illos, qui ob non solutionem pensionis conceduntur.*
54 *Regressus concessio operatur restitutionem tituli, non translationem.*
55 *Rediens ad beneficium resignatum vigore regressus recuperat locum, quem prius habebat.*
56 *Ius suum reducere volens ad pristinam naturam dicitur habere assistentiam Iuris.*
57 *Regressus non est pœna, nec quicquam habet in se amari.*

58 Au-

58 *Auditor Cameræ vigore obligationis Cameralis est Iudex completus.*

59 *Resignationes vtplurimum admittuntur, & conceduntur ad vota resignantiam, & habent tacitam conditionem, vt pacta seruentur.*

60 *Pacta diligenter seruari oportet, & inter contrahentes sunt omnino obseruanda.*

61 *Contractus ex conuentione partium legem accipiunt.*

62 *Consensus inualiditatem allegans debet hoc concludẽter probare.*

63 *Præsumptio stat pro validitate actus.*

64 *Litteræ Apostolicæ præsumuntur expeditæ cum consensu valido, & cum mandato legitimo.*

65 *Mandatum præsumitur quoties enuntiatur per Principem.*

66 *Notarij Cameræ, vel Cancellariæ non mittunt supplicationes, nisi constito de sufficienti mandato.*

67 *Expeditio facta multis expensis præsumitur facta de mandato illius, cuius interest.*

68 *Mandatũ præsumitur ex impensa, etiãsi de eo expreßè nõ cõstet.*

69 *Prouisionem acceptans dicitur formaliter consentire omnibus in litteris contentis.*

70 *Appellari non potest ab Auditore Cameræ procedente vigore obligationis Cameralis.*

71 *Ius à resignante non abdicatur per resignationem nullam.*

72 *Pensio vbi nulla fuerit non abdicatur Ius à resignante.*

73 *Clausula* non aliàs, *importat conditionem suspensiuam.*

74 *Consensus cessat non adimpleta forma.*

75 *Ius non abdicatur à resignante non seruatis conditionibus.*

76 *Pensio si in parte non subsistit, non est reducibilis ad minorem quantitatem.*

77 *Clausulæ acceßoriæ ad resignationem narratam, nihil operantur renunciatione nulla, seu inualida existente.*

78 *Resignatarius nihil refert, quod retineat beneficium ex causa resignationis si fuerit nulla, sed ex alijs causis de quibus in litteris, quia etiam tunc tenetur stare conditioni pro conseruatione iuris resignantis.*

79 *Ma-*

79 Magistratus Regij Hispaniarum libertatis Ecclesiasticæ acerrimi propugnatores sunt.

80 Pensiones quæ reseruantur pro sustentatione pensionarij cedunt in causam alimentorum.

81 Ingratitudo est vitium Deo, & hominibus detestabile.

82 Ingrati animi siccitas exhaurit benignitatis fontem.

83 Laus in ore proprio vilescit.

ARTIC. I.

Vtrum aliqua sit simonia legibus tantùm Ecclesiasticis prohibita.

1 ICET inter omnes Doctores receptum sit aliquam esse simoniam legibus tantum Ecclesiæ prohibitam, ex sententia *glos. in cap. ex parte il 1. verbo dimittere, de officio deleg.* quam omnes ibidem sequuntur, & docent *glos. verbo illicitè in fine in cap. cum pridem, de pactis, Doctores in c. 1. de simon. Theologi in 4. dist. 25. Card. S. Sixti in cap. latorem 1. q. 1. num. 5. Borgas. de irregular. tit. de simon. num. 11. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 2. num. 1. Azor. instit. moral. lib. 12. cap. 1. q. 2. ad fin. Less. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 4. num. 25.* nihilominus tamen non satis explicant quo pacto vera simonia à prohibita distinguatur, & quibus regulis simonia legibus tantum Ecclesiæ prohibita cognosci, & iudicari valeat; *glos. in d. cap. ex parte*, existimat simoniam lege diuina prohibitam, tunc demum committi cum spiritualia supernaturalia pretio dantur, quæ ex diuina ordinatione spiritualia sunt, prout Sacramenta Ecclesiæ; illam autem esse simoniam Iure humano prohibitam, quæ versatur in venditione eorum, quæ ex constitutione Ecclesiæ tantum spiritualia sunt, sequuntur post alios *Felin. nu. 2. & Dec. nu. 7.*

ibidem

2 ibidem existimantes beneficia Iure tantum humano vēdi non posse, quia tituli eorum ab Ecclesia sunt inuenti, idem probat *Card.* & *Anan.num.7.in d. cap.* 1. *de simon.* vbi asserunt communem esse sententiam, receptam etiam testatur *Præpos.num.* 23.*in d.cap.latorem*, communem etiam, & veram dicit *Iul. Clar.in* §.*simonia num.*5. neque multum ab hac distat *Palud. d.dist.* 25. *q.* 4. *num.* 14. dum ait simoniam prohibitam quoad pœnam, & culpam esse illa vendere, quæ lege diuina spiritualia non sunt, sed ex ordinatione Ecclesiæ pro spiritualibus haberi debent, & sacris.

3 Verum communis hæc resolutio amplectenda non est, quoniam vt committatur simonia contra Ius diuinum, nihil refert, vtrum spiritualia, quæ pretio dantur, sint talia de se, aut ex suppositione, vel ordinatione Ecclesiæ; postquam enim sic ordinata sunt iam efficiuntur formaliter spiritualia, & relatione rationis, lex autem diuina vetat absolutè spiritualia pretio dari, vt par. 1. probatum est, quæ doctrina ex eo etiam demonstratur, quia solemnitas voti ab Ecclesia est iniuncta *cap. vnic.de voto lob.6.* ea tamen supposita obligatio est Iuris diuini, vnde beneficiorum venditio simonia est legibus diuinis contraria, vt cum grauissimis Auctoribus probaui sup. par. 1. art. 4. & merito Canonistarum sententiam improbant *Caiet. Victor.* & *Sot. dictis locis*. Secundò loco *Durand.d.q.*5. in sua singulari opinione perseuerans, ait simoniaca lege humana prohibita illa esse, quæ cum de se talia non sint, pœnis simoniæ afficiuntur, putat enim contra legem humanam simoniam non committi, sed appellari simoniam, quia prohibitam eo quod simoniæ pœnis afficitur. Sed hęc sententia ab omnibus reijcitur. Alij verò, inter quos est *Sot.* particularibus exemplis nituntur ostendere aliquam esse simoniam legibus tantum humanis prohibitam, prout est cum officia Ecclesiæ temporalia pretio dantur, vt in *cap.Saluator* 1.*q.*3. & cum beneficia auctoritate propria permutantur, vt in *cap. quæsitum*, & *in cap. cum olim*, *de rerum permut.* item cum pactiones in spiritualibus fiunt, modi, aut conditiones adhibentur, de quibus in

cap.cum pridem, *& in cap. vltim. de pactis*, *& in cap. constitutus*, *& in cap. super eo*, *& in cap. præterea*, *cum sequentib. de transaction.* cum alijs exemplis adductis per *Bonacin. de simon. q. 3. num. 3.* Sed nec huiusmodi exempla perpetua sunt, aut simpliciter, & absolutè vera, vt infra corolar. 1. demonstrabitur, nec particularibus exemplis certa doctrina constitui potest, qua vtraque simonia valeat rectè distingui, & iudicari.

4 Pro exacta igitur huius materię declaratione aduertendum est simoniam legibus Ecclesiæ prohibitam illis tantum casibus admittendam, qui Iure reperiuntur expressi, quibus lex veluti simoniacum aliquid fieri prohibet, quod remota lege humana licitum fuisset, vtpote nec de se malum, nec lege aliqua diuina prohibitum, etenim in his, quæ legibus diuinis non repugnant, omnia licita putari debent, quæ prohibita non reperiuntur, cum enim natura sua actus illi rectè fieri possent, qui illicitum aliquem esse contenderit, legem id prohibentem ostendat iuxta vulgaria Iura.

5 Vlterius illud etiam notandum ad actum aliquem, aliàs natura sua licitum quasi simoniacum iudicandum non sufficere, vt per legem improbetur, quoniam nō omnis prohibitio actum simoniacum constituit, sed illa tantum, quæ in ratione simoniæ aliquid prohibet circa spiritualia, quod imaginem non gratuiti actus habeant. At res Ecclesiæ, iura, & actiones non liceret absque simonia vendere, quod nemo concedet: item nec sufficeret, vt actus aliquis simoniæ pœnis afficiatur, vt debeat simoniacus iudicari; crimina enim ex sua natura, & forma, & ex his, quę sunt essentialia speciem sortiũtur, non vero ex his, quæ sunt omnino extrinseca, prout est pœna, furtum enim, adulterium, & homicidium, esto eisdem plectantur pœnis, specie longe differunt, iniusta etiam rerum Ecclesiæ alienatio similes habet simoniæ pœnas, vt patet ex *cap. si quis Presbyterorum*, *de rebus Eccles. & ex cap. vlt. eod. tit. lib. 6. Extrauag. ambitiosæ*, *eodem tit. inter commun.* à simonia tamen longe distat. Qua-
6 propter ad simoniam prohibitam constituendam oportet, vt

in

in ea materia prohibitio legis humanæ constituatur, quæ simoniȩ conueniat, prout sunt spiritualia, & eisdem annexa. Rursus neque sola sufficiet in tali materia prohibitio cum circa spiritualia leges humanȩ multa prȩcipiant, quȩ ad Religionem pertinent, vt patet, sed requiritur, vt actus prohibitus circa spiritualia, vel connexa venditioni sit similis, & onerosam causam habeat ex natura sua, quod vel ex eo demonstratur, quia prohibita simonia ad imaginem verae iudicari debet, & ideo materia debet conueniens esse, & forma actus prohibiti. Cum ergo simonia vera illa duo habeat, nempe spiritualia, insuper & venditionem eorum, vel aliquid, quod habeat rationem pretij, rectè sequitur esse notoriam in simonia prohibita, scilicet materiam, & vt actus prohibitus iuxta suam formam pretij imaginem præ se ferre videatur, quod non obscurè colligitur ex *cap. quam pio 1. q. 2.* dum in traditione spiritualium pactionem de temporalibus dandis fieri vetat, postea dari non prohibet, quoniam prius venditionis habet imaginem, posterius non ita. Suadetur etiam ex *cap sicut Episcopum, eadem q. & ex cap. tua nos 34. de simon.* vbi pactio prohibetur, *cap. super eo, de transactionib.* vbi transactio in spiritualibus condemnatur, quia non gratuita conuentio est, amicabilis vero compositio approbatur, idem facit *tex. in cap. vnico, ad fin. vt ecclesiast. benefic. sine dimin. confer.* obseruat rectè *Abb. in cap. 2. de transaction.*

7 Ex quibus omnibus desumitur vera conclusio, vt sequitur. Simonia legibus diuinis interdicta tunc contrahitur cum spiritualia supernaturalia, vel eis annexa, quatenus talia sunt,
8 pretio ȩstimantur, illa vero quȩ legibus tantum Ecclesiȩ prohibetur, tunc perpatratur cum spiritualia, aut annexa verè pretio non æstimantur, circa illa tamen pactiones, aut conuentiones natura sua non gratuitȩ adhibentur, quȩ venditionis imaginem, & quandam eorum ȩstimationem exprimere videntur. Dixi, *verè pretio non æstimantur*, quoniam si spiritualia, vel annexa pretio fuerint æstimata simonia quoque legibus diuinis prohibita committetur, sin minus ex sola tali

conuentione ſimonia prohibita contrahitur, vt infra corol. 1. latius tractabitur.

9 Primò ex dictis infertur illas conuentiones in ſpiritualibus prohiberi, in quibus temporale datur, retinetur, aut promittitur, quod ſi ab vtraque parte nihil temporale conſideretur, ſed ſpiritualia ſint omnia, eam pactionem nullo Iure improbatam cenſeri, Eccleſia enim, vt in re periculoſa cautè ageret, & ſanctè ſancta tractarentur, omnes gratuitas pactiones circa ſpiritualia prohibuit, in quibus temporale aliquid interueniret, quod pretij imaginem habere videretur, quamuis recta fuiſſet partium intentio, quæ opera prohibita contra præceptum directè non faciunt, ſicq; omnem ſiniſtram ſuſpicionem, & mali ſpeciem habent, *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* ibi, *ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiam ſuſpicionem habent.* fietq; res hæc apertior, ſi illa repetantur, quæ ſupra *par. 1. art. 2.*
10 *corol. vlt.* dicta ſunt; temporalia namque tripliciter dari poſſunt dum ſpiritualia dantur, aut tamquam ſuſtentationis, ſeu laboris accidentalis ſtipendium, aliauè ſimili honeſta cauſa, aut gratis, & liberaliter, aut tamquam pretium ſpiritualium.

11 Primò caſu ſi euidens eſt honeſta illa dandi, aut recipiendi cauſa, datio, & pactio licita iudicabitur, vt probaui illic; ſin autem in ea conuentione talis cauſa non apparet, ſed illud demum quæritur vtrum liberalis ſit datio, aut illiberalis, & quaſi pretium, tunc ſi nulla pactio, conuentio, exactio, aut taxatio interueniat, illud gratis datum poſſumus credere obſeruatis circumſtantijs, de quibus in *d. corol.* Sin autem pactio, aut conuentio interueniat, non gratis datum intelligemus, habent enim hęc manifeſtam pretij imaginem, vt probat *tex. in d. cap. ſicut Epiſcopum 1. q. 2.*

12 Quibus præhabitis reſoluendum eſt Eccleſiam eas conuentiones Iure optimo prohibuiſſe, quæ ſecundum ſuam formam veram exprimunt ſimoniam, aut ſi temporalia pro ſpiritualibus re vera data non ſint, habent tamen cuiuſdam æſtimationis figuram. Et dum Doctores aiunt eas pactiones improbari, in quibus temporale datur, aut retinetur pro ſpiritualibus, ita

ſunt

ſunt exaudiendi, vt particula, *pro*, neceſſariò pretium non ſignificet, iam enim contra Ius diuinum ſimonia eſſet, ſed illud demum, vt iuxta pactionis figuram temporale illud ratione ſpiritualium datum, aut retentum prima facie videatur, vt probatur ex *cap. vlt. de rerum permut.* dum ait permutationes de ſpiritualibus ad temporalia prohiberi.

13 Vnde iam primò colligitur multas eſſe pactiones in ſpiritualibus in quibus temporale datur; quæ tamen veram non continent ſimoniam contra Ius diuinum, prout eſt tranſactio pro bono pacis inter collitigantes, de quo in *cap. conſtitutus, & in cap. præterea, de tranſact.* & omnes aliæ in quibus temporale illud re vera non datur tamquam pretium ſpiritualium, ſemper tamen contra Ius humanum ſpeciem ſimoniæ habent, & ideo ſimoniacæ quia prohibitæ dicuntur, vt poſt *Innoc.* & alios antiquos obſeruat *Abb. num. 3. in d. cap. conſtitutus, & in cap. ſuper eo num. 2. eod. tit. Anchar. in cap. cum pridem, de pactis.*

14 Secundò colligitur pactiones etiam dari poſſe in ſpiritualibus, quæ neque contra Ius diuinum, neque contra Ius humanum aliquam continent ſimoniam, ſunt tamen illicitæ, qualis eſt beneficiorum permutatio abſque ſuperioris auctoritate, & omnes aliæ, quæ fiunt de ſpiritualibus ad ſpiritualia abſque vlla interueniente re temporali, fiunt tamen iniuſte, & contra leges, ſeu animo non recto, & ideo illicitas pactiones in ſpiritualibus à ſimonia diſtinguit *Concil. Trid. vbi ſup.* & litteræ beneficiales in quibus clauſula apponi ſolet ne ſimonia interueniat, aut alia illicita pactio, obſeruat *Cou. lib. 1. variarum cap. 5. num. 4.*

15 Tertiò colligitur vtrum tacitæ pactiones poſſint efficere ſimoniam legibus humanis prohibitam, itaut ſub ea prohibitione comprehendantur de qua in *cap. vlt. de pactis*, *Cardin. ibid. not. 3. & Anchar. in princip.* poſt alios antiquos volunt eam prohibitionem ad tacitas quoque pactiones pertinere; quorum ſententia probatur ex eo, quod etiam tacitæ conuentiones
16 fiunt, & propriè pactiones ſunt, ex *l. item quia, ff. de pactis*, & taciti, atque expreſſi idem eſt iudicium, *l. cum quid, ff. ſi cer-*

17 *certum pet.* Facit etiam quod tacitæ pactiones, quinimò, & sola voluntas, veram efficit simoniam, iuxta *text. in cap. tua, & in cap. vlt. de simon. Caiet. in sum. verbo simonia interior, Sot. de Iustit. lib. 9. q. 8. art. 1. Nauar. in man. cap. 23. nu. 103.* igitur etiam poterit efficere speciem simoniæ lege tantum Ecclesiæ prohibitam.

18 Verum hæc sententia indiget censura, aut enim prædicti Auctores agunt de simonia vera Iure diuino prohibita, cum scilicet spiritualia pretio æstimantur, aut de simonia, quam prohibet lex tantum Ecclesiæ: priori modo Doctores rectè docent, quoniam lex diuina per actus internos violatur, & eos comprehendit, vt præcitata Iura probant, & hoc nobis videntur docuisse *Card. & Anch. vbi supra*; posteriori vero modo si Doctores accipiantur, oportet distinguere inter tacitas pactiones, possunt enim dici impropriè tacitæ, quæ verbis non fiunt, sed signis æquipollentibus, qualis est illa, quæ fit à muto, de qua in *cap. cum apud, de sponsalib.* & illa de qua in *l. si stipulor 35. §. vlt. ff. de verb. oblig.* & huiusmodi tacita pactio potest efficere simoniam lege tantum humana prohibitam, & in ea comprehenditur, quoniam vera conuentio est, cuius substantia in partium consensu versatur siue verbis, siue signis declaretur *l. 1. in fine, ff. de pactis, d. §. vlt.* Cæterum talis pactio non benè dicitur tacita, sed potius expressa appellari debet, parui enim refert verbis, aut signis consensum explicari, vt benè docet *glos.* recepta *verbo mutus in d. l. item quia*, & multis congestis *Tiraq. post leges connub. glos. 7. num. 160.* Sin autem tacita
19 pactio propriè accipiatur pro ea, quæ à lege fit, mediante facto hominis, vel ab ipsa lege, seu natura actus subintelligitur, tunc non potest comprehendi in aliqua prohibitione Iuris humani, quæ pactiones, aut conuentiones interdicat, nec efficere simoniam lege tantum humana prohibitam, quia pactio propriè non est, sed magis legalis obligatio, cuius vis potius ex auctoritate legis, quàm ex partium consensu prouenit, prout cernitur in omnibus quasi contractibus, de quibus in *d. l. item quia, & in l. ex consensu, ff. de action. & obligat. & ex tit. Instit.*

de

de obligat. quæ ex quasi contractu, in quibus quoniam pactionis substantia deficit, prohibitio humana de pactionibus agēs, locum habere non potest, vt colligitur ex *tex. in l. conuentiones 94. ff. de condit. & demonst. & ex l. actus legitimi, ff. de regulis Iuris*, ex eoq; patet quoniam odiosa prohibitio extendi non debet contra *reg. odia, de regul. Iuris, lib. 6.*

20 Secundò infertur spiritualium permutationem, & conuentionem absque vlla simoniæ labe fieri posse. Diximus supra illas conuentiones prohiberi in spiritualibus, in quibus temporale aliquid datur, aut retinetur, quod pretij imaginem habere possit, sed vbi spiritualia cum spiritualibus permutantur, vel de ipsis pacto fit, nulla re temporali interueniente nihil ibi reperitur, quod habeat pretij imaginem, igitur nullam simoniæ labem continet. Confirmatur hæc sententia ex *cap. ad quæstiones, de rerum permut.* ibi, de dictis Ecclesijs per se queat permutatio celebrari, *cap. vlt. eod. tit.* ibi de spiritualibus ad temporalia argumento facto à contrario sensu. Probant corol. *glos.* ab omnibus recepta in *d. cap. vlt. verbo temporalia, Doctores in cap. vlt. de pactis*, communis ex *Præpos. in cap. quam pio num. 5. 1. q. 2. Lambertin. de iurepatron. p. 2. lib. 2. q. 5. princ. art. 5. num. 4. Cou. lib. 1. var. cap. 5. num. 4. & ex Theologis Paludan. in 4. dist. 25. q. 5. Maior. ibid. num. 6. Sot. de Iust. lib. 9. q. 5.

21 art. 2. ad fin.* quo fit vt ius decimandi, iuspatronatus, ius eligendi, ius conferendi beneficia, ius nominandi, & alia omnia spiritualia, vel annexa, cum alijs eiusdem generis permutari possint absque vlla simoniæ labe, vt vltra prædictos docet *Angel. verbo permutatio §. 4. Rebuff. in praxi tit. de rerum permut. num. 24.* quamuis *Adrian. quodlib. 9. & Ricchard. dict. distinct. 25. art. 3.* contrarium velint absque fundamento vllo probabiliter.

22 Vtrum verò Ecclesiastica beneficia possint absq; labe simoniç permutari saltē lege humana prohibita, quæstio est in qua *glos. & scribentes in c. ex parte il 1. de offic. deleg.* existimāt permutationem beneficiorum propria auctoritate factam, simoniacam esse quia prohibitam lege humana, eandem sententiam probat

bat *Cardin.& omnes scribentes in cap.quæsitum, de rerum permut. Angel.verbo permutatio num.3. Siluest.eod. verbo* §.2.*q.*2. & videntur etiam probare *S.Thom.*2.2.*q.*100.*art.*1. *ad* 5. *Palud.d.q.*5.*art.*1. nec satis sibi constat *Sot.dicto loco*. Mouentur
23 Doctores primò ex eo, quia permutatio conuentio est natura sua non gratuita in spiritualibus, in qua aliquid temporale datur, aut retinetur improbatur legibus humanis, vt primo corol.dictum est, igitur beneficiorum permutatio simoniæ labe non caret cum in ea non solum spiritualis titulus, sed etiam temporales redditus, & bona reperiantur. Accedit quod Ecclesia omnem videtur prohibuisse conuentionem, quę posset occasionem prębere simonię, sed permutatio id potest efficere, si ratione temporalium spiritualis titulus principaliter permutetur, igitur &c. Tandem adducitur pro hac sententia *tex. in d.cap.quæsitum, verbo præsertim*, quo significatur permutationem præbendarum, etiam non præmissa pactione labem simoniæ continere; facit etiam *cap.cum olim, eod. tit.*
24 Verum hæc sententia à Theologis,& Canonistis recepta, à Iuris principijs est penitus aliena, & veriùs existimo permutationem beneficiorum, si nihil aliud temporale extrinsecus detur, aut reseruetur absque vlla simonię labe fieri posse, nec simoniam prohibitã continere: quod in primis probatur ex illa receptissima Doctorum resolutione de qua supra, dum verè affirmant spiritualia, & eis annexa, cum alijs eiusdem generis absque simonia permutari. Constat autem beneficia spiritualia iura esse, vel annexa, vt ait *tex.in cap.dilecto, de præbend.* Igitur absque vlla simonia permutabantur. Rursus si permutatio hæc fuisset simoniaca,quia prohibita,vt cõmunis dicit,auctoritas Episcopi vitium hoc purgare minimè potuisset, quoniam cum lege sit inferior non potest culpam à lege introductam ab actu remouere iuxta *reg.cap.cum inferior, de maiorit.* fatentur autem Doctores permutationem hanc auctoritate Episcopi factam non propter speciem simoniae, sed alia ratione prohiberi, ac perconsequens ex Doctorum traditionibus eorum sententia refutatur. Tertiò si hæc permutatio esset simo-

simoniaca, quia prohibita ex eo plane fieret, quia in ea redditus, & bona temporalia reperiuntur, quę insimul cum speciali titulo permutantur, ob quod simonia committi potest si praua sit partium intentio, sicq; non videtur beneficiorum permutatio cum alijs spiritualium commutationibus comparanda, in quibus nihil temporale reperitur, Doctores argumentantur: sed hęc ratio parum concludit, quoniam in quoli-
25 bet actu illud expendimus, quod est principale, quę vero in consequentiam veniunt non considerantur, *l.1. ff. de auctorit. tutor. l. si quis nec causam*, vbi *Doctores*, *ff. si cert. pet.* & in quotidiano casu *Ludou. Gom. in cap. statutum, de rescript. lib. 6.* Constat autem in beneficijs principale esse Ius spirituale, temporale autem in consequentiam venire, igitur in permutatione beneficiorum, si sine fraude fiat, non debent considerari, vt speciem efficiant simonię. Retorquetur etiam pro hac parte, *tex. in d. cap. quæsitum*, dum ait beneficiorum permutationem fieri non posse, præsertim pactione pręmissa, nam relatiuum, *quæ*, non ad permutationem, sed ad pactionem manifestè refertur, vnde dictio, *præsertim*, quę idem significat in casu contrario, ita accipienda est, vt velit Pontifex illicitam esse permutationem, auctoritate propria, etiam pactione non pręmissa, ea vero adhibita esse multò magis illicitam, quia pactio continet simoniæ labem, sicq; *tex.* ille contra communem retorquetur, quę etiam refertur ad *d. cap. cum vniuersorum*, dum ait de Iure non potuisse beneficia auctoritate propria permutari, nullumq; de labe simonię verbum, vnde indicat non ratione simoniæ, sed alia diuersa prohiberi: per quæ fundamenta hanc sententiam contra communem probat *Sot. de Iustit. lib. 9. q. 7. art. 2. Cou. vbi supra*.

26 Qua retenta sententia non obstant fundamenta pro communi supra adducta. Ad primum ex dictis respondetur, quod licet in permutationibus beneficiorum temporalia bona repe-riantur, considerari non debent, quia necessitate Iuris veniunt in consequentiam spiritualium, non vero principaliter, aut ex consensu partium, quod enim supra diximus pactionem in spi-

ritualibus improbari quasi simoniacam, ita accipiendum si temporalia ex partium consensu æquè principaliter dentur,
27 aut retineantur. Ad secundum dicendum Ecclesiam non omnem voluisse conuentionem prohibere in spiritualibus, quæ ex partium malitia occasionem mali afferre potest arreptam potius quam datam, aliàs enim nulla spiritualium conceptio, aut omnis conuentio permitteretur, cum nulla sit ex qua hominum malitia nequeat prauam occasionem capere, sed illas demum Ecclesia prohibuit, quæ iuxta suam formam simoniæ speciem, aut imaginem haberent, quamuis à parte rei nulla esset. Vnde cum in permutatione beneficiorum nulla detur probabilis occasio, nec imago simoniaci contractus, quia nihil temporale per se reperitur, quod pretij nomen habere possit, planè non ideo prohibitę censentur, quia speciem simoniæ habent, sed quia auctoritate partium Ius fieri vetat. Ad tertium ex *d. cap. quæsitum*, responsum est supra; quod vero ille *tex.* ait, & *cap. cum olim, eod. tit.* permutationes præbendarum fieri non posse,
28 intelligendum est propria auctoritate, quia Ecclesiastica beneficia non possunt sine institutione superioris obtineri, *cap. ex frequentibus, de institut. reg. 1. de regulis Iuris lib. 6.* sicq; illa Iura intelligunt vtrobiq; *glos. & scribentes omnes*, & latius *Sot. & Cou. citatis locis*, neq; aliquem contradictorem habent, quamuis communis malè sentiat in eo, quod putat auctoritate propria factam permutationem quasi simoniacam prohiberi, nos vero contra ideo credimus prohibitam, quia non licet priuatis beneficia transferre, dimittere, aut permutare propria auctoritate, quorum dominium propriam, aut liberam administrationem non habent. Neq; obstat, quod iuxta hanc interpretationem præcitata Iura nullum penitus dubium definiunt, nam respondemus non modicam dubitationem habere, quia tantum agunt de permutationibus præbendarum, de quibus merito potuit dubitari.
29 Tertiò infertur dari aliquam permutationem beneficiorum, quę à translatione distinguatur, prout totius Ecclesiæ vsus obseruat, & decreta Pontificum palam demonstrant. Pro quibus illud

illud in primis facit, quod translatio, & permutatio sub diuersis titulis tractantur, & diuersis appellantur nominibus passim in Iure, extat enim *titulus de translatione Prælatorum, & de rerum permut.* item transferri personas, & permutari beneficia quasi diuersa antiqui, & nouiores Pontifices appellant, vt constat ex *cap. mutationes 7. q. 1. cap. cum olim, cap. pen. & vlt. de rerum permut. & in Sexto, & Clementinis*. Igitur duo hæc prorsus diuersa sunt, iuxta *l. si idem, C. de codicillis, Abb. cons. 87. lib. 2. Corn. cons. 104. col. 2. lib. 4. Lancell. Gallia in consuetud. Alexandr. verbo legare num. 26. Aym. cons. 6. num. 1. Menoch. cons. 257. num. 8.* Ergo concedenda est alia beneficiorum commutatio, quæ huius contractus rationem habeat, & à translatione sit diuersa. Neq; ferendum permutationis nomen semper à Summis Pontificibus pro translatione vsurpari. Confirmatur eadem sententia ex eo, quod translatio non oportet, vt sit reciproca, sed plerumq; vnius est ad alium locum, seu beneficium vacans, fit etiam inuitis possessoribus, vt probat *d. cap. mutationes*, & fatentur omnes Doctores vbi supra, permutatio autem reciproca esse debet, quasi mutua datio, & ex voluntate permutantium in eorum vtilitatem fit, vt probat *tex. in d. cap. cum vniuersorum*, Tertiò in eandem sententiam non ineptè expenditur idem *tex.* dum præbendarum permutationem ex tractatu, vel vtilitate partium factam eo tantum nomine illicitam esse, quia priuata auctoritate facta fuit, apertè significans interueniente superiore sub ea forma rectè fieri, quod proculdubio rationem habet permutationis, & à translatione longè differt. Quartò, & id ipsum colligitur ex *cap. vnic. de rerum permutat. lib. 6.* ibi, *permutare volentes*, & euidentius ex *Clem. vnic. eod. tit.* ibi, *concessione Iuris vtentibus*, quibus verbis *tex.* ostendit aliquam esse concessionem à Iure factam ipsis personis ad commutanda beneficia: at verò translatio non est concessio personis facta, sed facultas secundum Iuris regulam Prelatis competens ad omnia peragenda, quæ suis Ecclesijs fuerint necessaria, & perconsequens aliqua concedenda est permutatio à translatione differens. Quod si

velimus intelligere in quo illa concessio ex gratia consistit, quæ contra Iuris rigorem facta est, de qua in eo *tex.* respondendum credo ex rigore Iuris renunciationem conditionalem, vt scilicet alteri beneficium conferatur, fieri non posse, sed purè, & liberè, poteratq; Prelatus reiecta conditione beneficia alijs conferre quasi liberè vacantia, vt probat *tex. in d. cap. vnico, glos.* recepta in *cap. ex parte il 1. verbo dimittere, de officio deleg. Cou. var. lib. 1. cap. 5. num. 5. Rebuff. in praxi tit. de renunciat. condit. in princ.* & contra hunc rigorem ex æquitate concessum est, vt ea adiecta conditione ex causa permutationis renunciatio fiat, nec alijs quàm compermutantibus beneficia conferantur, vt ex eodem *tex.* colligitur. Translatio verò multò antiquior est non ex concessione, aut gratia, sed ex summo rigore licita, quo pacto *tex. in d. Clem.* necessariò euincit veram esse hanc sententiam, quam praxis recepit, quia etiam Doctores apertis verbis concedunt locis supra citatis, licet non satis se explicent circa modum, & de permutationibus beneficiorum varij extant tractatus, quorum memini *ad rubr. de rerum permut. in Decretalib.*

30 Non obstat *cap. quæsitum, ad fin. de rerum permut.* quatenus permutationes præbendarum inquit de Iure fieri non posse, quia respondetur Vrbanum Pontificem in eo *tex.* plane agere de permutatione, quę fit, & perficitur sola partium conuentione, ea enim proprià permutatio est, quæ pacto partium perficitur, re propria ab vtraque parte data, quæ accipientis fiat, quod cum in beneficijs contingere non possit, non immerito Pontifex absolutè ait beneficia permutari non posse, hoc est propria auctoritate, prout temporalia bona permutantur, pars enim potissima in commutatione beneficiorum auctoritati superioris tribuenda est, qui resignationem ex ea causa admitti, & resignata vicissim confert, atq; ideo cum translationi similis videatur à Summo Pont. in eo *tex.* translatio potius quàm permutatio dicitur, quæ auctoritate superioris fit, quę verò propria permutatio esse poterat partium conuentione, & traditione perfecta in beneficijs non reperitur, &

ideo

ideo nulla datur propria, & absoluta permutatio in eis, quod Pontifex in eo *tex.* intendit, non tamen inde sequitur nō posse de Iure fieri permutationes prębendarum, quę huius contractus magna ex parte rationem habeant, & à translationibus differant, quatenus à partium consensu incipiunt, & quatenus in ipsis est reciprocè beneficia dare cum alter in gratiam alterius renuntiat ex causa permutationis, & beneficia ad eos perueniant. Quod verò *tex.* ait posse personas transferri per Episcopum, ita accipiendum est, vt impropriè translatio appelletur ea permutatio, quę auctoritate superioris fit, ea ratione, quia cum Episcopus renuntiandi licentiam concedat, & beneficium conferat, videntur magis translatę personę, quam permutatio facta. Potest etiam tentari tempore Vrbani III. nondum Iure Pontificum permissum fuisse beneficiorum commutationem, quę à partium voluntate, & conuentione, & vtilitate initium acciperet, itaut teneretur Episcopus, nullo alio extante impedimento renunciationem ex causa permutationis admistere, quę conditionalis est, & resignata beneficia permutantibus necessario dare; sed postea ab *Innoc. III. in d. cap. cum vniuersorum*, & alijs nouioribus Pōtificibus id permissum fuisse, vt innuit *tex. in d. cap. vnico*, hodie vero cessat controuersia per decisionem *Bonifacij*, *& Clementis*, *vbi sup.* vide *Barbos. in addit. ad collect. d. cap. quæsitum*.

31 Quartò infertur licitam esse promissionem permutandi, & ex ea obligationem oriri, & à fortiori idem esse de cōuentione concedendum, ita *Federic. in tract. de permutat. q. 38. Cardin. in cap. quæsitum, de rerum permut. nu. 23. q. 39. Capell. Tholos. decis. 260. Boer. decis. 205. Rebuff. in praxi tit. de permutat. nu. 4.*

32 Verum obstat *tex. in d. cap. quæsitum*, ibi, *pactione præmissa*, ex quo colligit *glos. verbo tractare in cap. cum vniuersorum inf. eodem*, quam ibidem sequitur *Anchar. num. 6. Host. Innoc. Ioann. Andr. & Imola num. 10. in d. cap. quæsitum*, non esse licitum permutantibus beneficia de permutatione inter se tractare, sed tantummodo suam voluntatem Prælato exponere, aut supplicationem porrigere, totumq; negotium ab ipso expedien-

pediendum, nec posse incipere à voluntate partium, eo quod tractatus videatur habere rationem conuentionis, quam *tex.* prædictis verbis quasi simoniacam excludit. Sed hęc sententia neq; vera est, neq; aliquod habet probabile argumentum, tractatus enim, neq; pactio est neq; conuentio, quia non tenet deliberatum consensum in idem, qualis ad essentiam conuentionis desideratur in *l. 1. ff. de pactis*, & nihil aliud est quàm partium colloquium, quo mutua voluntas, & negotij circumstantię explorantur, vt intelligant vtrum expediat permutare, vel contrahere, prout in *cap. tua iuncta glos. verbo tractatu, de his, quæ fiunt à Prælatis, cap. 1. de rebus Eccles. non alienand. lib. 6. & ibi glos. verbo tractatus*; ergo cum leges Canonicæ, & *d. cap. quæsitum*, solam pactionem prohibeant, non potest ea prohibitio ad tractatum extendi, quem neq; verba, neq; ratio comprehendunt; confunditur etiam prędicta sententia, ex *d. cap. cum vniuersorum*, vbi partium tractatus non improbatur, sed consumatio permutationis auctoritate propria.

33 Quapropter retenta corolarij resolutione ad *tex. in d. cap. quæsitum*, ibi *pactione præmissa*, respondetur pactionem ibi eam esse intelligendam per quam aliquid temporale datur, aut reseruatur, prout est pensio, quoniam ea demum labem continet simonię, vt corol. 1. dictum est, & colligitur ex *tex. in cap. super eo, de transactionib.* ibi, *aliquo dato, vel recepto*, & ita intelligit *Sot. de Iustitia lib. 9. q. 7. art. 2.*

34 Quintò infertur non solum Episcopum posse permutationes beneficiorum expedire, sed etiam alij inferiores Pręlati, ad quos institutio, aut destitutio beneficiorum pertinet. Diximus enim supra auctoritatem superioris in permutationibus beneficiorum non ideo requiri, vt vitium simoniæ euitetur, quod nullum est si sine fraude fiant, sed ideo quia absque auctoritate superioris nec dimitti, nec obtineri possunt beneficia, sed hęc ab illis sint pręstanda ad quos institutio, & destitutio pertinet, quamuis aliam iurisdictionem non habeant, ergo, &c. Accedit quod si hoc Episcopis tantum specialiter fuisset concessum propter dignitatis prærogatiuam, nec ad Capitulum,

nec

nec ad alios inferiores transiret quantumuis Episcopalem iurisdictionem obtinerent, vt apertè colligitur ex *l. 1. in princip. ff. de officio eius*, & cum communi resoluit *Dec. in cap. quoniam*
35 *Abbas num. 15. de offic. deleg.* At fatentur Doctores permutationem posse expediri non solum à Capitulo, ex *Pauin. de potest. Capituli Sede vac. p. 2. q. 2. num. 11.* sed etiam ab alio habente iurisdictionem Episcopalem secundum *glos. verbo conferantur in Clem. vnica. de rerum permut. Feder. in tract. illius tit. q. 22. Petr. de Vbald. in simili tract. num. 28.* Igitur fateri oportet non esse hoc Episcopali dignitati specialiter concessum, ac proinde ab illis fieri posse, ad quos beneficiorum institutio, & destitutio spectat.

36 Non obstat *cap. quæsitum, in verbo Episcopus, de rerum permut.* quatenus videtur probare solum Episcopum posse beneficiorum permutationes expedire, dum ibi de Episcopo tantum mentio fit, quia respondetur Episcopum expresum esse in illo *tex.* gratia frequentioris vsus, quia de Iure, & frequentissime ad eum pertinet institutio, *cap. omnes Basilicæ 16. q. 7. cap. cum ex iniuncto, de hæret.* vbi enim casus aliquis gratia frequentioris vsus à lege exprimitur, alij speciales, aut rarò contingentes non repelluntur iuxta *tex. in l. nam ad ea, ff. de legib. & in cap. 1. §. si quis rusticus, & ibi Bald. de pace tenenda, glos. verbo sponsam in l. 1. C. de raptu virg. glos. verbo præsidentis in Clem. 1. de rescrip. Ias. in l. 2. nu. 12. & Rip.* etiam *nu. 12. ff. de vulgari, Corset. in sing. verbo frequentia, Tiraq. de retract. lig. §. 20. glos. 1. ex n. 4.* vide *Barbos. in addit. ad collect. d. c. quæsitum.*

37 Sexto infertur vbi duo beneficia redditibus, & bonis temporalibus inæqualia permutantur, non esse licitum pecuniam dare, vt bona temporalia maiora compensentur, quamuis pro Iure spirituali dari non intendatur: Probatur quia numquam licet pro beneficio pecuniam dare, vt *par. 1. art. 2. & vlt.* dictum est, sed ea pecunia, quæ in permutatione beneficiorum datur propter inæqualitatem fructuum vtriq; datur pro ipso beneficio, quod est Ius administrandi spiritualia, & percipiendi temporalia propter illud, nec alterum ab altero separatur. Confirmatur

tur ex naturali, & ciuili philosophia, is qui vult consequens vult necessariò antecedens, sine quo illud non existit *l.ad rem mobilem*, *l.ad procuratorem*, *ff.de procuratorib. Card. Mantic. de coniect.vlt.volunt.lib.4.tit.1. num.16.* cum alijs citatis per *D.August. Barbos.in tract. Axiomatum Iuris vsufreq. Axiom. 54.ex num.1.* qui ergo pro fructibus beneficij, vel bonis temporalibus eiusdem, quæ absque spirituali titulo comparari non possunt, pecuniam dat, vtrumque necessariò comparare intendit eo pretio, ac perconsequens simoniam committit: nec ad rem facit vtrum in eodem, vel in diuerso contractu pecunia detur, quia constat bona temporalia à titulo spiritualis beneficij non diuidi, sed vnum totum cum eo efficere, ergo machinatio potius est ad comparandum beneficium adhibita, quàm legitimus contractus à permutatione tituli distinctus. Et ideo probant corol. *Adrian. quodlib.9.art.vlt.Sot.de Iustit. lib.9.q.7.art.2.Card.num.2. Imol.* etiam *num.2.& 11. & Anchar.num.3.in cap.ad quæstiones, de rerum permut.Couar.lib.1. var. cap.5. num.8. Paul. Laymann in Theolog.morali lib. 4. tract.10.cap.vlt.§.5.num.53.in fine*. Quamuis contrarium sentiant *Abb.num.3.in d.cap.ad quæstiones, S. Antonin. p.2.tit.1. cap.5.§.8.Caiet.2.2.q.100.art.4. Angel.in sum.verbo permutatio §.6.* nam etsi fateantur, non dari eo casu veram simoniam cōtra Ius diuinum, si pecunia pro temporalibus detur, sed dari contra leges Ecclesię, ego tamen veram simoniam cōmitti hoc casu verius credo, etenim licet ad temporalia pecunia dirigatur, & animus contrahentium, cum absque spiritualibus, quibus adhærent, nequeant comparari, vtrumq; pretio æstimatur, vt ait *tex.in cap.si quis obiecerit 1.q.3.*

38 Non obstat *tex.* difficilis in *d.cap. ad quæstiones*, quatenus ait posse duas Ecclesias per se permutari, & si alterius possessiones pluris sint, licitum esse ab altera parte pecuniam dare ad æqualitatem contractus, dūmodo permutatio possessionum distinguatur à permutatione Ecclesiarum, quia Doctores omnes ibidem intelligunt ideo permutationem sub ea forma fieri potuisse, quia Ecclesię non permutabantur in titulum, sed

quoad

quoad proprietatem, quo casu cum Ius spirituale nullum fuisset permutatum, nihil mirum si reddita pecunia ad ęqualitatem diuersus contractus circa possessores fieri potuisset, ita *Cou.* & reliqui supracitati respondent. Pro quibus facit, quod *tex.* agit de Ecclesijs, quas habebant Abbates conuentuales, sicq; erant suis Monasterijs vnitæ: constat autem in perpetuis
39 Ecclesiarum vnionibus, quæ Monasterijs, aut alijs dignitatibus fiunt, titulum beneficij vniti penitus extingui, itaut nihil aliud quàm sola proprietas redditu um, & bonorum temporalium amplius consideretur, prout resoluit *Card. in Clement. vnic. q. 8. de sequest. possess. Rot. in Burgen seruitij Decanatus 13. Iunij 1594. coram bon. mem. Litta*, impressa per *Garz. de benefic. p. 3. cap. 2. num. 510.* in tantum quod causa vnionis non dicatur amplius causa beneficialis, *Cassad. decis. 3. de iudic. n. 1. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. glos. 5. §. 7. num. 17.* & lis super beneficio, vt vnito non sit lis super beneficio, *Mantic. decis. 359. num. 1. Rot. apud Garz. d. tract. de benefic. p. 12. cap. 2. n. 31.* At vnio ita fit vt perpetuus Vicarius in beneficijs vnitis relinquatur prout de Iure fieri debet per *tex. in cap. de Monachis, & in cap. stirpandæ, § qui vero, de præbend. Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 16.* & hoc etiam casu temporalia tantum transferuntur, & Ius spirituale penès Vicarium perpetuum manet, sic quocumque modo in specie *d. cap. ad quæstiones*, Ecclesiæ fuerint vnitæ apud Abbates, quasi res temporales erant, & perconsequens licitum fuit sub ea forma pecuniam dare, quemadmodum licebit partem fructuum vnius beneficij, seu locum parochiæ, cum altera simili parte commutare data pecunia, eo quod res temporales tantummodo æstimantur.
40 Septimò infertur non posse quem propria auctoritate in beneficio à se resignato regressum constituere in euentu non solutionis pensionis, vel allegationis nullitatis illius, quia regressus conceduntur dumtaxat à Papa, & sunt introducti ex eius plenaria potestate, quam in beneficialibus habet, ita *Rebuff. in in praxi tit. de regressibus col. 2. in fine, vers. verum, vt ad rem veniamus, Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 6.*

q.5.num.14. ac proinde Legatis à Latere non de facili permittitur concessio regressuum, vt tradit *Gambar.in tract.Legati à Latere lib. de pensionib. num.* 195. quem refert *Flamin. Paris. vbi supra num.16.* In qua re non immoror cum de ea habeamus doctissimum discursum in hac Curia impressum per *D. Augustinum Barbosam I.V.D. Lusitanum, in propria causa Bracharen regressus, siue ingressus ad Thesaurariam*, ex quo quicquid circa materiam regressus desiderari potest, facile colligere possumus, & ideo hic illum inserendum esse existimaui in hunc modum.

DOCTISSIMIS, ET INTEGERRIMIS Iudicibus Regiæ Coronæ, alijsq; Regijs Magistratibus Regni Portugalliæ

AVGVSTINVS BARBOSA V.I.D. LVSITANVS.

41 INsignis Ecclesiæ Vimaranensis Thesaurariam longissimis, ijsdemq; assiduis studiorum vigilijs sanctę Sedis Apostolicæ munere assequutus, & ad eam accedere multis, potissimùm autem librorum, quos eram elucubraturus, impressionis negotijs præpeditus, ne propter meam absentiam amplius aliquod in Diuinis pateretur incommodum, illi renuntiare decreueram quando Antonius Diaz da Fonseca Curialis occurrit, cum quo egi, & tractatum absolui de ea resignanda ad fauorem Balthasaris Diaz da Fonseca sui fratris: supplicatione igitur Sanctissimo porrecta, & per eum signata, iuxta illius formam, & tenorem Balthasar præfatus per dictum Antonium Diaz suum legitimum, & sufficientem procuratorem consensit, & sponte, &c promisit, ac solemniter se obligauit soluere mihi annuam pensionem ducatorum ducentorum auri de Camera annis singulis quoad vixerim, vel procuratori meo hic Romæ, aut alibi, vbi pro tempore ad voluntatis meę libitum commorare,& residere contigerit, in terminis, & temporibus, ac cum libertatibus, & immunitatibus, &c. in reseruatione,

& illius

& illius supplicatione latius expressis, cum clausula accessus, & ingressus in euentu non solutionis pensionis, vel impugnationis validitatis illius, &c. Pro quibus omnibus, & singulis in ampliori forma Cameræ Apostolicæ se ipsum obligauit, suosq; heredes, & successores, ac bona iurisdictioni, compulsioni, condemnationi, sententijs, iuribus, & censuris, ac mero examini D.N. Papæ, ipsiusq; Camerarij, necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, Viceauditoris, Locumtenentis, aliorumq; Iudicum, &c. totaliter subiecit, & submisit, per quarum quidem Curiarum Iudices, & Officiales, Viceauditores, Locumtenentes earumdem præfatus Balthasar voluit posse conueniri, cogi, compelli, coarctari, condemnari, excommunicari, aggrauari, & reaggrauari, ac realiter, & personaliter capi, ac detineri, etiam cum inuocatione brachij secularis vsque ad integram satisfactionem omnium, & singulorum contentorum, &c. cum plenissima renunciatione, &c. & demum consensit relaxationi mandati exequutiui vnica citatione, & intimatione precedente hic in Romana Curia contra se exequenda in domo suę solitæ habitationis si habuerit in hac Curia, sin autem suo legitimo procuratori quatenus adsit, sin autem per diligentias, siue edictum publicum, quæ sic facta ita arctent, & afficiant, acsi solemniter, & personaliter facta fuerint, executionem contra eumdem Balthasarem Diaz habeant liberè, &c. & sic tactis scripturis ad sacrosancta Dei Euangelia, itaut, &c. prout latiùs continetur in instrumento rogato per Ioannem Baptistam Cennium Reuer. Cam. Apost. Notarium, quod habetur infra *in summ. lit. A.* & est in processu ex Tribunali Auditoris Camerę ad Rotam transportato *fol. 3. cum seqq.* Et deindè expeditæ fuerunt litteræ Apostolicæ reseruationis pensionis huiusmodi, quarum particulę in necessarijs dantur *in summar. lit. B.* & habentur per extensum in *registro Rotæ fol. 342. cum seqq.*

42 In executionem prædictorum omniũ dictus Balthasar Diaz vigore litterarum Apost. suæ prouisionis desuper expeditarum possessionem huius Thesaurariæ accepit, & dictam pensionem

per annum cum dimidio mihi soluit, ex quo remansi in quasi possessione illam exigendi ad omnes iuris effectus, ex not. per *Seraphin. decis.* 1411. *Greg. decis.* 313. *num.* 1. *D. Ferentil. in annot. ad decis.* 60. *Buratti lit. B.*

43 Postea verò capta falsa occasione alios subsequentes huius pensionis terminos soluere recusauit, & cum diligenter curassem, vt litteræ Apostolicę reseruationis pensionis huiusmodi per publicum Notarium ei personaliter intimarētur, illarumq; clausulæ expressè, & specificè legerentur, relicta sibi copia, tandem respondit se nihil debere, nec velle dictam pensionem soluere, vt constat ex fide eiusdem Notarij, quæ habetur in *sum. lit. C. & est in registro fol.* 234.

44 Cum ex hac responsione iteratis vicibus præstita colligerē diligentias alias facere esse oleum, & operam hac in re perdere, illico pro consequutione pensionis mihi debitę, & non solutæ, ac renouationis cedulę bancharię iuxta formam obligationis, & cōsensus pręfati, egi coram Auditore Camerę Apost. & obtinui mandatum exequutiuum, ac declaratorias litteras contra dictum Balthasarem, quarum vigore cedulones per loca consueta Curiæ affixi fuerunt, & in præfata insigni Ecclesia ipse Balthasar semel, & iterum publicè denunciatus excommunicatus, & tamquam talis ab Ecclesia, & diuinis Officijs expulsus fuit, vt constat ex fide Notarij Apost. *in sum. lit. D. & in registro fol.* 229.

45 Institit tunc fortiter dictus Antonius Diaz in Vrbe degens coram eodem Auditore Cameræ pro reuocatione mādatorum relaxatorum, & postquam hinc inde auditis partibus ipse Auditor Camerę, siue eius Locumtenens in Ciuilibus reiecit iniustam eius petitionem, & mandauit exequi quibuscumque non obstantibus, idem Antonius Diaz, qui tamquam procurator sui fratris consenserat cum iuramento reseruationi pensionis huiusmodi, per Thomam Lutiolum, quem vigore mandati à fratre habiti, substituit, & loco sui posuit, appellauit ad Sanctissimum, & causa in plena Signatura Iustitię acerrimè ventilata, partibus hinc inde auditis super asserta nullitate

man-

mandatorum relaxatorum, tandum obtinuit causam committi in Rota coram R. P. D. meo Pirouano, & ad dicendum contra commissionem per eum in actis pręsentatam, me citare, & inhibere fecit, ac ad partes litteras inhibitorias expediuit, eo prætextu vt inibi posset impedire executionem mandatorum relaxatorum, & in Rota disputare de validitate pensionis, quam impugnare, & annullare intendebat, & publicè à se annullandam esse asserebat, sed prętò adfuit declaratio eiusdem R.P.D. Pirouani, qui de voto Rotæ pronuntiauit litteras inhibitorias non impedire executionem mandatorum relaxatorum ab Auditore Cameræ, & demùm citato Thoma Lutiolo Balthasaris procuratore ad transportanda acta, ipsisq; eo negligente per me, & expensis meis transportatis, idem R.P.D. Pirouanus suam in omnibus, & per omnia moderauit inhibitionem, quæ omnia, & singula latiùs colliguntur ex mandato de immittendo, cuius copia habetur *infra in sum. lit. G.*

46 His sic rectè, & ritè processis cum Antonius Diaz non haberet quid noui porrigeret in hac Curia ad malitiosè impediendam executionem mandatorum relaxatorum, & impugnandam pensionis pręfatæ validitatem, ab Vrbe discessit, & in Lusitaniam se transtulit, vbi cum nec à Iudice executore, nec à Metropolitano Bracharen. nec demùm à Collectore Apost. Vlyssipone commorante quicquam extorquere posset, sed semper contrariam reportasset sententiam, Iudices postremò adiuit omnino incompetentes, & suppressa facti veritate, me non citato, ac penitus inaudito, pręuio mandato procuræ per Balthasarem fratrem suum ad hoc specialiter sibi dato, nullam legitimam exceptionem allegando, veluti solutionis, aut redemptionis factę auctoritate superioris, vel similem aliam notoriam, seu euidentem nullitatem incontinenti probandam, quibus casibus tantùm audiendum fore existimat *Modern. de protect. Regia tom. 1. par. 4. cap. 2. num. 39.* sed nihil horum probato, imò nedum allegato, vsque ad præsentem diem, parum modestè iteratis vicibus ausus fuit per vim sequestra pro integrali pensionis huiusmodi solutione ab Auditore Camerę relaxata,

xata, & per Sacram Rotam debitæ exequutioni iam mandata, violare, & fructus omnes sequestratos de facto sibi capere, & quod peius est, ipse Balthasar his adhuc non contentus pensionem prędictam articulis ad hoc per eum datis impugnare, & de illius nullitate ex asserto tantùm defectu sui mandati procuræ, in iudicio agere cœpit, vt constat ex fide Notarij cum copia articulorum, quæ datur in *summ. lit. E.* & est in *registro Rotæ fol. 222. cum seqq.* & demùm in summum malorum deueniens fortiter institit pro amissione, & priuatione meę naturalitatis, eo quòd pro consequutione pensionis huiusmodi egeram coram Auditore Cam. vt constat *ex registro fol. 220.*

47 Quapropter ne talis ingratitudo, & iniusta insectatio impunita maneret, cum prædicta causa reperiretur in Rota commissa ad instantiam dicti Balthasaris cum clausula *quam, & quas, &c.* & alia, *cum dependentibus, & emergentibus, &c.* emergentem exinde causam accessus, & ingressus canonizari, itaut ad primæua iura mea redire possem, præuio quoad hoc speciali Summi Pontif. rescripto, ac omni, & quacumque appellatione remota, instantissime petij, & tandem obtinui, & ideo seruatis seruandis, pręmissaq; aduersarij citatione, & intimatione personaliter executa, prout in actis, post acerrimam disputationem fuit in Rota præuia decisione resolutum locum esse accessui, & ingressui ad Thesaurariam prædictam ob non solutam pensionem per dictum Balthasarem Diaz, & impugnationem validitatis illius iuxta tenorem litterarum Apost. desuper expeditarum, & consensum ab eodem Balthasare præstitum, & sic obtinui ab eadem Rota mandatum de immittendo tenoris, de quo in *sum. lit. G.* quod debet quibuscumque non obstantibus executioni demandari, ex seqq.

Aut Balthasar Diaz vult se opponere executioni mandatorũ relaxatorum, & immissioni præfatę, asserendo pensionem validè reseruatam; vel dando de eius nullitate, quia non datur medium inter vtrumque terminum, sed in his duobus euentibus immissio debetur, ergo nihil est, quod illam mihi impedire possit.

Primò

48 Primò modo si supponamus pensionem validè reseruatam (prout verè est) intrat accessus, & ingressus validus, cum resignatio absque validitate ingressus stare non possit, propter claus. *non alias, aliter, nec alio modo*, in reseruatione pensionis huiusmodi positam, quæ facit totam gratiam corruere, si regressus non teneat ex *Seraph. decis. 114.* tum quia regressus,
49 & accessus faciunt gratiam conditionalem, *Redoan. de simon. par. 2. cap. 17. num. 19. & cap. 20. num. 9. Flamin. Paris. de resig. benefic. lib. 6. quæst. 4. num. 9.* & conditione deficiente nihil di-
50 citur actum *Bertrand. cons. 133. Viso num. 20. lib. 2. Flamin. Paris. d. tract. lib. 1. q. 3. num. 33.* & potest resignans hoc casu repetere suum beneficium, ex eodem *Paris. d. lib. 1. q. 13. nu. 54.* nec in hoc euentu erat necessarium quòd cedens haberet bonum ius, nec tenetur illud iustificare *Rot. decis. 4. num. 11. de rescript. in nouis, Serap. decis. 390. num. 1.* prout nec tenetur docere de suo titulo, qui regressum habet ex causa cessionis, *Rot. decis. 781. num. 1. lib. 3. diuersor.*

51 Quòd autem constet de causis accedendi, & ingrediendi non potest dubitari, intrat enim accessus, & ingressus duplici ex capite, primo ob non solutam pensionem, *Mandos. in tract. de signatura gratiæ tit. de regressu col. 8. vers. regressus in princ. Paris. d. tract. lib. 6. q. 2. num. 4.* secundo ob petitam, vel allegatam illius nullitatem, idem *Mandos. vbi proxime, & Paris. d. q. 3. num. 8.* & vterque modus colligitur ex litteris Apost. reseruationis pensionis huiusmodi. Cum autem Balthasar in illius solutione defecerit per triennium, & vltra, passumq; fuerit censuras, & adhuc illas sustineat, ex fide, quæ habetur in *sum. lit. E.* ac pensionis validitatem impugnauerit, ex alia *ibid. lit. F.* Igitur patet conditiones verificari, & decreto pro executione accessus, & ingressus locum fore, iuxta tradita per *Achil. decis. 1. num. 2. de iureiur. Verall. decis. 247. par. 1. & decis. 313. par. 2. Flamin. Paris. d. tract. lib. 6. q. 3. nu. 7. Rot. decis. 631. num. 1. par. 1. & decis. 286. num. 2. par. 2. recent. & in Cremonen. pensionis super regressu 23. Iunij 1623. coram bonæ mem. Vbaldo, & in Messanen. regressus 34. Ianuar. 1622. coram eod.*

& fuit

& fuit latè deductum in decisione super hac causa facta *sub die 22. Iunij 1629. coram R. P. D. meo Pirouano*.
52 Non obstat quòd Rota non solet admittere huiusmodi accessum nisi concurrat nimia proteruia in denegāte solutiones, aut aliter resistente, quia de magna proteruia constat, nedum in eo quia per triennium, & vltra distulit soluere pensionem, sed multò magis quia declaratus censuras sustinet, & surdæ aure pertransit per menses, & annos, quæ sine pertinacia, & proteruia admitti non possunt, *Paris.d.q.3.num.14.* quem sequitur *Rot.in decis.super hac causa facta*.
53 Nec item obstat quod regressus videtur ab aliquibus vocari captatorius, quasi inducat votum captandæ mortis alienæ, *arg.tex.in cap.ne captandæ, de concess.præb.in 6.* & eorum,quę tradit *Franc.Marc.decis.288.par.1.* quia id intelligitur de accessibus, & regressibus per cessum, aut decessum, habebant enim speciem successionis hæreditariæ, & dabant occasionem captandę mortis, vt per *Fusc. lit. B. sing. 21. in princ. Aloys. Ricc.in praxi aurea resol.337. & metipsum in collect. ad cap. 1. num.3.de præbend.* & ideo eos sustulit *Concil.Tridentin.sess.25. de reform.cap.7.* non autem intelligitur de istis, qui ob non solutionem pensionis conceduntur, vt tradunt *Mandos. in reg. de impetr. benef. vac. per obit. quæst.31.num.3. Flamin.Paris. d.tract.lib.6.q.5.num. 100.* Ratio quoad propositum esse potest, quia in his per mortem titularis pensionarius non succedit, sicut in alijs iam sublatis, nec est in manu, & potestatę volentis accedere malè, vel bene operando efficere, vt beneficium ad se reuertatur, nisi obtinens recuset pensionem soluere, aut illam nulliter, vel malè assignatam dicat, quod totum ab eo pendet. Nec potest conqueri in euentu accessus de
54 beneficio amisso, quia regressus concessio operatur restitutionem tituli, non autem translationem *Rot.decis.427 num.7. par. 1. diuers.* & regressu obtento ad beneficium dicitur concessum id per quod ad beneficium iam obtentum perueniri so-
55 let, *eadem Rot.decis. 328. num.3. lib.3. diuers.* & ideo rediens ad beneficium resignatum vigore regressus recuperat locum,
quem

quem prius habebat, secundum *Flamin. Parif. d. tract. lib.* 1. *q.14. num.28.* quia res de facili reuertitur ad suam naturam, *l. si vnus §. pactus ne peteret, vers. & in specie, ff. de pact.* & volens reducere ius suum ad pristinam naturam dicitur habere
56 assistentiam iuris, vt pluribus citatis colligit *Illustriss. & Reuerendiss. Dominus meus D. Rodericus à Cunha dignissimus Archiepiscopus Bracharen. & Hispaniarum Primas in suis doctissimis comment. ad cap. ab exordio 2. nu. 1. dist* 35. quapropter
57 regressus canonizatio non est pœna, sed conditio, quæ inest, vel modus rei traditæ, vt optime resoluit *D. Lotter. de re benefic. lib. 1. q.* 40. *num.* 293. vbi propterea *num. 266. ex Flamin.* subdit regressum ex pacto inter resignantem cum pensione, & resignatarium nihil habere in se amari.

58 Nec etiam obstat quòd mandata, & declaratoriæ litteræ contra dictum Balthasarem Diaz fuerunt relaxatæ ab Auditore Cameræ, & non à Iudice executore litterarum Apost. reseruationis pensionis huiusmodi, qui in partibus deputari solet, & absque personali citatione eiusdem Balthasaris, quia respondetur, quòd licèt Auditor Cameræ posset ad mandata, & declaratorias præfatas deuenire tanquam vnus ex deputatis executoribus in dictis litteris Apostolicis, potuit quoque & ipse vigore conuentionis prædictæ, & obligationis Cameralis cognoscere, & procedere in hac causa, prout ritè, & rectè processit, eo maxime quia idem Balthasar expressè renunciauit foro sui Iudicis, & se ipsum, suaq; bona submisit condemnationi, sententijs, iuribus, & censuris præfati Auditoris Cameræ, & voluit posse coram eo conueniri, ac per illum cogi, compelli, coarctari, condemnari, excommunicari, aggrauari, & reaggrauari, ac realiter, & personaliter capi, ac detineri, etiam cum inuocatione brachij secularis, vsque ad integram satisfactionem, &c. & consensit relaxationi mandati executiui vnica citatione exequenda hic in Curia, &c. vt latius patet ex instrumento de quo in *sum. lit. A.* quod cum fuerit ita conuen-
59 tum (nam resignationes vt plurimum admittuntur, & conceduntur ad vota resignantium, sicut testatur *Flamin. Parif. d.*

tract. lib. 1. q. 3. num. 35.) & iuxta conuentionem exequendum (habent enim resignationes tacitam conditionem, vt pacta seruentur, ex *eod. Flamin. Parif. d. lib. 1. q. 3. num. 45.)* non potest Balthasar conqueri; quia nemini facit iniuriam, qui vtitur iure suo, *l. iniuriarum*, §. 1. *ff. de iureiur.* cum alijs citatis per *me in tract. Axiomatum Iuris vsufreq. Axiom.* 135. *nu.* 8.
60 Pacta enim diligenter seruari oportet, *l. semper in stipulationibus, ff. de regulis Iuris, l. 1. ff. de pactis*, vbi *Bald.* dicit, quòd etiam Deus omnipotens ex promissione obligatur, prout illum refert *Octau. Glorit. resp.* 1. §. 2. *num.* 78. iunctis, quæ latè adduxi in *collect. ad cap. 1. ex num. 3. de pactis*, nam inter contrahentes sunt omninò obseruanda *l. iurisgentium*, §. *prætor ait, ff. de pactis, Surd. decis.* 182. *num.* 2. *& decis.* 248. *num.* 2. *Rota in Romana, seu Comen. societatis 5. Iulij 1627. coram R. P. D.*
61 *Vbaldo*, quia contractus ex conuentione partium legem accipiunt, *l. 1.* §. *si conueniat, ff. depositi, l. contractus, ff. de regul. Iuris, l. lege, ff. de pactis conuent.* cum multis alijs adductis per me *Axiom.* 57. *num.* 1.
62 Nec denique obstat asserta nullitas ex defectu mãdati, quia cum in litteris expeditis Papa attestetur de consensu expresso, sine quo litteræ non fuissent expeditæ, Balthasar, qui dat de inualiditate dicti consensus, debet intentionem suam concludenter probare *Seraphin. decis.* 390. *num.* 3. vbi subdit quod probatio non elicitur concludenter ex mandato producto, quia potuit adesse aliud mandatum.
63 Præsumptio enim stat pro validitate actus, iuxta notata in *l. quoties, ff. de verb. oblig. l. quoties, ff. de regul. Iuris, Flamin.*
64 *Parif. d. tract. lib.* 8. *q.* 8. *num.* 56. & ideo litteræ præsumuntur expeditæ cum consensu valido, & bono, *Caputaq. decis.* 213. *in princ. par. 1. Flamin. Parif. d. q. 8. num.* 55. ob reuisionem tot peritissimorum hominum, vt considerat idem *Parif. lib. 9. q. 7. num.* 50. necnon cum mandato legitimo, secundum eumdem
65 *Parif. d. lib. 9. q. 22. nu. 2.* quia mandatum præsumitur quoties enuntiatur per Principem, *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præs.* 33. *num.* 10. *Parif. d. q. 22. num.* 2. vbi *num.* 5. quod admissa per

Sum-

66 Summum Pontificem renunciatione in actis Notariorum Cameræ, vel Cancellariæ, non potest dubitari de mandato, quia illi non mittunt supplicationes, vt possint expediri litteræ, nisi constito de sufficienti mandato, illoq; relicto in Camera, vel Cancellaria penes ipsos, nec notant consensus in resignatione nisi viso sufficienti mandato, vt de stylo Curiæ, sibi aliàs bene noto, attestatur idem *Paris. tit. lib. 9. q. 6. nu. 8.*

67 Accedit quia cum expeditio litterarum prouisionis, & reseruationis huiusmodi fieret multis expensis, præsumitur in omnibus, & per omnia facta de mandato ilius, cuius interest, idest Balthasaris, ad tradita per *Paris. d. tract. lib. 10. q.* 8. *num.* 54. *Seraphin. decis.* 856. *à princ. Rot. decis.* 206. *num.* 2. *par.* 2. *re-*
68 *cent.* mandatum enim præsumitur ex impensa, etiamsi de eo expresse non constaret, *Caßad. decis.* 3. *num.* 4. *de procurat. Cæs. de Graßis decis.* 3. *eod. tit. Caualer. decis.* 590. *num.* 10. tum etiam
69 quia ipse Balthasar acceptando prouisionem, & soluendo primos terminos, formaliter dicitur omnibus in litteris contentis consensisse, *Put. decis.* 359. *lib.* 2. *in correctis*, quem refert, & sequitur *Rot. in decisione super hac causa facta.*

70 Nec ipse Balthasar existimet se posse iuuari *Ordin. Regia lib.* 2. *tit.* 10. quia illa non habet locum quando fuit prolata sententia à Iudice Ecclesiastico, qui habuit in suis facultatibus, quòd possit procedere appellatione remota, vt bene resoluit *Cened. ad Decretal. collect.* 17. *num.* 3. *vers. hæc tamen omnia*, citatus à *Parente meo*, quem non minùs naturæ quàm doctrinę meæ reuereor auctorem, in *comment. ad d. Ordin. in princ. num.* 2. & ex illa bene colligitur dum ait, *no caso em que podem appellar*, quòd autem ab Auditore Cameræ Apostolicæ procedente in hac causa vigore obligationis Cameralis appellari non possit, tradunt *Scacc. de appellat. lib.* 3. *cap.* 2. *q* 17. *limit.* 9. *num.* 7. *& seq. Galgan. ad Stat. Vrbis cap.* 179. *lib.* 1. *sub num.* 40. *vers. seu mandati, Rot. decis.* 626. *num.* 2. *par.* 1. *diuers. Zachi. de obligat. Camerali post quæst.* 37. *Galesij ex num.* 2. & quòd etiam in Rota fuerit hæc causa accessus, & ingressus commissa omni, & quacumque appellatione remota, constat ex speciali

rescripto Sanctissimi inserto in mandato de immittendo mihi concesso, quod habetur in *Sum.lit.G.*

71 Si autem Balthasar vult se opponere asserendo pensionem nullam, prout facit, intrat immissio duplici ex capite, tum vigore decreti litterarum Apostolicarum reseruationis huiusmodi, quod ingressum, & accessum dat si ille prædictam pensionem annullari, vel inualidari petierit, aut procurauerit, seu ex quauis causa nullam, & inualidam, vel malè, & nulliter assignatam esse dixerit, aut allegauerit, tum etiam ex eo quia per hanc resignationem, si nulla allegetur, vel subreptitia, aut sine Balthasaris resignatarij acceptatione proponatur, non poterat ius à me resignante abdicari, & resignatario acquiri, ad tradita per *Paris. dicto tract.lib.1. quæst.3.ex num.95.& num. 117. Caputaq.decis.216.num.3.par.1.Seraphin.decis.25.num.1. Rot.decis.419.& decis. 699. num. 4. par. 1. diuers. & decis. 92. nu.5.par.1.recent.& decis.4.nu.2. & decis.432. nu.2. par.2.recent. & in Leodien. Canonicatus Sācti Dionysij 25.Maij 1626.*

72 *coram R.P.D. meo Pirouano*; prout nec etiam abdicatur pensione nulla existente, vt firmat *Paris.d.tract.lib.1.quæst.3. ex num.*82. vbi post *Lancell.de attent.par.2.cap.4. num.*256. sub-

73 dit quod renuntians iuri, liti, & causæ, aliqua pensione sibi reseruata, si pensio est nulla, lis non censetur extincta, nec ius à resignante abdicatum, præcipuè propter claus. *non alias,&c.*

74 quæ importat conditionem suspensiuam, ac formam, ex adductis per *me in tract. de clausul. vsufreq. clausul.* 81. *num.* 8. itaut non adimpleta forma cesset consensus agentis, *Cephal. cons.296. num.11. & cons.440. num.* 80. quia ius non abdica-

75 tur à resignante non seruatis conditionibus, *Flamin. d. lib.1. quæst. 14. num. 7. Rot. in Virdunen. Abbatiæ 5. Maij 1614. coram bonæ mem. Buratto*, inter eius impressas *decis.48.num.9.* & titulus, ac possessio non dicitur dimissa nisi adimpleta conditione, *Paris.d.q.14. num.10.*

76 Vnde cum Papa restrinxerit gratiam, & consensum limitatum resignantis, si pensio in parte non subsistit, non erit reducibilis ad minorem quantitatem, quia deficit resignantis consensus,

ſenſus, & ſic in totum ipſa gratia corruit, & reſignans poteſt regredi ad beneficium reſignatum, vt fuit reſolutum in *Toletana penſionis* 28. *Ianuarij* 1591. *coram Gyptio*, *& in Vicentina penſionis* 21. *Maij* 1610. *coram* R. P. D. *meo* Pirouano, impreſſa per *Farin. deciſ.* 286. *num.* 2. *par.* 2. *recent.*

77 Non obſtat quod Balthaſar in litteris ſuæ prouiſionis habet clauſulam generalem, *ſiue alio quouis modo*, & ſpecialem, *adhuc per obitum dicti Ioannis*, ac proinde videtur poſſe capere Theſaurariam earum vigore, ſi aliàs reſignatio nulla foret, quia reſpondetur præfatas clauſulas eſſe acceſſorias ad reſignationem narratam, & ſic illa nulla, ſubreptitia, ſeu inualida exiſtente, nihil operari, vt in terminis benè reſoluit *Put. deciſ.* 267. *lib.* 3. *in correctis*, & fuit latè deductum in *Meſſanen. regreſſus* 24. *Ianuarij* 1622. *coram bonæ mem.* *Vbaldo*,
78 vbi habetur nihil referre, quod reſignatarius non retineat beneficium ex cauſa reſignationis, ſi fuerit nulla, ſed ex alijs clauſulis, de quibus in litteris, quia etiam tunc tenetur ſtare conditioni pro conſeruatione Iuris reſignantis.

79 Ex quibus omnibus luce clarior apparet vana cupiditas, & ambitio Balthaſaris eximere ſe poſſe exiſtimantis à ſolutione meæ penſionis, & domi deſidem huius Theſaurariæ, quæ eſt præmium qualecumque ſtudiorum, laborumq; meorum, integros, & immeritos fructus licitè percipere, Regiam protectionem inuocando, non enim eſt par credere Regios Hiſpaniarum Magiſtratus velle in exequutione litterarum Apoſtolicarum, & mandatorum Sacrę Rotæ ritè, & rectè relaxatorum ſe intromittere, qui omni ætate, & ſeculo fideliſsimi fuerunt, & obſequentiſsimi extiterunt, & ſunt Eccleſię Romanę, acerrimi libertatis Eccleſiaſticę propugnatores, & vindices optimi, quapropter tutus in hac parte quieſco, nec vim vllam ab aliquo mihi fieri pertimeſco, id enim eſſet fauere periuro, doloſo, ingrato, fidem frangenti, pacta non ſeruanti, Claues Eccleſiæ contempnenti, in excommunicatione per menſes, & annos inſordeſcenti, & incumbenti mihi totis viribus ad Chriſtianæ Reipub. commodum, & vtilitatem alimenta denegare,

nam

80 nam pensiones, quę reseruantur pro sustentatione pensionarij, cedunt in causam alimentorum, eorumq; naturam assumunt, secundum *Hieron. Gig. de pensionibus quæst. 51. num. 20. Glorit. resp. 9. nu. 4. Rot. in Bisignanen. pensionis 26. Iunij 1617. coram bonæ me. Buratto*, inter eius impressas *decis. 261. nu. 2.* vbi *D. Ferentill. in annot. lit. B.* refert concordantes.

81 Quid autem est eo miserius cui beneficia excidunt hærent iniuriæ, vt dicit *Seneca lib. de benefic.* Graue nimis est, vt fructu laboris sui fraudetur industrius, & cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur iniustum, vt bene inquit *Cassiodor. lib. 4. Epist. 11.* Vitium est enim ingratitudo Deo, & hominibus detestabile, vt nullum aliud maiori, & fœdiori nota inscribatur in sacris litteris, & apud bonos Auctores, & ideo merito Ius eam statuit pœnam ingrato, vt beneficio, cuius memor non est, non potiatur, donatioq; ex ingratitudine reuocetur, *l. fin. C. de donat. cap. propter, eodem tit.*

82 neque vtatur liberalitate donatoris, qui non debito loco collocat beneficium collatum, cum exhauriat benignitatis fontem siccitas immemoris, & ingrati, & abutens priuilegio illo priuari debeat, *cap. priuilegium 11. q. 3. cap. tuarum, de priuileg.*

83 Vos igitur, doctissimi Iudices, obtestor, & pro vestra Religione obnixè deprecor, vt hac in re auxilium vestrum aliàs mihi vi oppresso, & iniustè spoliato, ni fallor, debitum, ex gratia non desit, ad quod præstandum tria inter alia vos animare possunt, quæ me ad illud petendum maxime inducunt, Iustitia scilicet causæ, merita propria, & Maiorum meorum obsequia in Reges nostros, & in Lusitanam Rempubl. fidelissimè præstita. De iustitia non est iterum disputandum, cum supra satis dictum sit; de meritis proprijs nihil mihi dicendum erat, cum laus in ore proprio vilescat, nisi Gentium Doctor *Paulus* id aliquando licere insinuasset *2. ad Corinth. cap. 11.* dum ait. *Existimo nihil me minus fecisse à magnis Apostolis*: vnde mihi vitio verti non poterit si vobis proponam me varia in vtroque Iure opera ad Catholicæ Fidei propagationem, Sedisq; Apostolicę exaltationem Romæ edidisse, quę deinde Parisijs, Lugduni,

duni, Venetijs, Francofurti, Antuerpiæ, & alibi non sine studiosorum vtilitate, ac nostrorum gloria, & admiratione per omnium ferè manus reimpressa vagantur, quæ, & neq; vobis ignota reor. De Maiorum meorum obsequijs in Reges nostros præstitis plura dicere possem, sed alijs omissis non videtur silentio prætereundus aui paterni germanus frater nobilis domus Regiæ Emmanuel Thomasius filiorum claræ mem. Regis Emmanuelis præceptor optimus, de quo quicquid dixerim minus erit, tam ille nequit pro dignitate laudari; nec etiam ex memoria deponendus est Doctor Antonius Barbosa abaui filius, Regis Henrici intimus familiaris, in omnem æuum ob eius doctrinam, & eximiam eruditionem immortali memoria dignus: nec denique ignotus vobis erit Parens meus Emmanuel Barbosa, qui adhuc nonagenarius viuit, à Rege Sebastiano Aduocatus Regius creatus, quo in officio obeundo, atq; arduis negotijs sibi commissis, regnantibus Sebastiano, Henrico, & Philippo II. ac III. Portugaliæ Regibus, cum summa integritate, & doctrina laude versatus apud studiosos, & insignes viros non vulgarem sibi virtutis, & eruditionis famam comparauit, sicut doctissima eius Commentaria in Ordin. Regias Lusitan. mea diligentia Vlyssipone in lucem edita vniuerso Orbi attestâtur, quem indefessum laborem nunquam satis laudandum mirè extollit insignis *Gabriel Pereira de Castro Senator Regius meritiss. decis. 83. nu. 1.* Verùm hæc omnia non tanti facio, quanti Dominationum vestrarum candorem, quas pro insita omnibus bonitate, doctrina, & iustitiæ zelo, etiamsi non aduocassem, opportunè mihi non defuturas fuisse confido. Ita Deus omnium vota pro cuiusque casto desiderio secundet. Valete Romæ Kalendis Aprilis 1630. Hactenus D. Augustinus Barbosa.

SVMMARIVM.

1 *Transactio super spiritualibus dupliciter fieri potest, primò vt ab vtraque parte spirituale eiusdem rationis detur, & recipiatur, secundò vt spirituale aliquid demittatur, & pro eo temporale recipiatur.*

2 Tran-

2 *Transactio eo modo facta, vt ab vtraque parte spirituale eiusdem rationis detur, nullam labem simoniæ continet.*
3 *Spiritualia, de quibus transigi potest, alia sunt verè spiritualia, alia sacris tantum Canonibus quasi spiritualia censentur.*
4 *Transactio circa spiritualia rectè fit si quod remittitur, & recipitur spirituale fuerit, sin autem fuerit temporale simoniacam prauitatem continebit.*
5 *Transactio quando fit de his, quæ solo Iure Canonico spiritualia censentur, & tamquam talia pretium dare, vel cum alijs temporalibus commutari prohibentur, rectè potest ab vtraque parte temporale eiusdem rationis, & generis dari, & percipi.*
6 *Transactio circa beneficia licitè fieri potest, modo habiles dentur termini.*
7 *Declarantur cap. constitutus, & cap. super eo, de transact.*
8 *Declaratur cap. nisi essent, de præbend. & num. 9.*
10 *Declaratur cap. 2. de arbitris.*
11 *Vexatio iniusta excusat à labe simoniæ dum pecunia traditur ad tollendam ipsam iniustam vexationem, quam quis patitur circa rem spiritualem.*
12 *Vexationem, qua parte iusta est, non licet media pecunia tollere.*
13 *Probare volens quod suam redemit vexationem, duo probare debet, scilicet aduersarij potentiam, & suam ignorantiam.*
14 *Vexatio iniusta erit si fiat circa ius, quod quis habet, aut circa facultatem sibi competentem.*
15 *Vexatio si fiat circa id, quod quis non habet, veluti cum beneficium petit, aut eius præsentationem, nominationem, &c. non potest redimi absque simoniæ labe.*
16 *Declaratur tex. in cap. Matthæus, de simon.*
17 *Vexans aliquem extra iudicium circa rem spiritualem si ob id pecuniam recipiat, vt à molestia abstineat, quamuis contra iustitiam peccet, non videtur simoniam committere.*

AR-

ARTIC. II.

Vtrum circa ſpiritualia tranſactio recte fiat?

1 TRANSACTIO circa ſpiritualia dupliciter fieri poteſt, aut ita vt ab vtraque parte ſpirituale eiuſdem rationis detur, & recipiatur, vtpote cum de Iuribus Epiſcopalibus duo contenderent, & ita paciſcerentur, vt alter iuriſdictionem, & viſitationem, alter vero prouiſionem beneficiorum haberet, & vel de iure decimandi ita conuenirent, vt alter certas decimas, alter vero alias reciperet. Rurſus poteſt fieri tranſactio, vt ſpirituale aliquid dimittatur ſiue iuriſdictio, ſiue beneficium, aut aliud ſimile, & pro eo temporale recipiatur, ſiue pecunia ſit, ſiue cenſus, aut penſio, vtroque enim modo propria, & vera fit tranſactio, nam quamuis eſſentialiter requirat, vt aliquid recipiatur pro eo, quod dimittitur, non oportet, vt id, quod recipiatur, temporale ſit, ſed ſufficiat, vt ſit ab vtraque parte ſpirituale, iam enim debitam habet materiam, & formam.

2 Inter hęc autem duo illud intereſt, quod ſi priori modo tranſactio fiat, nullam labem ſimoniæ continebit cum nihil ibi temporale pro ſpirituali detur, quale requiritur, vt ſimonia committatur, ſicut ſuperiori articulo dictum eſt, probant *cap. vlt. de rerum permut. cap. ſuper eo, cap. præterea* 1. *&* 2. *de tranſact.* Oportebit tamen, vt id, quod recipitur, ratione eius quod dimittitur, vel ſit in eadem controuerſia, & lite poſitum, vel in ſolius dantis facultate, vel ſuperioris interueniat auctoritas, vt infra *corol.* 1. oſtendimus. Si autem poſteriori modo fiat tranſactio labem continebit ſimonię, vt citata Iura probant.

3 Spiritualia de quibus tranſigi poteſt, in duplici ſunt differentia, alia enim ſunt verè ſpiritualia, alia vero ſacris Canonibus quaſi ſpiritualia cenſentur; ex priori numero ſunt Iura

Episcopalia, Ecclesiastica iurisdictio, & beneficia; posteriori autem decimę, primitiæ, & oblationes, quando à titulo bene-
4 ficij separatę possidentur ratione vnionis, vel Commendę; circa spiritualia propriè transactio rectè fit si quid dimittitur, & recipitur spirituale fuerit, sin autem fuerit temporale simoniacam prauitatem continebit, vt colligitur ex *tex. in d. cap. veniens, & in cap. vlt. de rerum permut.* obseruat *glos. 1.* ab omnibus recepta in *cap. 2. de transact. glos. etiam 1. in cap. super eo eodem tit. Innoc. Card. & Abb. num. 5. in d. cap. 2. Siluest. in sum. verbo transactio post princ. Angel. eodem verbo §. 4. Gratialup. in tract. de transact. q. 9. à nu. 11. Soccin. cons. 220. lib. 1. Dec. cons. 436. num. 18. Padil.* qui plures refert in *l. vlt. nu. 13. C. de transact. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 51. nu. 6. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 23. cap. 11. dub. 11. Bonacin. de simon. q. 4. §. 15. num. 3. cum seqq.* Et ratio est quia pro spiritualibus spirituale dare, vel commutare nulla est simonia, ex *dicto cap. vlt.* & eadem prorsus ratio reperitur in transactione.

5 Posteriori vero casu quando transactio fit de his, quæ solo Iure Canonico spiritualia censentur, & tanquam talia pretium dare, vel cum alijs temporalibus commutari prohibentur, rectè potest ab vtraque parte temporale eiusdem rationis, & generis dari, & percipi: pecunia vero, vel aliquid temporale diuersi generis, quod verum efficiat cambium, aut pretium in ea transactione dari non potest, vt colligitur ex *d. cap. 2. & ex cap. ex multiplici, de decim. iuncto d. cap. vlt. de rerum permut.* Cuius rei ratio est quia cum pecunia in eo casu datur, aut aliud simile, decimę contra Ius Canonicum venditę censentur, cum vero aliud eiusdem generis recipitur, nihil est, quod offendat.

6 Primò ex dictis infertur circa beneficia transactionem licitè fieri posse, modo habiles dentur termini, idq; ex eo probatur, quod certum est, & ab omnibus confessum circa alia iura spiritualia rectè fieri, modo id, quod datur, & recipitur, sit spirituale, sed nulla ratio sufficiens reddi potest quare magis circa alia Iura spiritualia quàm circa beneficium transactio fiat, ergo in

in omnibus idem dicendum videtur. Accedit quod species simonię dari non potest nisi in conuentione spiritualium temporale considerabile interueniat, vt supra proximo art. dictum est, & à contrario sensu probat *tex. in cap. vlt. de rerum permut.* Prçterea si omnia Iura, quæ de his transactionibus, & conuentionibus agunt, rectè expendantur, his tantum casibus speciem simonię constituunt, vel de ea dubitant, vbi aliquid temporale ratione census, pensionis, aut expensarum recipitur, vt colligitur ex *cap. cum pridem, de pactis, cap. super eo, & cap. præterea il 1. & 2. de transact. cap. 2. de arbit. cap. nisi essent, de præbend. cap. dilectus il 1. de simon.* Vnde licet colligere quod si nihil temporale interueniat, erit transactio iusta circa beneficia, vtpote si de duobus beneficijs controuersia fuerit, vel de beneficio, & alio spirituali Iure simul, constabit transactio si vnus in gratiam alterius vnius ius dimittat, & alterius ius recipiat, iam enim aliquid datur, & recipitur, vt transactio existat, ab vtraque parte spirituale, vt species omnes simonię absint, nec refert si quis dicat posse contingere, vt vnus tantum ex collitigantibus in vtroque Ius habeat, vel neuter, sicq; non constabit transactio, cum in effectu nil recipiatur, quia respondetur ad existentiam transactionis sufficere, vt vnusquisque dimittat id, quod suum esse putat, iam enim quantum in eo est, datur aliquid, & recipitur, Ordinarius tamen, vel is ad quem pertinet, titulum examinabit, vt sic vel admittat, vel repellat, etenim transactio in re dimissa ius non tribuit, *l. si pro fundo, C. de transact.* vbi *glos. Bart. & communis*, communis etiam ex *Ias. in l. ait prætor, §. si prætor num. 19. ff. de iudic.* idem *Ias. in l. stipulatio ista, §. si quis forte num. 7. ff. de verborum oblig. Tiraq. de retractu lig. §. 1. glos. 14. num. 62.*

7 Qua sententia retenta non obstant *cap. constitutus, cap. super eo, de transact.* dum indistinctè probant licitam non esse transactionem circa beneficia, quod per illa Iura resoluunt *Siluest. in sum. verbo transactio post princip. Angel. eodem verbo a. 4. Præpos. in cap. quam pio nu. 3. 1. q. 3. Lambertin. de iurepatron. lib. 3. q. 9. princip. art. 6.* quia respondetur Iura prædicta agere casu

quo de vno tantum beneficio controuersia erat, in quibus terminis transactio dari non poterat, quia qui ius suum dimitteret, cum vnicum sit tantum, & indiuiduum, nihil potest spirituale ab alio consequi, sicq; cum nihil recipiat potius liberaliter reddit quàm trãsigit, sin autem aliquid recipiat temporale, simoniaca erit transactio, igitur rectè Pontifices prædictis Iuribus definiunt absolutè transactionem circa vnum beneficium fieri non posse, idq; significat *d. cap. super eo*, in illis verbis, *aliquo dato, vel recepto*, oportet enim de temporali intelligere cum spirituale ibi recipi non potuerit; Vult enim Pontifex decidere quòd vt transactio existat necesse est, vt aliquid recipiatur, prout *glos. & Doctores* ibidem colligunt, cum autem in eo casu nihil possit recipi nisi temporale, rectè colligit transactionem non valere.

8 Secundò infertur declaratio ad *cap. nisi essent, de præbend.* quatenus approbat arbitrorum ordinationem ita factam, vt alter ex litigãtibus de beneficio Ecclesiastico liti cederet, & quadraginta marchas ab altero reciperet singulis annis. Difficultas in eo versatur, quia de spiritualibus ad temporalia videtur facta compositio contra *cap. constitutus, & cap. super eo, de transact.* auget difficultatem *tex. in cap. 2. de arbitr.* vbi simile arbitrium quasi simoniacum videtur improbari.

9 Propter quæ communis intellectus, quem præstat *Host. in d. cap. nisi essent*, asserit absque simoniæ labe marchas illas pro bono pacis rectè dari, quia non ex conuentione partium, sed ex arbitrorum prouidentia id factum fuit, distinguit enim vtrum talis compositio à partibus facta sit, vel per Iudices, seu arbitros ex eadem conuentione, an vero ex sola arbitrorum, aut Iudicum prouidentia: priori enim casu suspectum erit arbitrium, & simoniacum iudicabitur quantumuis pro bono pacis, vel ob aliam iustam causam pecunia data exprimatur, lex enim eis veluti suspectis non credit, & propterea absolutè prohibet, ne ita conueniant quantumuis bona fortassis sit intentio, vel iustam recipiendæ exprimant pecuniæ causam, sicq; procedit *tex. in d. cap. super eo, & in cap. præterea il 1. & 2. de transact.*

Po-

Posteriori vero casu auctoritas Iudicis, vel arbitri, si bonæ sit intentionis, omnem remouet suspitionem, pro quibus lex semper præsumit, *cap. in nostra de procurat.* Vnde quia in *d. cap. nisi essent*, compromissum absque vlla conditione factum fuit. & totum negotium in arbitrorum dispositione positum, vt ex *tex.* manifeste constat, arbitri autem ex potestate sibi tradita, ita constituerunt, Summus Pont. secundum Iuris rigorem arbitrium sustinuit, cōstat etiam nullam de spiritualibus ad temporalia factam conuentionem, nec arbitrij mandatum, vt pro spirituali Iure pecunia daretur, sed pro bono pacis, & ideo nec vera simonia contra Ius diuinum in eo casu potuit iudicari, quia nihil temporale tanquam pretium spiritualium recipiebatur, nec simoniæ species contra Ius humanum, quia absque vlla pactione ex causa honesta dari ab arbitris iubebatur. Colligitur hic intellectus *Host.* apertissime ex verbis eiusdem *tex.* sequuntur *Doctor. in d. cap. 2. de arbitr.* vbi *Beroi. num. 48. Imol. in cap. vlt. de rerum permut. num. 12. Anan. in cap. 3. num. 2. de collus. deteg. Felin. in cap. ad audientiam il 2. num. 2. de rescript.* plures, quos refert, & sequitur *Padil. in l. vlt. num. 13. C. de transaction. Ioan. Andr. & Butr. num. 6. in cap. cum pridem, de pactis. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 23. cap. 18. q. 2. num. 258.* quicquid dicant *Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 51. num. 20. & 21. Bonacin. de simon. q. 4. §. 15. num. 10.*

10 Non obstat *cap. 2. de arbitr.* quo loco Pontifex videtur condemnare arbitrium, quo alter ex litigantibus iubetur causæ cedere, & ab altero pecuniam recipere, quia præsupponendum est in *eo cap. 2.* clericos arbitratores fuisse, & Presbyterum de quo ibi iniquitatem arbitrij Summo Pont. retulisse ex causis in eo *tex.* expressis, Pontifex vero Iudici præcepit, vt si arbitrium adeo iniquum esse viderit, Presbyterum absoluat, & si ęquum iudicauerit seruari iubeat, vnde propter iniquitatem, non propter simoniam tantum arbitrium rescinditur, potuit enim seruatis seruandis simonia in eo casu abesse, & dari iniquitas, idq; tantum Summus Pontifex in eo *tex.* definit iniquum arbitrium, siue in spiritualibus, siue in temporalibus

detur non obstante iuramento rescindendum. Si vero aliquis interroget in quo iniquitas versaretur dicẽdum est in eo quod is iubebatur causę cedere, qui euidens ius habebat, quod si in temporalibus fiat, vt paruo recepto pretio is, qui meliorem causam videtur habere, liti cedat, iniquum etiam iudicabitur arbitrium, vt Pontifex ibidem docet.

11 Tertiò infertur iniustam vexationem excusare à labe simonię, dum pecunia traditur ad tollendam ipsam iniustam vexationem, quam quis patitur circa rem spiritualem, ita *Sot. de Iustit. lib. 9. q. 6. art. 1. ad 5. Soar. tom. 1. de Relig. lib. 4. de simon. cap. 50. num. 23. Gutier. canonic. lib. 2. cap. 23. à num. 37. Redoan. de simon. pār. 2. cap. 31. nu. 48. & par. 3. cap. 2. num. 5. Rot. decis.* 135. *num. 4. post cons. Farin. lib. 1. D. Ascan. Tamburin. in suo tract. de Iure Abbatum tom. 1. disp. 19. quæsit. 4. à princ.* Paul. *Laymann in Theologia morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 2. n. 22.* Iniustam autem vexationem tria in spiritualibus efficere possunt, & insimul concurrere debent, primum, vt per euidentem iniquitatem, & per iniuriam contentio in iudicio, vel extra moueatur: secundum, vt vexatio ab eo fiat; qui ratione officij, diuitiarum, aut alia adeo sit potens, vt nisi eo modo à lite, aut molestia remoueatur, non posset redimẽs commode, aut sine magno dispendio ius suum pacificè possidere, consequi, aut defendere, vel tantum sit in mora periculum, vt magnum aliquod detrimentum immineat si iudicialis auctoritas spectetur: tertium vt vexatio fiat circa ius, quod quis habet, aut circa facultatem sibi competentem.

12 Primum requisitum manifestum est, & ab omnibus confessum, nam si vexatio sit iusta secus erit; tunc enim non licet media pecunia tollere vexationem quia parte iusta est, quia tunc pecunia tradi videretur pro acquirẽda re spirituali, cuius acquisitionem impedit vexatio, quamuis enim pecunia immediatè tradatur pro vexatione, mediatè tamen traditur pro ipsa re spirituali ad quam paratur via media pecunia, & moraliter loquendo tradi videtur pro ipsa re spirituali, ita *Nau. cons. 31. de simon. Redoan. in tract. de simon. p. 3. cap. 22. num. vlt. Azor.*

institut. moral. p.3. lib.12.cap.3. Valer. Reginald. in praxi fori poenit.lib.23.dub.3.num.124.& seq.

13 Secundum vero requisitum colligitur ex *glos. in cap. ad aures, verbo absolutiones, de simon. Ioann. Andr. ibidem Abb. num.* 4. *Anan.* 8. *Felin.* 3. *in cap. dilectus filius il 1. de simon.* & receptum testatur, & parum sibi constans *Redoan.de simon. p.3.cap.2.num.17.* & comprobatur ex doctrina *Baldi, & Saliceti per tex. ibi in l.serui C.de adulter.* quo loco docent eum, qui vult probare quod suam redemit vexationem, duo probare debere, scilicet aduersarij potentiam, & suam ignorantiam. Pro quo etiam facit *tex. in l. vnica, ad fin. C. quando Imper. inter pupil.*

14 Tertium autem requisitum ita accipiendum est, vt quis ab aliquo impediatur vti iure suo, & facultate sua, & illius effectum consequi, siue per illud ius rem habeat, & possideat, siue non habeat rem, sed tantum ius aliquod in ea, vel ad eam consequendam, aut petendam, prout contingit quando quis impeditur, quominus intra terminum prçfixum se possit ad beneficium vacans examinandum præsentare, vel illud petere, vel cum præsentatis impeditur suæ prçsentationis effectum consequi, vt instituatur, aut electus in sua electione turbatur,
15 quominus confirmetur. Si autem vexatio fiat circa id, quod quis non habet, scilicet cum beneficium petit, aut eius præsentationem, nominationem, aut electionem, & ab ea petitione non prohibetur ad quam eidem competit facultas, sed ab aliquo turbatur quominus, vel beneficium obtineat, vel electionem, aut nominationem, seu quidpiam aliud spirituale in quo nullum ius habet, quantumuis intelligat se non posse aliud obtinere qui petit, nisi iniuste impedimentum pecunia ab eo negotio remoueat, certè non redimetur vexatio, & si ab electore, aut eo, qui ius aliquod spirituale valeat conferre, vexatio redimatur, simonia ab vtraque parte committitur, qui vexari non dicitur qui nullum ius habet, docet hoc in specie S.*Thom.* 2.2. *q.*100.*art.*2.*ad* 5. ibi *per electionem suam, prouisionem, aut collationem*; quibus sane verbis docet ad redimendam vexa-

tionem

tionem oportere, vt qui redimit ius aliquod, causam habeat, in quo vexetur, licet beneficium plene non habeat, aliàs non redimit, sed comparat, sentit hoc ipsum *Caiet.* ibidem, & melius *Sot.lib.9.de Iustit.q.6.art.1.vers.quintus*, & ita declarandus est *Ioann.Andr.& sequaces vbi supra*.

16 Non obstat *cap.Matthæus* 23. *de simon.* dum probat non excusari à culpa simoniæ electum à maiori, & saniori parte Capituli paucis contradicentibus, qui magistro discordiæ pecuniam dari consensit, quia respondendum est ibi non ideo pecuniam illicitè fuisse datam quod electus nondum fuerat confirmatus, vt malè *Innoc.* & communis existimat, nec etiam quia contradicentes iustam causam habebant, vt contra verba eiusdem *text. glos.* vult, sed quia constabat tantam esse aduersarij potentiam, vt non potuisset electus commode ius suum apud Iudicem consequi, & obiecta impedimenta remouere; quo pacto etiam procedit *tex.in cap.ad aures, de simon.* poterat enim excommunicatus de quo ibi superiorem adire, vt *glos.& Doctores* ibidem obseruant. Potest etiam non ineptè dici electum læsam habuisse conscientiam, & ideo iubetur celeriter administrationem admittere ne fortasse si scrupulum remouere non possit, maneat in peccato, ad quod etiam erronea Conscientia obligat *cap.vlt.de præscript.* & in dubio Summus Pontifex, quod est tutum imperauit iuxta *tex.in cap.pen. de homicid.* cui interpretationi conueniunt illa verba, *multum tibi consulis, &c.* sicq; non constabat de simonia, sed dubitabatur, ita *D.August.Barbosa in suo nouiss. tract.de Iure Ecclesiast.lib.1.cap.20.de electione, in fine*.

17 His adde eum, qui extra iudicium aliquem vexat circa rem spiritualem, si ob id pecuniam recipiat, vt à molestia abstineat, quamuis contra iustitiam peccet, nõ videri simoniam committere, cum spirituale pretio nihil æstimet nisi in conuentione exprimat ius aliquod spirituale, ex quo desistit propter pecuniã, tunc enim quantum in eo est, secundum conuentionis formam pro re spirituali pecuniam recipit. Adde etiam eum, qui paciscitur, aut promittit nullam inferre molestiam, neq; in iudicio,

neq;

neq; extra id facere posse, aliàs promissionem offendit, vt probat *tex. in l. Lucius, §. tres hæredes, ff. ad Trebell. Bart. in l. amplius, ff. rem ratam haberi*, tradit optimè *Alex. cons. 52. ex num. 2. lib. 2.*

SVMMARIVM.

1 *Modus, & conditio in spiritualibus adiecta de re similiter spirituali danda, aut facienda, siue in ratione oneris realis, siue per conuentionem, neq; simoniam, neq; eius speciem facit.*

2 *Modus, aut conditio temporalis si in spiritualibus adijciatur, simoniaca est conuentio.*

3 *Temporalis modus, & conditio in spiritualibus si adijciatur in conuentionem, simoniæ speciem continet, si rei spirituali vacanti quasi reale onus imponatur, non continet simoniam aliquam, & num. 4.*

5 *Ordinandus ab alio ad titulum sui beneficij præsentatus eo adiecto modo, aut conditione, vt nihil ab eo post ordinationem peteret, simoniam committit, ob idque perpetuam suspensionem incurrit.*

6 *Præsentatio ad titulum beneficij inter annexa spiritualibus antecedenter connumeratur, & eiusdem est rationis cum præsentatione ad beneficium.*

7 *Cap. per tuas 37. de simonia habet locum etiam in præsentato ad titulum patrimonij.*

8 *Suspensio cap. per tuas, de simon. diuersa est ab ea, de qua in cap. neminem 70. dist. & in Concil. Tridentin. sess. 21. de reform. cap. 2.*

9 *Ecclesijs, aut Monasterijs an liceat in vltima voluntate, vel per actus inter viuos bona temporalia dare sub eo modo, aut conditione, vt anniuersaria fiant, Sacraue certis diebus celebrentur, ostenditur, & numeris seqq.*

11 *Clericis spiritualia ministraturis licitum est stipendium sustentationis statuere, & de eo pacisci, atq; etiam de mercede laboris accidentalis, & susceptæ obligationis conuenire.*

12 *Conuentiones pro anniuersarijs dupliciter cum Ecclesijs fieri possunt.*

13 *Collatio præbendæ sub eo modo facta, vt recipiens Missam celebrare teneantur, iusta est.*

14 *Electio sub conditione fieri non potest.*

15 *Collatio, præsentatio, & quæuis alia beneficiorum promissio sub conditione fieri non potest.*

16 *Conditio, quæ ex rei natura, vel à Iure inest, non vitiat, licet in collatione beneficij, vel electione exprimatur. & num.* 17.

18 *Resignatio facta coram Episcopo, vel alio collatore inferiore Papa, cum designatione futuri beneficiarij, labem simoniæ continet.*

19 *Soti opinio refertur, & expenditur num.* 20.

21 *Renunciatio libera, & donatio rei propriæ non præsumitur.*

22 *Pius V. prohibuit ne resignationes coram Episcopis, vel alijs collatoribus fiant cum pacto, seu conditione, vel designatione futuri successoris.*

23 *Resignans, qui absolutè resignauit, si postquam facta fuerit absoluta resignatio, rogauerit collatorem, vt conferat illi, quem ipse proponit, modo non sit ipsius, vel collatoris consanguineus, affinis, aut familiaris, non contrariatur constitutioni Pij V.*

24 *Beneficium resignans coram Prælato ea conditione, vt sibi pensionem soluat, simoniam committit.*

25 *Beneficiarius, qui beneficium litigiosum cum multis expensis assequutus fuerat, & postea dum in pacifica possessione existit, resignat illud alteri coram inferiore Papa, cum pacto vt is in cuius fauorem resignat beneficium, soluat expensas, simoniam committit.*

26 *Resignationes reciprocas facientes coram Episcopo, simoniam committunt.*

27 *Consuetudine obtineri possunt, vt quæ simoniaca tantum sunt, quia prohibita, absque vlla culpa, & pœna fiant.*

28 *Declaratur tex. in cap. vlt. de condition. appos. & numeris seqq.*


29 *Simonia nulla, vel eius species dari potest, nisi vbi onerosus contractus celebratur, vel non gratuita spiritualium datio,*

aut

aut receptio fit saltem secundum figuram conuentionis.
31 *Declaratur tex. in cap. quam pio 1.q.2.*

ARTIC. III.

Vtrum modus, & conditio in spiritualibus speciem habeant simoniæ.

1 ODVS, & conditio in spiritualibus dupliciter interuenire potest, primò de re similiter spirituali danda, aut facienda, itaut tam modus, & conditio, quàm principalis dispositio spiritualia sint, secũdò adijci potest, vt temporale aliquid dandum, seu faciendum iniungat. Priori casu modus, & conditio in spiritualibus adiecta, siue in ratione oneris realis, siue per conuentionem, neq; simoniam, neq; eius speciem afficit, cum apta materia deficiat, nihilq; sit temporale quod similitudinem pretij habere valeat, & quemadmodum in pactionibus, & permutationibus, superioribus articulis probauimus de spiritualibus ad spiritualia recte fieri, sic est in modo, & conditione dicendum, vt apertè probat *tex. in cap. significatum*, *de præbend.* Posteriori
2 autem casu si in spiritualibus modus, aut conditio temporalis adijciantur, simoniaca est conuentio, vel saltem speciẽ simonię cõtinebit, nisi aliqua appareat causa temporalis, & honesta ad quam immediatè referantur, quod probat *tex. in cap. tua nos*, *de simon.* iam enim eo casu nõ gratuita efficitur conuentio cum aliquid habeat quod pretij rationem habere videatur. Similiter in temporalibus concedendi modus, & conditio spiritualis illicitam efficient dationem, nisi aut ratione debitæ sustentationis, aut iustæ mercedis id fiat, modus vero temporalis, & conditio, quamuis pia, rebus temporalibus Ecclesiæ, vel eius ministris data, nulla ratione poterit improbari.

3 Temporalis autem modus, & conditio in ſpiritualibus, aut poteſt adijci in conuentionem, aut rei ſpirituali vacanti quaſi reale onus imponi. Priori modo ſimoniæ ſpeciem continent, vt ſupra dictum eſt. Poſteriori autem non continent ſimoniam aliquam, quia nihil videri poteſt datum temporale pro ſpirituali vbi omnis pactio, & conuentio ceſſant, ſed tanquam onus reale in quemcumque poſſeſſorem tranſit iuxta *reg. cap. ſignificante, de pignorib.* idq; apertè probat *tex. in cap. vnico, vt Eccleſiaſt. benef.* & intelligendum eſt dummodo modus, aut conditio adiecta temporalium valorem non excedant: & rurſus in illis ſpiritualibus obſeruandum, quæ temporalia habent annexa, quibus illud onus conueniat, prout eſt beneficiũ. Sin autem purè ſpiritualia ſint, prout adminiſtratio, ius eligendi, aut præſentandi, vel ſimile, modus, & conditio de re temporali danda, aut faciẽda, non carebit ſpecie ſimoniæ, cum nulla res ſit illius oneris capax, videbiturq; magis pro temporali ſpirituale dari quàm vt onus adiungi. In temporalibus autem rebus diuerſa obſeruatio eſt, quoniam illis nihil ſpirituale veluti onus adijci poteſt, requirit enim onus reale neceſſariò vt res, cui imponitur, eius naturæ ſit, quæ eidem conueniat, & apta illud producere, vt in proprijs terminis docet *Innoc.* receptus in *cap. 3. ne Prælati vices ſuas, Card. & Præpoſ. num. 4. Imol. num. 12. Abb. num. 7. in d. cap. ſignificatum*, & faciunt quę de annuis redditibus, vel cenſibus emendis tradit idem *Innoc. in cap. in ciuitate, de vſuris, Abb. diſp. 5. nu. 5. verſ. ſecundò membro, Angel. in ſum. verbo vſura num. 1. §. 78. Ioann. Baptiſta Lupus in tract. de vſuris commento 2. num. 63.* Vnde niſi aliqua honeſta ratione illud temporale miniſtris Eccleſię ſit datum, vt aliquid ſpirituale faciant, ſimoniæ ſpeciem continebit, vt infra *corol. 2.* latius probabitur.

4 Ex quibus omnibus colligitur quòd modus, & conditio rebus ſpiritualibus adiecta, ſi rem ſimiliter ſpiritualem dandam, aut faciendam contineant, omni carent ſimonię ſpecie; ſin autem temporale aliquid, non ita, quod ſi velut onus reale rei ſpirituali vacanti abſque vlla conuentione modus temporalis

ralis fuerit impositus non improbabitur, dummodo purè spirituale non sit id, cui adijcitur, sed eidem bona temporalia adhærentia, quæ illius oneris sint capacia.

5 Primò ex dictis infertur eum, qui ab alio ad titulum sui beneficij ordinandus pręsentatus fuit eo adiecto modo, aut conditione, vt nihil ab eo post ordinationem peteret, simoniam committere, & ob id perpetuam suspensionem incurrere, vt probat *tex. in cap. per tuas* 37. *de simon.* & ex eo deducitur, quia diximus in spiritualibus modum, vel conditionem temporalem absque simonia adijci non posse, sed ille modus promissionem continebat de re temporali pecunia ęstimabili, igitur in eo *tex.* decisum est simoniam dari, quem sic intelligunt *glos. vlt. ibid. Cardin opposit.* 2. *Abb. & Anan. num.* 7. *Felin. in fine Nauar. in*
6 *man. cap.* 27. *num.* 151. Præsentatio enim illa ad titulum beneficij, de qua *tex.* agit inter annexa spiritualibus antecedenter connumeratur, & eiusdem est rationis cum præsentatione ad beneficium, quia verè ad spirituale recipiendum præsentare dicitur ille, qui alteri titulum constituit ad quem ordinatur, & ideo præsentatio vocatur in *d. cap. per tuas, & in cap. pen. eodem tit. de simonia, & in cap. cum secundum, de præbend.* qua ratione cum pro præsentatione illa promissio facta fuerit pretio ęstimabilis, rectè Pontifex ait simoniam committi, prout in *d. cap. cum secundum, de præbend.* at vero in *d. cap. pen.* euidentius vitium apparet quia cum ordinatione conuentio facta fuit.

7 Amplia autem decisionem *d. cap. per tuas*, etiam in pręsentato ad titulum patrimonij, qui simoniam committet, & suspensionem incurret si similem promisionem fecerit, vt benè ob-
8 seruat *Nau. d. cap.* 27. *num.* 158. Intellige tamen suspensionem illam diuersam esse ab ea, de qua in *d. cap. neminem* 70. *dist. & in Concil. Trident. sess.* 21. *de reformat. cap.* 2. hæc enim contrahitur propter vitium simonię, illa propter defectum tituli, quod si ordinatus nulla facta conuentione patrimonium, aut titulum fingat, irregularis erit, iuxta decretum *Concilij Trid. vbi sup.* & sententiam *Anton.* quam contra alios bene defendit *Dec. in cap. liceat, de præbend.* Post ordinationem vero nulla erit simonia

nia si quis patrimonium remittat, vt *Nauar.* obseruat dicto loco, nec irregularitas, aut suspensio, non tamen valebit nisi obseruentur ea, quæ continentur in *d.cap.2.Concilij Tridentin.*

9 Secundò infertur resolutio ad difficilem quæstionem, & in vtroque foro frequentissimam, vtrum in vltima voluntate, vel per actus inter viuos liceat bona temporalia Ecclesijs, aut Monasterijs sub eo modo, aut conditione dare, vt anniuersaria fiant, Sacraue certis diebus celebrentur? In qua *Innoc.in cap.3. ne Prælati vices suas*, de cuius opinione ibi differit *D.August. Barbosa in collectan.* affirmat non licere siue tanquam onus reale rebus temporalibus spiritualia adijciantur, siue deducantur in conuentionem, & eandem sententiam probat *Anan.* ibidem, & veriorem putat *Anchar.num.5.Abb.num.7.Imol.num.12. in cap.significatum, de præbend.* probat etiam *Richard. in 4. dist. 25.art.3.q.2.ad 2.S.Antonin.p.2.tit.1.cap.5.§.19 vers.pro celebratione.* Cuius opinionis illud fundamentum est, quod si effectum rei consideremus videntur plane in hac specie dari temporalia pro spiritualibus, nam si conuentio cum Ecclesijs fiat sub ea forma, datur iam pactio de temporalibus ad spiritualia contra *cap.quam pio 1.q.3.& cap.vlt.de pactis, cum similibus.* Si vero sine conuentione bona dentur sub eo modo, & conditione spiritualium, cum bona temporalia oneris spiritualis capacia non sint, videtur potius ea obligatio personalis iniungi ministris Ecclesiasticis, quibus bona dantur, quàm reale onus adiectum, nec enim in dispositionibus attendimus cum quo quis loquatur, sed in quem dirigatur intentio, *l.cum prætor 79.§.donationis, ff. de legat.2.* Accedit quia postquam res sub eo modo acceptatur, transit in conuentionem, & obligationem procedit, vt vel Ecclesia cogatur modum adimplere, vel res auferatur ab ea, iuxta *tex.in l.2. C.de his, quæ sub modo.*

10 Verum hæc *Innocentij* sententia confunditur plerisq; Iuris Canonici auctoritatibus, quibus legata, & donationis pro anniuersarijs facta comprobantur, sic enim colligitur ex *cap.vlt. de testam.* ibi, *anniuersario*, & ex *cap. ex parte 31. de verbor. significat. ante fin.* ibi, *quæ pro anniuersario*, *Clem. dudum, §. verum,*

uerum, de sepult. Confunditur etiam generali consuetudine qua non solum spiritualia bonis temporalibus ad similitudinem oneris adijciuntur, sed etiam conuentiones passim fiunt cum Ecclesijs, vt affirmat *Card. in d.cap.significatum, in fine.* Vnde *Host.* ait non esse audiendum *Innoc.* quia eius scrupulosa sententia animę illaqueantur, ipse vero distinguendum putat vtrum modus, aut conditio spiritualium quasi ônus bonis temporalibus imponatur à solo dante, an vero cum ministris Ecclesiæ, vel alijs fiat conuentio. Priori casu licitum esse putat, quia cessat pactio, & res cum onere suo transit, *cap.ex litteris, de pignorib.* adducit etiam *tex.in d. cap. significatum* secundum primum intellectum *glossæ ibid.verb.ita quod*: posteriori vero casu propter conuentionem, simoniam committi putat, eandem *Host.* sententiam tanquam humaniorem sequitur *Ioann. And. & Cardin. in d. cap. significatum*, testatur communem *Imol. vbi supra, Rip. in l.nemo potest. num.* 125. *ff. de legat.* 1. *Siluest. verbo simonia q.4.vers.septimo, Maior in 4.dist.25.q.6. Gabr. in can. Missæ lect.* 18. *col.* 2. *Caiet. & Sot. infra citandi, Redoan. de simon.p.2.cap.27.num.* 19. & videtur probari à *S. Thom.2.2.q.100.art.3.ad 2.* dum ait licitum esse temporalia dare spiritualia ministraturis, si tamen per pactum id fiat simoniam committi, quod etiam affirmat *Viguer. de instit. cap.* 5. *§.6.vers. 9.col.3.* Ex quibus in summa colligitur licitum esse relinquere, aut dare bona temporalia pro anniuersarijs celebrandis, vel vt anniuersaria fiant, non tamen cum clericis ita conuenire, vt se obligent, prout ex *Host.* & communi sententia colligit *Imol.d.num.12.* fatentur tamen omnes tutius esse absque vlla conditione temporalia liberaliter dare, & cogere Ecclesiam, vt anniuersaria faciat.

11 Hęc etiam communis sententia eisdem ferè auctoritatibus & rationibus refutatur, quibus opinio *Innocentij* improbata est, & quotidiana praxis contrarium obseruat, confunditur etiam ex his, quæ diximus *p.1. art.2. corol.* 3. quo loco resoluimus licitum esse clericis spiritualia ministraturis stipendium sustentationis statuere, & de eo pacisci, atq; etiam de mercede laboris

laboris accidentalis, & susceptę obligationis conuenire cum naturali, & humano Iure debeantur *Lucæ cap. 10. Paul. 1. ad Corinth.cap.9.cap.vlt.* 1. *q.2. cap. cum secundum, de præbend.* quod ipsemet *Innoc.* docet in *cap. 3. Abb.& Anan. ibid.* idem *Abb.in d.cap. significatum num 8.Card.num.4. Abb. & Anan. num.7.Felin.in fine in cap. suam, de simon. num. 19. Caiet. d. art.3.dub.2.Viguer.d.loco,Sot.lib.9.de Iust q.6. art.2.* Sed tunc pro anniuersarijs faciendis temporalia dantur, vel cum ministris fit conuentio, plane stipendio sustentationis, aut mercede iusta illius obligationis susceptę conuenitur, ergo nulla ratione poterit improbari. Accedit quod receptum est simoniam non committi quando in conuentionem deducuntur illa, quæ insunt à Iure *cap.olim* 12. *vbi glos.* celebris, *verbo sub ea, de restit.spoliat.cap.constitutus, & ibi glos.de relig.domib. cap.significasti 4. & ibi glos. verbo conditione, de elect.* & vtrobique Doctores.

12 Quapropter vt in hac controuersia dirimenda aliquid certum constitui posit, sciendum est conuentiones pro anniuersarijs dupliciter cum Ecclesijs posse fieri, aut ita vt causa sustentationis, aut debiti in tenore ipsius contractus exprimatur, aut ita vt ea causa non exprimatur, sed tantum de temporalibus dandis, & anniuersarijs faciendis pactum fiat, priori casu credimus nullam dari speciem simoniæ, sed omni Iure licitam esse conuentionem, species autem nihil aliud est quàm figura simonię, quæ nulla reperitur vbi in tenore contractus causa temporalis honesta exprimitur, propter quam temporalia dantur, & in his terminis corol. nostrum procedit, vt est sententia *Caiet.Victor.& Soti dictis locis*. Posteriori autem casu secundum Iuris Canonici rigorem existimamus conuentionem speciem habere simoniæ, quia ipsius figura, in qua nihil apparet præterquam temporalia data, & spiritualia promissa, refert quoad modum simoniacam pactionem quamuis de veritate constet. Leges enim Canonicę in detestationem tanti criminis prohibuerunt non solum conuentiones verè simoniacas, & illas, quæ ex probabilibus coniecturis tales præsumi posunt, sed

etiam

etiam, quæ mali imaginem referunt, & ita declaranda est doctrina S.*Thom.* de qua supra, *reg. cap. vlt. de pactis, cum similibus*, Nec nouum hoc videri debet, quoniam *Innoc. in d. cap. 3. num. 3.* solum videtur voluisse hoc, cum ait contractum cum Sacerdote de stipendio fieri posse, sed faciendum vt non misceantur temporalia cum spiritualibus, nec quoad intẽtionem, nec quoad verba, refert, & sequitur *Abb. in d. cap. significatum*, sequuntur omnes vbi supra, & licet *Innoc.* requirere videatur, vt separatus fiat contractus de stipendio sustentationis in quo de spiritualibus mentio non fiat, & in alio diuerso instrumento clerici ad spiritualia se obligent, hoc necessarium non est, nec aliqua ratione fulcitur, sed sufficit expresè declarare causam sustentationis, aut stipendij: consuetudo tamen obseruat, vt huiusmodi conuentiones passim fiant, quamuis non exprimantur temporalia ad sustentationem dari, quoniam hoc virtualiter inest, & ex consuetudine pro expresso haberi potest, quæ cum circa ea versentur, quæ sunt Iuris positiui tantum, condemnari non debent, qui sic cum Ecclesijs conueniunt, vt infra late explicabitur.

13 Tertiò infertur iustam esse collationem præbendæ sub eo modo factam, vt recipiens Missam celebrare teneatur, sicut probat *tex. in cap. significatum, de præb.* & ex eo colligit *D. Aug. Barbos. in addit. ad collect. post n. 4.* Diximus enim supra in spiritualibus conferendis modum, aut conditionem similiter spiritualem absque simonię specie posse adijci, constat autem in hoc casu desumpto ex illo *tex.* spirituale beneficium sub spirituali modo eidem conuenienti fuisse datum, igitur rectè Pontifex ibidem collationem sic datam appprobat, quam rationem decidendi ex alijs expressit *glos. pen. in d. cap. significatum*, sequitur *Butr.* ibi, defendit *Dec. vbi supra* contra *Card. Imol. & Abb.* ibidem, defendit etiam *Ripa in cap. cum M, de constit. num. 176. Maior. in 3. dist. 25. q. 6.*

14 Non obstat quod quemadmodum electio sub conditione fieri non potest, *cap. 2. de elect. lib. 6.* sic etiam collatio, præ-
15 sentatio, & quæuis alia beneficiorum promissio, quæ inter

actus legitimos connumeratur, prout resoluit *glos.* recepta in *d.cap.* 1. *verbo incerta*, probat latè *Sel.de benefic.p.* 3.*q.*20.*Roch. de iurepatron.verbo honorificum q.*8.*Lambertin. lib.*2.*p.*2.*q.*3. *princ.art.*9. *Ludou.Gom. in reg. de verosimili notitia q.* 8. *Cou. lib.*3.*var cap.*16.*num.*1.*Nauar. in cap. si quando, de rescript.*
16 *in prælud.nu.*5. quia respondent nonnulli regulam dicti *cap.* 2. non procedere quando conditio inest ex rei natura, vel à Iure, tunc enim licet in collatione beneficij, vel electione exprimatur, non vitiat, vt in terminis docet *glos.in cap. significasti, de elect.glos.verbo nihil in cap. cum M, de constitut.glos.verbo renunciantes in cap. ad audientiam il* 2.*de rescript. glos.* 1. *in Clement.* 1.*de restit. spoliat.* quos Doctores omnes ibidem sequuntur *Ias. in l.*3.*num.*14.*ff.de legat.*1.*& ibidem Ripa num.*126. *Dec.cons.*118. *num.*5.*Paris.cons.*135.*num.*21.*lib.*4. *Nau.* qui dicit communem, in *cap.accepta opposit.*7.*num.*41.*de restit. spol. Dec.& Cagnol.in l.actus legitimi num.*29.*ff.de reg. Iuris.* Quapropter collatio rectè fit sub conditione, si beneficium vacat, si est idoneus, & simili, vt resoluit *Felin.per tex.ibi in cap.vlt. num.*16.*de præsumpt.* constat autem conditionem de qua in *d.cap.significatum*, saltem in genere inesse præbendæ, aut cuilibet beneficio, quod propter officium spirituale datur, & institutum est, *cap.vlt.de rescript.lib.*6.*Concil.Tridentin.sess.*21. *de reformat.cap.*3. vnde nihil mirum si exprimi potuerit absque vitio illa conditio.

17 Nec obstat quod ea obligatio specialis non inerat, sed aliqua in genere, vnde vel aliud fuit expressum, vel saltem diuerso modo, ac perconsequens debuit vitiare iuxta *l. si ita legatum*, §. *illi si volet, ff.de de legat.*1.*d.l.actus legitimi, in fine*, respondet autem *Dec.vbi supra*, satis esse, quod in genere insit officium spirituale, quod tale esse debeat, quo tempore, & modo præstandum, Episcoporum arbitrio concessum est, qui temporum, & personarum circumstantijs consideratis, augere poterit, aut minuere, aut denuo statuere non solum dum beneficia vacant, sed etiam viuentibus possessoribus, aut inuitis, vt colligitur ex *cap. requirenda* 10.*q.*1. *Concil.Trident.sess.*24.

de reform.cap.10. & ex his, quæ late tradit *Redoan. vbi supra.*

18 Quartò infertur resignationem factam coram Episcopo, vel alio collatore inferiore Papa, cum designatione futuri beneficiarij labem simoniæ continere; pro qua sententia expenditur *tex.in cap.dilecto, de præbend.* ibi, *intendentis prouidere nepoti suo*, iunctis illis verbis, *liberaliter resignabit*, quibus innuit intentionem prohibitam non esse si purè, ac liberaliter renunciatio fiat, & hanc sententiam praxis iam diu ita recepit, vt quamuis scripto Iure non probaretur vsus, & consuetudo præscripta pro lege habenda est. Probant corol.*glos.*recepta *verbo dimittere in cap. ex parte 12. de officio deleg.* ait enim simoniacum non esse eo animo renuntiare, vt alteri detur, eam tamen exprimere conditionem, seu conuentionem facere speciem esse simoniæ prohibitæ, eandem sententiam tenent *glos. in d. cap. dilecto, Archid.in d.cap.quicunque 1.q.1. Abb.in cap.non satis, in fine, de simon. Angel.in sum.verbo simonia 3.§.40. Felin. in cap. ad audientiam il 2. num.3.de rescript. Siluest.verbo renunciatio q 6.Cassad.decis.2.de simon. Mandos.reg.de infirmis q.16. num.11.Redoan.de simon.p.1. cap.25. & p.2. cap.10. cum seqq. Nauar. in man.cap.23.nu.100. vers.11.& nu.107. vers.ad 10. Soar.de Relig.tom.1.lib.4.de simon.cap.35.num.7.Filliuc.tract. 45.cap.8. quæs.7. num. 20. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib.23. num.247. Bonacin.de simon.q.4.§.14.num.6. D. Barbos. in collect.ad d.cap.dilecto, in nouiss.impress.*

19 Constanter tamen defendit *Sot.de Iustit.lib.9.q.7.art.2. in princip.* nec speciem simonię, nec aliud illicitum committi, si cum parte nulla fiat ea de re pactio, & eo nititur argumento, cum enim Prælato collatio beneficij incumbat, nullo Iure prohibetur ita apud eum renuntiare, cui liberum est, vel sub conditione admittere resignationem, aut reijcere; rursus pro eadem sententia sic arguitur. Renunciatio, quæ fit ex causa permutationis conditionalis, est respectiua, in qua saltem virtualiter continetur illa claus. *Non alias, aliter, &c.* vt apertè colligitur ex *cap. vnic. de rerum permut. lib. 6.* ibi, *qui aliàs minimè resignasset, Clem. vnic. eod. tit.* ibi, *ex causa permu-*

tationis resignata, constat autē huiusmodi renunciationē etiam sub expressa conditione, vt alter alterius beneficium habeat, esse licitam, vt eadem Iura probant, sicut supra dictum est hac *p.2.art.1.corol.3.* Igitur renunciatio conditionalis respectiua illicita non est. Tandem hanc partem probare videtur *tex. in cap.cum vniuersorum, de rerum permut.* vbi in fauorem tertij renunciatio facta non improbatur; nec ab hac sententia dissentit *glos.1.in cap.ordinationes 1.q.1.* dum ait simoniacum non esse renuntiare beneficio, vt alteri detur, dummodo non deducatur in pactum, vult enim *glos.* apud Ordinarium renunciationem ita posse fieri, non tamen licitum esse cum parte pacisci, quamuis in alium sensum à Doctoribus citetur, vt per *Bellem. & Praepos. ibidem num.33.*

20 Verum licet propter vsum totius Ecclesię, quod huiusmodi renunciatio conditionalis quasi simoniaca habeatur, nō liceat id vltra in controuersiam deducere, Iure tamen communi attento non est adeo exprobatum, quia opinio *Soti* potuisset excusari; nec satis appareat in quo simonia versetur, si omnem remoueas pactionem, vt *Sotus* ait. Leges nanque pactiones in spiritualibus improbantes ad hanc renunciationem non pertinent, quę sine conuentione fit, quę autem renunciationem huiusmodi prohibeat specialiter non reperitur. Vnde licet Doctores non satis declarent in quo ratio huius simonię consistat, dicendum est in eo, quia non modicam habet simoniæ suspicionem, cum enim resignatio ad alterius fauorem facta libera non credatur, si metus, aut doli suspicio nulla detur, suspicatur lex ob temporalia data, aut promissa fieri, vt apertè probat *tex.in cap.super hoc, de renunciat.* ibi, *nec interuentu pecuniæ, nec promissione eius, quæ rei rationem reddit, in princip. vers. sic tuæ*, facit etiam *cap. quia verosimile, de præsumpt.*

21 magisq; confirmatur ex his, quæ de non præsumenda libera renunciatione, aut donatione rei propriæ, probat *tex.in l.cum de indebito, ff.de probat.* tradit *Dec.in l.si debitori num.16.C.de pactis*, latè *Tiraq. in l. si vnquam, verbo donatione largitus num.206. cum seqq. C. de reuocan.donat. Aym.cons.142.nu.26.*

& cons.

& conſ. 290. num. 1. verſ. quarto, *Menoch. conſ. 37. num. 126.* facit etiam doctrina *Abb. in cap. ad audientiam in fine*, *de his quæ vi*, *Roland. conſ. 2. num. 93. lib. 1.* quæ ratio præſumendæ ſimoniæ plane ceſſat in ſimplici renunciatione, in qua liberum eſt Prælato beneficium, cui voluerit, conferre, atq; ideo nihil mirum ſi ſola conditionalis, & reſpectiua quaſi ſimoniaca iudicetur.

22 Illud aduertere oportet, quod ſanctæ mem. Pius V. in ſua Conſtit. incip. *Quanta Eccleſiæ*, præter alia ſtatuit ne reſignationes coram Epiſcopis, vel alijs collatoribus fiant cum pacto, ſeu conditione, vel deſignatione futuri ſucceſſoris, cui reſignãs intendit beneficium conferri, & irritat aliter factum per hæc verba. Caueant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemq; omnes electores, præſentatores, & patroni tam Eccleſiaſtici, quàm laici, quicunque ſint, ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno, futuri in huiuſmodi beneficijs, & officijs ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut alijs eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſsio inter eos, vel etiam intentio qualiſcunque intercedat. Præcipimus inſuper, & interdicimus, vt ipſi Epiſcopi, aut alij collatores de beneficijs, & officijs reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere, quod ſi ſecus, atq; etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quoquam temere attẽtatum, id totum ex nunc vices, & effectum decernimus non habere.

23 Hactenus dicta Conſtitutio Pij V. cui non contrariatur reſignans, qui abſolutè reſignauit ſi poſtquam facta fuerit abſoluta reſignatio, rogauerit collatorem, vt conferat illi, quem ipſe proponit (modo non ſit ipſius, vel collatoris conſanguineus, affinis, aut familiaris) nam huiuſmodi petitio eſt poſterior reſignatione, ac proinde non tollit rationem reſignationis abſolutæ: ita *Nauar. in man. cap. 23. num. 109. Redoan. de ſimon. p. 1. cap. 25. Quarant. in ſum. Bullarij verbo beneficij reſignatio*, *verſ. pro complemento*, *Nicol. Garc. de benefic. p. 11. cap. 3.*

cap. 3. num. 209. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 35. num. 18. vers. hæc ergo, Filliuc. tract. 45. cap. 8. quæs. 9. nu. 26.

24 Quintò infertur resignationem beneficij non puram labem simoniæ continere si coram Prælato inferiore Papa fiat, vnde si quis coram Prælato beneficium resignet ea conditione, vt sibi pensionem soluat, simoniam committit, sicut resoluunt *Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 35. num. 22. Filliuc. tra-*
25 *ctat. 45. cap. 8. quæs. 10. num.* 34. idem dicendum existimo si beneficiarius, qui beneficium litigiosum cum multis expensis assequutus fuerat, & postea dum in pacifica possessione existit, resignat illud alteri coram inferiore Papa, cum pacto vt is, in cuius fauorem resignat beneficium, soluat expensas, vt tenent *Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 14. q. 7. nu. 1. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 23. cap. 18. Soar. d. cap. 35. num. 24.*

26 Hinc committere simoniam facientes coram Episcopo resignationes reciprocas obseruant *Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 1. q. 3. Soar. d. cap. 35. num. 19. Valer. Reginald. d. lib. 23. num. 250. Lessi. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 14. num.* 87. & à fortiori triangulares, secundum *Flamin. Paris. d. lib. 14. q. 7. nu. 63. Nicol. Garz. de benefic. p. 11. cap. 4. num. 21. & seq. Lessi. d. lib. 2. cap. 35. dub. 14. nu.* 88. *Molfes. in sum. moralis Theolog. tract. 6. cap. 13. Cochier. de permut. p. 2. cap. 25.*

27 Sextò infertur consuetudine obtineri posse, vt quæ simoniaca tantum sunt, quia prohibita, absque vlla culpa, & pœna fiant. Diximus enim supra simoniaca quia prohibita illa esse, quæ sola lege humana prohibentur, sed consuetudo rationabilis, & præscripta illa potest facere licita, quæ per leges humanas tantum prohibentur *cap. vlt. de consuetud.* Igitur, &c. Accedit quod in his omnibus Pontificis auctoritas vitium tollit, consuetudo autem parem vim habet, vt probat *tex. in l. 1. §. vlt. ff. de aqua pluuia arc. cap. super quibusdam, §. præterea, de verb. significat. Molin. de primog. lib. 2. cap. 6. num.* 13. Ergo, &c. Multò etiam fortiori ratione efficiet consuetudo vt ea, quæ dantur ministris spiritualium non quasi pretium, sed ex pia, aut honesta causa data censeantur, nisi prauus animus aliunde appareat,

pareat, vel efficaces reperiantur mali circumstantiæ, iuxta *cap. ad Apostolicam, de simon. l. priuilegia in fin. C. de sacrosanct. Eccl.* resoluit *S. Thom.* ab omnibus receptus *2.2. q. 100. art. 2.*

28 Septimò infertur non sine difficultate transire dispositio *tex. in cap. 2. de condition. appos.* dum probat iuste dari libertatem seruis sub conditione, vt Religiosi fiant, & in certo Monasterio remaneant. Ratio dubitandi in eo versatur, quod libertas, quæ temporalis res est, sub conditione spiritualium datur contra *tex. in cap. quam pio 1. q. 2. & reg. cap. vlt. de pact.*

29 Quapropter reiectis varijs intelligendi modis, quos adducunt *glos. 1. Host. Abb. Butr. & Præpos. in d. cap. 2.* verus intellectus duobus propositis principijs facilè constabit. Prius sit nullam simoniam, vel eius speciem dari posse nisi vbi onerosus contractus celebratur, vel non gratuita spiritualium datio, aut receptio fit, saltem secundum figuram conuentionis, gratiosa autem, & liberalis donatio nullo Iure potest improbari. Patet hoc ex defensione simoniæ, quod sit studiosa voluntas emendi, &c. & nomine emptionis omnis contractus onerosus intelligitur, ex congestis per *D. August. Barbosa in tract. de appellatiua verborum vtriusque Iuris signific. appell. 88. num. 2.* & colligitur etiam ex omnibus auctoritatibus à *Gratian. adductis 1. q. 1. per tot.* & apertius ex *cap. super eo ad fin. de transaction.* quo loco gratis, & amicabiliter componere in spiritualibus culpa non est. Posterius est donationem libertatis, vel alterius rei sub modo, seu conditione factam, vel ob causam in duplici esse differentia, aliquando enim modus, causa, & conditio in fauorem donatoris, aut tertij adijciuntur, aliquando ipsius donatarij recipientis vtilitatem continet, prout contingit cum alicui pecunia datur, vt domum sibi ædificet, & prædium suum melius faciat. Priori casu conditio, aut modus, vel causa efficiunt, vt donatio illa iam non sit propria, & liberalis, sed magis onerosi contractus naturam accipiat, vt docet *Paul. in l. 1. num. 2. ff. de donat. Roger. in l. Modestinus num. 32. ff. eodem, Tiraquell.* qui alios refert, in *l. si vnquam, verbo donatione largitus num. 145. C. de reuocand. donat.* Posteriori casu con-

conditio, modus, & causa non efficiunt quominus omnino gratuita, & liberalis donatio fiat, vt colligitur ex *d.l.1.*

30 Quibus præhabitis dicendum est in *d.cap.2. & in cap. eo liberius, de seruis non ordin.* donationem libertatis sub modo spirituali simoniæ vitio carere, quia ex omni parte erat liberalis, nam & libertas data, & Religiosi ordinis conditio solius recipientis fauorem continebat principaliter, atq; ideo merito Romani Pontifices rem quasi perspicuam statuerunt, quinimò dicendum non solum libertatem, sed pecuniam sub eo modo rectè dari, idq; quotidiè fit dum Virginibus legata fiunt sub conditione Religionis, & aliquibus bona relinquuntur si clerici fiant, quod in terminis probant *Bald. in auth. cui relictum, C. de indicta vid.toll. & ibi Paul. & Ias.num.4. Costa in l. cum tale, §. si arbitratu limit. 3. ff. de condit. & demonstrat.* quo pacto etiam intelligit hæretico, & infideli rectè dari, vt conuertatur.

31 Neq; his obstat argumentum ex *d. cap. quam pio 1. q. 2.* respondetur enim in eo *text.* conditionem, vel pactum non gratuitum fuisse, quia is, qui temporalia dabat, spiritualia recipiebat, sic etiam factum est in *cap. quia nos, de simon.* ex quibus declaranda, & limitanda sunt omnia, quæ in hac materia traduntur circa modum, & conditionem spiritualium temporalibus adiecta, vt nullam habeat simoniæ speciem, si modus, & conditio solius recipientis vtilitatem contineat, quia videtur potius proposito præmio ad spiritualia inuitari, quàm pretio ea æstimare, & nostrum corol. videtur probare *Medin. in tract. de restitut. & contract. q.27. ad fin.*



PARS

PARS TERTIA.

DE RESTITVTIONE ALIISQ; pœnis, quibus per sacros Canones afficitur simoniacus, & quibus modis simonia probetur?



SVMMARIVM.

1 *Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ læsioni oppositus.*
2 *Restitutio definitur, vt sit redditio debiti, aut satisfactio læsionis.*
3 *Restitutiones duæ sunt radices iniusta acceptio, & iniusta retentio.*
4 *Restitutio ex diurno præcepto specialis iustitiæ commutatiuæ ei tantum debetur in foro Conscientiæ, qui læsus est, & cui debetur.*
5 *Turpiter dari potest aliquid tribus modis.*
6 *Datum turpiter si recipiatur iuste restituendum non est.*
7 *Datum turpiter repeti potest cum recipientis solum turpitudo fuerit.*
8 *Datum turpiter non potest repeti cum vtriusque turpitudo est.*
9 *Restituere an teneatur in foro interiori qui turpiter datum turpiter recipit? ostenditur, & num. seq.*
10 *Spiritualia turpiter data semper sunt in vtroque foro restituenda eo modo, quo restitui possunt.*
11 *Temporalia per simoniam recepta nemine petente in foro interiori an alicui debeant ex præcepto restitui? ostenditur, & numeris sequentibus.*
12 *Fundamenta partis affirmatiuæ plura referuntur.*
13 *Temporalia per simoniam recepta ex præcepto non debentur, nec*

danti, nec pauperibus, nec Ecclesiæ, nec fisco in foro interiori antequam id exigetur.
14 Turpiter datum apud turpiter recipientem remanere non debet.
15 Declaratur l. nunquam nuda, ff. de acquir. rerum dom.
16 Dominium an transferatur in vsurarium, & simoniacum.
17 Spiritualia ob suam excellentiam pretio non possunt æstimari, aut vendi, opinione tamen, & voluntate paciscentium illa ab vtraque parte pretio æstimantur.
18 Receptum per vsuras est de necessitate salutis restituendum danti quando is, qui dedit in dando turpitudinẽ non cõmisit.
19 Declaratur text. in cap. etsi necesse, de donat. inter virum, & vxor.
20 Declaratur text. in cap. veniens, de simonia.
21 Restitutio recepti per simoniã ex præcepto nõ debetur pauperibus.
22 Declaratur text. in cap. cum sit, de iudic.
23 Restitutio id præstare debet quod læsio abstulit.
24 Declaratur text. in cap. de hoc, de simonia.
25 Episcopus suorum reddituum est dominus dum viuit.
26 Bona temporalia quando quis pro spiritualibus dedit absque domini consensu, vero domino restituuntur.
27 Pœna, quæ fisco applicatur, etiam ipso iure ante exactionem non debetur.
28 Pretium receptum per simoniam ante condemnationem in foro Conscientiæ non est restituendum danti.
29 Beneficia, & alia eiusdem rationis spiritualia, quæ natura sua restituibilia sunt, per simoniam comparata, absque vllo dubio dimittenda sunt in foro Conscientiæ.
30 Alienam rem detinens contra domini voluntatem tenetur restituere.
31 Spiritualia per simoniam recepta Iure diuino an sint restituenda? ostenditur, & numeris seqq.
32 Prælati, qui dispensatores sunt, si creditã sibi dispensationem excedentes contra Christi Domini mandatum spiritualia ministeria vendant, quæ gratis iubentur dare, non possunt eos dominos efficere, qui recipiunt.

33 *Hæreditas per simoniam acquisita est dimittenda in foro Conscientiæ.*
34 *Papa dispensatione sua efficere potest, vt retineantur spiritualia per simoniam acquisita.*
35 *Præcepta humana, & diuina nonnulla reperiuntur, quæ actum contra gestum irritum faciunt, alia, quæ licet fieri prohibeant, non tamen irritant,*
36 *Obligatio restituendi est ex defectu acquisitionis quando titulus naturali, aut humano Iure non valet, naturali Iure cum aliquid deficit ad essentiam actus pertinens, humano vero cum simpliciter prohibet, aut ratione aliqua irritat.*
37 *Lex diuina duobus modis potest ad aliquid dandum, aut faciendum obligare.*
38 *Beneficiorum, & similium spiritualium restitutio habet quidem fundamentum in lege diuina, obligatio autem restituendi non prouenit immediatè à præcepto diuino, sed humano.*
39 *Alienum vbi retinetur essentialiter, siue formaliter contra domini voluntatem, dominium non transfertur, & ex lege diuina debetur restitutio; secus si interueniret defectus voluntatis circa accidentia.*
40 *Consensus defectus circa accidentia non vitiat.*
41 *Lex diuina naturalis licet malos iubeat coerceri, tamen quo pacto, & quo tempore coercendi sint, non declarat, sed humanis legibus definiendum relinquit.*
42 *Declaratur tex. in cap. Matthæus, de simonia.*
43 *Restituenda non sunt in foro Conscientiæ illa, quæ legitimo titulo comparata fuerunt, & quibus propter vitium simoniæ delinquentes huiusmodi priuantur, vel quæ dare iubentur.*
44 *Simoniacus secundum aliquos priuatur ipso iure beneficijs, quæ ante legitime acquisierat, sed verius quod dicitur num. 46.*
45 *Simoniacus an teneatur statim dimittere beneficia legitime obtenta cum fructibus? ostenditur, & num. seq.*
47 *Simoniacus mentalis an in Conscientia teneatur restituere? ostenditur, & numeris seqq.*
48 *Simonia mentalis duobus modis dici potest, aut sola voluntate,*

aut quis prauo animo aliquid dedit spirituale, vel recepit pro temporalibus absque vlla exteriori conuentione.

49 Simonia mentalis sola voluntate committitur, non tamen inde nascitur aliqua restituendi obligatio.

50 Vsurarius mentalis restituere tenetur.

51 Simoniaci mentales non incurrunt pœnam Canonicam.

52 Vsurarius mentalis quare restituere teneatur, non sic mentalis simoniacus, ostenditur.

53 Spiritualia acquisita per simoniam lege tantum humana prohibitam, sunt in Conscientia dimittenda.

54 Prouisiones spiritualium factæ per simoniam prohibitam lege tantum humana an ipso iure valeant? ostenditur, & nu. seq.

55 Pœnæ aduersus simoniacos ipso iure præscriptæ non habent locum vbi simonia tantum quia prohibita committitur.

56 Declaratur tex. in cap. ordinationes 1.q.3.

57 Declaratur tex. in cap. ea quæ 1.q.3.

58 Declaratur tex. in c. vlt. de pact. & in c. constitutus, de transact.

59 Declaratur tex. in cap. cum olim, de rerum permut.

60 Declaratur tex. in Extrauag. 2. de simon.

ARTIC. I.

Vtrum quę per simoniam comparantur in foro Conscientiæ necessariò restituenda sint, licet nullus petat, aut iubeat?

1 ESTITVTIO est actus iustitiæ commutatiuæ læsioni oppositum, & à *S. Tho. 2.2.q.62.art.1.* sic diffinitur, vt sit iteratò aliquem in possessionem, aut dominium rei suę restituere, quę descriptio omni restitutioni non conuenit cum aliqua sit, qua dominium, aut possessio non redditur antea habenti, sed damnum resarcitur, & quod nunquam habuit erat tamen habiturus, datur,

tur, neq; conuenit cum eadem definitione, quam tradit *Iurecons. in l. quod si maior, §. restitutio, ff. de minoribus*, is enim ait restitutionem fieri cum vnusquisque ius suum recipit, quod longè diuersum est, à restitutione dominij, aut possessionis,
2 atq; ideo melius definitur vt sit redditio debiti, aut satisfactio læsionis, ex mente Doctorum omnium, de quibus infra. eius
3 autem duæ sunt radices iniusta acceptio, & iniusta retentio, prima contingit in furto, rapina, vsura, alijsq; iniuriosis alienarum rerum vsurpationibus contra domini voluntatem actualem, seu virtualem factis: posterior vero reperitur cum res domini voluntate data postea iniustè retinetur, vt in mutuo, commodato, deposito, & similibus, quæ statuto tempore non redduntur, sicq; vt restitutio sit in præcepto ex his duobus alterum adesse debet, *S. Thom. vbi supra, Siluest.* & omnes in *sum. verbo restitutio 1. Medin. de restitut. in princ. Nau. in man. cap. 14. num. 6.* qui nouam restitutionis definitionem tradit, *Cou. in reg. peccatum p. 2. in princ. num. 1. Sot. de Iustit. lib. 4. q. 5. art. 1.*
4 Vnde fit vt ex diuino præcepto specialis iustitiæ commutatiuæ ei tantum restitutio debeatur in foro Conscientię, qui læsus est, & cui debetur, vt docent *S. Antonin. Angel. Siluest. & Nau. dictis locis, Cou. vbi supra num. 6.*

5 Tribus modis potest aliquid turpiter dari, vel vt solius dantis turpido sit, vel recipientis solum, vel vtriusque, trimembrem hanc diuisionem cum positis exemplis colligitur ex *l. 1. cum duobus seqq. ff. de condit. ob turpem causam*. In his autem sic turpiter datis, legibus diffinitum est datum turpiter si recipiatur
6 iuste, restituendum non esse, *l. 3. ad fin. princ. ff. eodem*, eiusq; rei manifesta ratio est, quoniam eo casu, & voluntas domini reperitur rei suæ dominium transferre volentis, & naturalis ratio, aut lex ciuilis acquisitionem non impedit. Cum autem re-
7 cipientis solum turpitudo fuerit, repetitioni locum esse nemo ambigit *l. 2. & vlt. ff. illo tit. l. 3. l. pen. & vlt. C. eod.* nec etiam ratio est quoniam coactus potius quàm volens credendus est dare illi, qui ei dedit, cui gratis præstare tenebatur *arg. l. cum de indebito, ff. de probat.* & traditionis iusta causa deest sine qua do-

dominium non transfertur *l.nunquam nuda, ff. de acquir. rer. domin.* ob idq; nec dans dominium amittit, nec recipiens ac-
8 quirit. Tertiò autem casu sæpe definitum legimus cum vtriusq; turpitudo est repetitionem cessare, & meliorem esse recipientis conditionem; *l.si ob turpem, ff. de condict.ob turpem, l.2.C. eodem, reg. in pari, de regul.Iuris lib.6.* quorum ille sensus est, quod licet recipienti non quæratur dominium, quia naturalia, & ciuilia Iura non patiuntur ex iniusta causa dominium quæri, repetitio tamen danti denegatur ob suam turpitudinem. Sed non parum obscurum est an in foro exteriori tantum denegetur repetitio in pœnam, & dominio rei suæ, & actione priuetur, quæ ad forum interius non trahitur antequam exigatur, *cap.fraternitas in fine, & ibi glos. vlt. 12. q.2. cap.vlt. de præscrip.lib.6. Simanch.de Cathol.cap.9.ex num.29.Cou.de sponsal. p.2.cap.6.§.8.num.10.Victor.in relect. de Indis Insulanis ad fin. Sot.de Iustit.lib.1.q.6.art.6.*

9 Vtrum autem in interiori quoque foro à restitutione sit immunis qui turpiter datum, turpiter recepit? Qua in re variè reperiuntur Doctorum opiniones, quę tamen ad tres principales reducuntur. Prima est *S.Thom. 2.2. q.52. in corpore, & q.62. art.5.* quibus locis ait, quod si ab vtraque parte datio, & receptio fit turpis, itaut tam qui dedit turpiter agat dando, quàm qui recepit recipiendo, tunc nec recipiens possit retinere, quia contra iustitiam recepit, neq; danti debet restitui, quia contra legem, & illicitè dedit, sed pauperibus, Ecclesiæ, aut fisco; eandem sententiam probat *Paludan.in 4.dist.5.q.3. verbo tertia conclusio, Angel.in sum. verbo restitutio 2.§.4. Adrian.in 4. de restit.in §.restat ad fin.Caiet. verbo simonia exterior, Medin. de restitut.q.2.vers. causam turpem, Viguer.instit.cap.5. §.10. vers.10.Sot.de Iustit.lib.4.q.7. art.1.ad 2. arg.glos.pen.* receptæ in *reg. peccatum, de regulis Iuris lib.6. Host.in cap.cum sit, de Iudæ.* quæ ibidem defendit *Anton.in cap.quia pleriq; de immun. Eccles.Cou.in d.reg.peccatum p.2.§.2.num.7.* & hæc communis sententia eo solo nititur fundamento, quod is, qui turpiter recipit dominium æquitate naturali, & lege Ciuili repugnante

non

non acquirit, sicq; iniuste retinet, omnis autem qui iniuste accepit, aut retinet restituere tenetur, ergo & iste qui turpiter recepit, restitutio autem danti fieri non potest, quia dominio, & actione priuatur, ergo necessariò pauperibus, Ecclesiã, aut fisco restituere tenetur. Aliam opinionem huic communi contrariam probauit *Innoc. Card. & Abb. num.* 13. *in d. cap. quia plerique*, *Siluest.* post alios, quos citat *verbo restitutio* 4. *post princip.* asserunt enim data vtriusque turpitudine neq; danti, neq; pauperibus restitutionem faciendam esse ex pręcepto, sed ex consilio tantum, idq; multis rationibus confirmant. Tertiam opinionem ad concordiam pręd ictarum probat *Cou. d. num.* 7. distinguens an turpitudo vtriusque in eo versetur, quod materia vendibilis non sit, aut pretio ęstimabilis, prout contingit in dato, & recepto per simoniam, & in eo, quod datur Iudici, vt iustitiam faciat, aut non faciat, an vero turpitudo in eo solum consistat, quod dandi, & recipiendi causa sit illicita, materia tamen vendibilis, prout fit quando aliquis pretio condicitur ad delictum. Priori casu ait recipientem omnino teneri ad restituendum non danti, sed pauperibus, & ita procedit communis sententia de qua supra, posteriori autem casu nullo pacto teneatur ad restitutionem ex præcepto, sed ex consilio, & ita locum habeat contraria opinio *Innocent.* & sequacium. Sed hæc *Couar.* distinctio noua non est, sed multò antea à *S. Thom.* tradita *d. art.* 7 vbi *Caiet. in vers. aliter*, eam sic declarat, probauit etiam prius *Medina citato loco*, declarat *Sot. vbi supra*, consentit *Nauar. in man. cap.* 17. *num.* 32. *in fine*, & quamuis probabilis videatur multis confunditur argumentis; atq; ideo tenenda est *Innocentij* sententia, quam apertè probant *Iureconsulti*, & *Imperatores præcitatis legibus*, *ff. & C. de condict. ob turpem causam*, *d. reg. in pari*, & latius dicetur infra, interim vero præmitte aliquando aliter turpiter dari, & recipi non adimpleta ab altera parte turpi causa dandi, & recipiendi, aliquando vero impleta causa recipitur, & retinetur; si causa dandi turpiter adimpleta non est per recipientem, omni iure ipsi danti restituere tenetur, quia is, qui dedit non aliter dare vult quàm si

causa,

causa, aut conditio impleatur, nec aliter dominium à se abdicare, vt probat apertè *tex.* quem Doctores satis difficilem ibid. appellant, nec satis intelligunt in *l. vlt. ff. de condictione sine causa, cap. dilectus 28. de simon.* docet eleganter *Caietan. Siluest. & Medin. dictis locis*. Sin autem recipiens turpiter causam impleuit, tunc si datum turpiter, & receptum sit, nec danti, nec pauperibus ex pręcepto restitutio debetur quoniam ex vo. luntate domini retinetur, sed solum ex perfectione, & consilio, iuxta *tex. in d. cap. vlt.*

10 In hac materia latum est constituendum discrimen inter temporalia, & spiritualia recepta per simoniam, vt scilicet spiritualia semper sint in vtroque foro restituenda eo modo, quo restitui possunt, vt probant *cap. si quis Episcopus, cap. Sanctorum, cap. non est purganda, cap. nullus Episcopus 1. q. 1.* Ratio discriminis in hoc est quòd conferens spiritualia eorum dominium non habet, sed tantum dispensationem secundum Domini pręceptum, quo iubetur gratis dispensare, & is, qui recipit, gratis recipere, quod si pretium interueniat contra Domini præceptum accipienti dominium iustus titulus non tribuitur, *arg. l. diligenter, ff. mandati*, §. *is, qui, Instit. eod.* & perconsequens neq; recipiens inuito domino licitè retinebit. In temporalibus vero diuersa ratio est, quoniam qui dat, dominium habęt: illudq; potest ex quacunque causa etiam iniusta, vel sine causa à se abdicare *l. si quis vi*, §. *differentia, & ibi glos. vlt. & Doctores, ff. de acquir. possess. l. 1. & 2. ff. pro derelicto*, §. *per traditionem, &* §. *pen. Instit. de rerum diuis.* & circa hæc temporalia procedit distinctio de qua supra, quod si res temporalis, quę turpiter datur, aliena fuerit, domino restituetur, vt infra *corol.* 1. tractabitur.

11 Primò ex dictis infertur vera resolutio ad illam quæst. an temporalia per simoniam recepta nemine petente in foro interiori alicui debeant ex pręcepto restitui? de qua late *D. August. Barbosa in collect. ad cap. veniens 19. de simon. secundum nouiss. impress.* ex quo hæc quæ sequuntur, desumpsisse profitemur. Partem quæstionis affirmatiuam probat *S. Tho. 22. q. 52.*

in corpore, & *q. 62. art. 5.* & *q. 100. art. 6. ad* 1. *Palud. Anton. Adrian.* & omnes Theologi affirmantes data, & recepta turpiter restituenda esse, quos supra citaui, sed & illi, qui contra communem probant non esse restituenda ex præcepto ea, quæ dantur cum turpitudine vtriusque, fatentur nihilominus simoniace acquisita restituenda esse, sic enim placuit *Medin. de restit. q. 27. col. pen. Sot. de Iustit. lib. 9. q. 8. art. 1. in princ. Banes 2. 2. q. 32. art. 7. concl. 14. Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 59. Paul. Laymann. in Theolog. morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. num. 79.* Sed *Nau. in man. cap. 17. num. 32. in fine*, multis, & optimis argumentis à communi recedens simoniace acquisita agnoscit restituenda, id ipsum facit *Cou. in reg. peccatum p. 2. §. 2. nu. 7. Siluest. in sum. verbo simonia q. 7. vers. secundum*, quasi sibi contrarius, idem vult *glos.* & *Doctores in cap. de hoc*, & *in cap. veniens, de simon. Menoch. de arbitrar. casu 401. num. 22. Borgas. in tract. de irregular. tit. de simon. num. 91. Redoan. de simon. p. 1. cap. 3.* & *p. 4. cap. 8. Victor. p. 2. relect. de simon. num. 4. Philiarch. tom. 2. lib. 6. cap. 26.* quamuis enim circa personas, quibus restitutio fieri debeat, dissentiant, & circa ius an sit diuinum, an humanum, quo restitutio hæc præcipitur, vt apud omnes videre licet, omnes tamen conueniunt non posse absque peccato retineri.

12 Hæc pars nititur pluribus, & non leuibus argumentis. Primum illud est quod supra adduximus, quod recipiens iniustè pretium, hoc accipit, & retinet. Secundum is, qui pretium recipit pro re non vendibili, seu quę æstimationem non patitur, illud habet sine vlla causa, is autem qui sine causa habet, restituere tenetur ex toto *tit.* præsertim *ex l. vlt. ff. de condict. sine causa*. Tertium inter receptum per simoniam, & receptum ex vsura nullum videtur esse discrimen casu, quo is, qui vsuras soluit non necessitate compulsus, sed maioris lucri gratia id fecit, sed nemo ambigit receptum ex vsura esse restituendum indistinctè, ergo idem erit in simonia. Maior probatur ex eo, quia omnes tres mali circumstantiæ, quæ ex simonia recipiuntur, dantur etiam eo casu, quo per vsuram aliquid recipitur,

datur enim in primis turpitudo vtriusq; peccat enim qui absq; necessitate vsuras promittit, & recipiens, vt resoluunt *Docto-res in cap. debitores, de iureiur. & in cap. super eo per tex. ibi, de vsuris*. Secunda quemadmodum in simonia recipitur pretium pro re inæstimabili, sic etiam in vsura, quoniam pecuniæ vsus, qui à consumptione non distinguitur, vel fructus, qui ab ipsa pecunia non producuntur, sed ex industria proueniunt, æstimationem recipiunt, vt *Aristot.* ait *Politicor. lib. 1. cap. 6. S. Thom. 2.2. q. 78. art. 1. Sot. de Iustit. lib. 1. q. 1. art. 1. Cou. var. lib. 3. cap. 5. num. 1. Ioan. Bapt. Lup. de vsuris commento 1. §. 3. nu. 20.* Tandem quemadmodum præcepto Domini spiritualia gratis iubentur dari, *Matth. 10.* sic etiam mutuatio pecuniæ, *Luc. 6.* declarat *Pontifex in cap. consuluit, de vsuris*. Minor probatur ex *cap. 1. de iureiur. & ex cap. cum tu, de vsuris*, consequentia bona est. Quartò pro eadem sententia facit, quod vbi datur aliquid ob causam turpem, quę de Iure præstari non potest, quamuis ea causa de facto impleatur, nihilominus restituendum est ipsi danti, quia magis sine vlla causa quàm ob turpem causam datum censetur, vt probat *tex.* difficilis *in cap. et si necesse, de donat. inter virum, & vxor. & in l. 1. C. de condict. ob turpem causam*, obseruat post alios *Ias. ad d. l. vlt. num. 3. ff. de condict. sine causa*. Constat autem temporalia pro spiritualibus data dari ob causam, quę non potest habere effectum de Iure, ergo videtur restitutio danti faciẽda, vel saltem pauperibus. Quinto in fauorem pauperum illud adducitur, quod vbi dominus non est, cui fiat restitutio, facienda est pauperibus loci domini, quia tunc fit domino meliori modo, quo fieri potest in maximam eius spiritualem vtilitatem, vt docent *S. Thom. & Caiet. 2.2. q. 62. art. 5. ad 3. Siluest. in sum. verbo restitutio il 2. q. 2.* hic autem dominus non datur, qui ob suam turpitudinem dominium amittit, vt dictum est, ergo erit hoc pauperibus restituendum; auctoritates vero pro eadem sententia duę principaliter adducuntur, prima ex *cap. de hoc, de simon.* vbi restitutio iubetur Ecclesiæ fieri, aitq; *tex.* sine graui periculo salutis temporalia per simoniam recepta retineri non posse; posterior vero ex *cap.*

ve-

veniens, eodem tit. vbi reſtitutio fit ipſi danti.

13 Verum quamuis hęc ſententia ab omnibus recepta ſit, contraria autem Iuris principijs, & rationi magis conuenit, vt ex præcepto nõ debeatur reſtitutio nec danti, nec pauperibus, nec Eccleſiæ, vel fiſco in foro interiori antequam id exigatur, quæ res vt fiat apertior de ſingulis perſonis diſtinctè tractabitur. Et primò de reſtitutione quoad dantem, in quo agnoſcunt *S.Tho.* & cæteri Theologi, ac Canoniſtæ non eſſe reſtitutionem faciendam danti, neq; fieri poſſe ea ratione, quia propter ſuam turpitudinem id, quod dedit meretur amittere, ſicq; in pœnam criminis priuari putant à lege, vt ex ipſis colligi poteſt, & declarat *Sot.de Iuſtit.lib.4.q.7.art.1.ad 2.Cou.d.num.7.ad fin.* idq; probari putant ex *l.3.& l.ſi ob turpem, ff.de condict. ob turpem cauſam, l.cum ante, C.eodem, cum ſimilibus*, quibus denegatur repetitio cum vtriuſque verſatur turpitudo, iuncta *reg.l. in hæredem 5.in princ.ff.de calumniat.* qua cauetur turpia lucra à recipientibus, & eorum hæredibus extorqueri per fiſcum, quod etiam probat *l.Lucius, ff. de iure fiſci*. Sed allucinantur plane Doctores dum exiſtimant repetitionem denegari danti, vel reſtitutionem ei non fieri in foro Conſcientiæ, quia ob crimen dominio rei ſuæ in pœnam priuatur, ſiquidem quamuis à recipiente per fiſcum valeant auferri, vt infra dicetur, non inde ſequitur dantem in pœnam priuari, ſed quia cum dando dominium à ſe abdicauerit ſequuta cauſa naturali, & ciuili Iure, vt dictum eſt, & probat *tex.in d.§.per traditionem*, non competit illis repetitio, & hoc eſt quod Iureconſ. ex ratione naturali, & Iuris Ciuilis principijs reſponderunt præcitatis legibus *tit.de condict.ob turpem cauſam*.

14 Quoniam vero abſurdum videbatur turpiter datum apud turpiter recipientem remanere, cumq; ex ſua turpitudine commodum conſequi lege ciuili conſtitutum eſt, vt ab eo extorqueatur, vnde non eſt pœna dantis, ſed voluntas, vt hoc caſu eidem repetitio, & reſtitutio non concedatur; recipientis vero pœna eſt, vt ab eo auferatur. Verum licet aut in pœnam, vt male Doctores volunt, aut ex ſua voluntate ſecundum Ius na-

turale,& Ciuile dantem dominium amittere affirmemus, semper illud sequitur restitutionem in foro Conscientiæ ei non deberi, qui turpiter dedit, neq; argumenta in contrarium nos mouent. Ad primum enim quod recipienti dominium non acquiritur, ergo danti restitui debet, negatur consequentia, potest enim contingere vt is, qui dat, dominium, & possessionem perdat, alteri tamen non acquiratur, vt patet in his, quæ pro derelicto habentur ex *l. 1. & 2. ff. pro derelicto, l. 1. §. si vir vxori, ff. de acquir. possess.* & bene aduertit *Nauar. vbi supra*, potest etiam recte defendi dominium saltem naturale in accipientem transferri ex voluntate dantis, & traditione habetur, priusq; voluit natura, & ordine à se abdicare, deinde in accipientem transferri, ideoq; non abs re erit vt dominium recipiens acquirat eius rei, quæ alium dominum tunc non habet.
15 Quod enim ait *l. nunquam nuda, ff. de acquirend. rerum dom.* ita accipiendum est si voluntas domini non appareat potentis, & volentis in alium transferre, aut à se abdicare, est enim turpitudo causa remota acquisitionis proxima, aut immediata domini voluntas cum traditione. Comprobatur hoc auctori-
16 tate *glos. in cap. si quis naturam 14. q. 4.* dum ait concedi posse in simoniacum, & vsurarium dominium transferri ea ratione, qui ex domini voluntate habent, quod etiam in vsurario probat *Scot. in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. Palud. ibidem num. 1. Adrian.* & alij plures, quos refert *Lup. d. tract. de vsuris commento 4. n. 57.* & licet *S. Thom.* cum pluribus Theologis, quos refert, & sequitur *Sot. de Iust. lib. 6. q. 1. art. 4. col. 3.* negent in vsurarium transferri dominium, & eam magis communem sententiam affirmet *Sot.* ex eorum tamen fundamentis colligitur in simoniacum, & alios, qui turpiter datum turpiter recipiunt, transire, nolunt enim ideo vsurarium dominium non esse, nec effici, quia dominus dare noluit, sicq, agnoscunt quod licet turpis sit accipiendi causa si appareat dantem voluisse dominium transferre, plane transibit, quo pacto nostram opinionem confirmãt, ex qua sequitur resolutio primi argumenti, quod etiam ex eo refellitur quia non sequitur, accipiens, seu retinens non est do-

minus,

minus, ergo tenetur in Conſcientia reſtituere, vt patet in his, quæ retinēt bona, quorum dominio ipſo iure ſunt priuati, iuxta *tex. in cap. vlt. de præſcript. lib. 6. iunƈto cap. cum ſecundum, de*
17 *hæret. eod. lib.* Ad ſecūdum vero argumētum quod ſimoniacus pretium accipit pro re inuendibili, ſeu inæſtimabili, reſpondetur ſpiritualia ob ſuam excellentiam pretio non poſſe æſtimari, aut vendi, tamen opinione, & voluntate paciſcentium illa ab vtraque parte pretio æſtimari, ideoq; ex natura conuentionis, & voluntate contrahentium pretium accipientis fit, vel ſaltem à dominio dantis abdicatur, & idem dicendum foret de rebus ob pretium datis, ſi ab eo darentur, qui earum liberum habuiſſet dominium. Deinde reſpondetur argumentum parum concludere, licet enim recipiens ſine cauſa habeat, non inde ſequitur reſtituendum eſſe danti, qui iam dominus non eſt, vt omnes agnoſcunt. Ad tertium argumentum ſumptum ex ſimilitudine vſurarum reſpondetur primò nullum eſſe conueniens ſi fateamur non eſſe faciendam reſtitutionem danti caſu, quo præſtando vſuras, turpitudinem commiſit, procedit enim *reg. l. 3. C. de condiƈt. ob turpem, tex. vero in cap. 1. de iureiur. & in*
18 *cap. cum tu, de vſuris*, & illa veriſsima concluſio, quæ habet receptum per vſuras eſſe de neceſſitate ſalutis reſtituendum danti, locum habet quando is, qui dedit, in dando turpitudinem non commiſit. Deinde reſpondetur etiam iſto caſu non apparere voluntatem dantis, vt voluerit dominium, & à ſe abſolutè abdicare. Ad quartū reſpondetur diſtinguendo maiorem, aut enim is, qui dedit, ſciebat, vel ſcire tenebatur cauſam illam non poſſe de Iure præſtari, & tunc ſi de facto impleatur non habet repetionem, nec ei reſtituitur, quia videtur dediſſe ob cauſam de facto adimplendam, vt in terminis huius corol. contingit, aut neſciebat, & tunc repetitionem, & reſtitutionem habet, & hoc caſu concludit argumentum, quod ita declarant *gloſ. Bart. Iaſ. & communiter ſcribentes in l. vlt. ff. de condiƈt. ſine cauſa*. Nec refragatur ille *tex.* quoniam ibi cauſa de facto impleta fuit, vt conſtat ex illo verbo, *neque nupſit*. Deinde expendenda eſt Iureconſulti ratio, ibi, *non ſtupri, ſed*

matrimonij causa, qua significat non ob turpem, sed honestam causam fuisse datum, quę si non potest existere sine causa datum censetur, vt Iureconsultus ait.

19 Neque etiam his obstat tex. in *d. cap. & si necesse, de donat. inter virum & vxor.* quo probari videtur datum cum turpitudine vtriusque restituendum esse danti, respondet enim *glos. verbo restitui* ibidem quatuor modis, inter quos duo communiter recipiuntur, prior intelligēdi modus est quod in specie illius tex. Reges contrahentes non habebant superiorem, cuius fisco bona data propter incęstas nuptias applicarentur ex *l. qui contra C. de incest. nupt.* & ideo restituuntur danti ne apud recipientem cum turpitudine maneant. Quibus adde, quod si in specie illius *tex.* bona fuissent deferenda fisco, pertinebant plane ad Regem dantem, in cuius territorio sita erant, sicque vel deficiente fisco, vt Doctores volunt, vel quia ad fiscum ipsius dantis pertinebant, restituuntur, commendat hanc *glos.* solutionem *Abb. ibidem nu. 8. Card. & Anch. num. 6. Præpos. col. pen.* Secundus intellectus est in eo tex. propter ignorantiam consanguinitatis dantem excusari à pęna, resoluit receptum *Ias. d. l. vlt. Præpos. vbi supra*; Aliter intelligit *Hostien.* aliter *Butr.* aliter vero alij, quos referunt præcitati, sed omnes Doctorum responsiones rationibus in eo tex. adductis non conueniunt, neque difficultatem tollunt. Quare dicendum est in eo tex. duo restitutioni obstare, alterum vero quod in pari causa turpitudinis melior esse debuerat possidentis puellę conditio saltem in foro exteriori, de quo ibi agebatur. Prima difficultas plane tollitur ex eo quia fiscus non erat, cui adiudicarentur, vel erat ipse, qui dedit, vt dictum est, tollitur etiam ex eo quia nemo ius fisci allegabat, & iterum dum fiscus non petit, non poterant bona illi adiudicari, vt Doctores citatis locis agnoscunt, vnde immerito in eo tex. adducitur in controuersiam pęna fisci. Posterior vero difficultas, quę longè grauior est à Doctoribus non resoluitur, vnde dic Summum Pontificem controuersiam definijsse ex sententia Iureconsulti in *d. l. vlt.* eademque vti ratione, scilicet castra ibi non

tam

tam ob turpe, quàm ob nullam cauſam fuiſſe data, ideſt propter Matrimonium, ſine quo nec dos, nec donatio propter nuptias exiſtit, quibus ſemper ineſt Matrimonij futuri conditio *l. 2. l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* Quæ res vt fiat apertior conſiderari oportet in eo tex. & in *d.l. vlt.* donationem non fuiſſe factam propter ſtuprum, ſed cauſa Matrimonij, quæ de ſe honeſta eſt, & ſi aut legis, aut hominis impedimento, aut caſu effectum non habeat, ſine cauſa apud recipientem datum reperitur, & ideo repetitur. Nec obſtat ſi quis dixerit in ſpecie illius tex. propter inceſtum, aut ſtuprum potius datum cenſeri, quia cum contrahentes impedimentum ſciuerint, vt ex tex. colligitur, quamuis cauſam Matrimonij expreſſerint, ad Matrimonium inceſtuoſum de facto videntur conditionem adhibuiſſe; reſpondetur enim quod licet Matrimonij cauſa à conſanguineis ſcienter exprimatur, cum ſecundum verbi ſignificationem & præſumptionem Iuris ad excludendum delictum de Matrimonio legitimo debeamus intelligere; videntur contrahentes legitimum Matrimonium ex Principis diſpenſatione meliori modo velle, vel ſaltem impoſſibilem conditionem non turpem exprimere, vel cauſam, quā impoſſibilis cōditio oſtendit, noluiſſe dare ex *l. non ſolum ff. de actionib.* idque declarat Iureconſultus, & Pontifex dictis locis, ibi, *non tam ob turpem quam ob nullam*: ſcilicet Iure impoſſibilem; & huc pertinet ratio rationis à Iurecōſulto adducta, ibi, *non tam ſtupri &c.* quod ſi poſtea de facto incæſtas nuptias contraxerint, & conſumauerint, vt in *d. cap. etſi neceſſe*, non eſt ſatisfactum cauſæ dandi, quæ legitimas deſiderabat nuptias: ſic etiam optime defenditur, quod etiamſi in *d. l. vlt.* Matrimonium de facto ſequutum fuiſſet, daretur repetitio ex prædicta ratione, quam Iureconſultus adducit, quo pacto præcitata Iura noſtrum corol. non offendunt.

20 Nec etiam obſtat *d. cap. veniens, de ſimon.* quia reſpondet *gloſ. pen. in d. cap. de hoc*, & Doctores omnes vtrobique, pecuniam ideo ibi reſtitui dāti non vt apud eum maneat, ſed vt cum ea pecunia ad alium Monaſterium tranſeat, ne ei oneroſus ſit,

quam

quam solutionem cum cõmuni probat *Cou. vbi supra nu. 8.* Sed est contra expressa verba tex. constat enim ex vltimis illius verbis non ex præcepto, sed tãtum ex consilio admonere eum, qui pecuniã dedit, vt aliud monasteriũ ingrediatur, vnde cum præcise ei restituenda sit pecunia, etiamsi nõ teneatur in alio monasterio non profiteri, sequitur extra monasterium posse pecuniã retinere, sicque Doctorum intellectus, & ratio concludunt. Quare verius est, quod idem *Couar. d. num.* 8. respondet in eo tex. potuisse dari probabilem errorem eius, qui pecuniam dedit, aut propter prauam consuetudinem monasterij petentis, aut propter religionem, & auctoritatem petentium, excusari enim potest qui id agit, quod à plerisque doctis, & Religiosis probatur, prȩsertim eo casu, quo illa pecunia non quasi pretium Religionis, sed quasi sustentationis auxilium peti potuit, & dari, vnde bene Summus Pont. iubet vt illi restituatur, quia turpitudine potest excusari, & illi reddant, qui excusationem non habent.

21 Quod vero attinet ad pauperes verius nobis videtur non debere eis ob casum restitutionẽ ex prȩcepto iustitiæ, primo quia non potest probabilis differentiȩ ratio inter recepta per Simoniam, vel ex alia turpi causa, in qua Doctores omnes fatentur restitutionem ex præcepto non deberi pauperibus, vt constat ex his, quæ scribit *Nauar. in man. c. 17. num. 35.* Secundo quia si hoc ad Ecclesiam pertinet, vt frequentius Doctores volunt in d. *c. de hoc*, non potest dari pauperibus. Tertiò quia fiscus si ad eius notitiam aliqua recipientis & dantis turpitudo proueniat extorquebit, ex *d. l. in hæredem ff. de calumn.* ergo non potest ea restitutio ex prȩcepto pauperibus deberi, quæ petenti fisco facienda est necessariò ne bis idem exigatur contra *reg. bona fides ff. de reg. Iuris* Quartò vrgent pro hac parte illa, quȩ ex grauissimis Auctoribus adducit *Nauar. vbi supra num. 30.* quibus nec ipse, nec alius satisfacit, vt ex Doctorum varietate, & in plerisque repugnantia eorum sententia confunditur. Tandem nostram sententiam probat expressa auctoritas *Augustini in d. cap. vlt. §. fin.* 14. *q.* 5. quo loco egens de his, qui iudicium

cium, & teſtimonium vendunt, & vt S. Thom. ait, & omnes Theologi, & Doctores ſupra citati fatentur, eo caſu turpiter datur, & recipitur pretium pro re inuendibili, & per omnia comparatur pecunia recepta, pro teſtimonio, aut iudicio pecuniæ per ſimoniam comparatæ, vt etiam Doctores omnes volunt, nihilominus tamen ait *Auguſtinus* hæc facilius tanquam ſua largiuntur, quę verba translatum ex voluntate dantis dominium indicant, & pauperibus liberaliter ex conſilio non ex præcepto diſtribuenda, idque magis confirmatur ex vltimis verbis tex. vbi agens de alijs turpiter receptis ſine voluntate dantis inquit reddenda potius quàm donanda, ſic ſentiens ea, quæ à volentibus quantumuis turpiter recipiũtur, donanda eſſe pauperibus ex conſilio, quia donatio neceſſitatem non habet, *l. 1. ff. de donation. l. donari ff. de regul. Iuris*, & eleemoſyna in præcepto non eſt extra neceſsitatem *cap. paſce 86. diſt.* & Theologi *in 4. diſtin.* 15. *Couar. var. lib. 3. cap. 14. num. 5.* Et qui hanc noſtram ſententiam probauerit, contraria argumenta facile ex ſequentibus refutabit. Ad primum enim, quod omnes Doctores mouent in cõtrarium, dum aiunt receptum per ſimoniam neque reſtituendum eſſe danti propter ſuam turpitudinem, neque à recipiente retineri poſſe ob eandem culpam, ergo alicui reſtituendum, nulli autem commodius quàm pauperibus, igitur illis reſtituendum. Reſpondetur primò conſequentiam parum efficaciter ex ipſis deduci, licet enim fateremur recipientem non poſſe retinere, non inde ſequitur pauperibus deberi, quibus nec ex voluntate dantis, nec lege aliqua bona hæc applicantur. Preterea reſpondetur quod ſi vera eſſent premiſſa ſcilicet recipientem iniuſtè retinere, illud demum ſequebatur eſſe per leges his bonis ſpoliandum, ſicut priuatur is, qui dedit ex Doctorum ſententia, ſed cum hoc pœna ſit, antequam petatur in foro conſcientię non debetur, vt ſupra dictum eſt. Tandem refellitur omnino argumentum negando turpiter accipientem ſi cauſam impleuit, & ex domini voluntate habet, iniuſte retinere, nec enim ſequitur turpiter accipit, ergo turpiter retinet & contra iuſti-

tiam, vt contingit in eo, qui à principio contra domini voluntatem accepit, & postea ex voluntate ipsius aut iure hæreditario, aut pro derelicto incipit habere. Ad vltimum vero quod Doctores cõficiebant ab illis rebus, quarum dominus ignoratur, respondemus quod res illæ dominum quidem habent, cui necessariò restitui debent omni meliori modo, quod si propter impedimentum ignorantiæ, vel aliud nequeant eidem domino temporaliter restitui, restituuntur spiritualiter per eleemosynas pauperum, vt S.Thom. & Theologi, vt supra aiunt, at res turpiter data dominum iam non habet, cui vel temporaliter, vel spiritualiter debeant restitui, atque ideo cessat præceptum restituendi pauperibus, nam cum ex præcepto ipsis aliquid restituitur non ipsis restitutio fit à quibus nihil subtractum est, sed domino per pauperum eleemosynas, vnde in proposito ratio hæc & argumentum Doctorum deficit.

22 Nec denique obstat tex. *in cap. cum sit, de iudic.* respondet enim *glos.vlt.* ibi restitutionẽ in eo casu fieri pauperibus, quia ignorabantur domini, quibus illa pecunia fuerat extorta & eundem intellectum vltra Doctores ibidem, probat *Siluest.in sum.verbo restitutio 4.& 8.* Pro quo facit quia personæ, à quibus pecunia fuit recepta, erant variç, & quotidie ac sæpius à varijs recipiebatur, prout constitui potest accommodatum exemplum cum frumentum pluribus vltra taxatum pretium, aut iustum venditur. Sed licet hic intellectus verus sit in se, non tamen *d.cap.cum sit* videtur adaptari, quia ibi pecunia non fuit vltra debitum extorta, quoniam quilibet officium illud administrans poterat exigere, quo casu nihil respectu dãtium iniustum videtur retineri, quod debeat in eorum vtilitatem dari pauperibus. Vnde melius *Ioan.Andr.* ibid. quem sequitur, & defendit *Abb. & Butr. num. 9. Anan.num.8. Felin. ad fin.* quos refert nouissimè *Augustin. Barbos. in collect. ad eund.tex.* secundum nouam impressionem, ait in eo non ideo fieri restitutionem pauperibus, quia ignorabatur dominus, nam etsi compertus fuisset idem foret respondẽdum, sed ideo

quia lex in pœnam recipientis effectus contra prohibentem præcipit vt restituat quicquid recepit per Episcopum pauperibus erogandum, sicque ea restitutio habet rationem pœnę, & ad forum exterius solum pertinet; idque magis confirmatur ex eo, quia recipiens qui restituere iubetur, infidelis erat, & ideo agi non poterat de restitutione ipsius in foro Conscientiæ, sed de pœna in foro exteriori, sicut etiam agitur in c. seq. Quo intellectu retēto tex. ille nostrum corol. non offendit, nec probat vulgarem conclusionem *Host.* & aliorum ibidem dum aiunt distributionem eorum, quorum dominus ignoratur vel quæ illicite acquiruntur, esse Episcopis in foro Conscientiæ reseruatam, agit enim tex. ille in casu particulari, & in foro exteriori tantum, vt dicendum est, & ex multis auctoritatibus à sententia *Hostien.* recedit *Felin.* vbi supra.

23 Quod non debeat Ecclesiæ fieri restitutio ex præcepto eisdem argumentis concluditur, quibus duobus casibus præcedentibus vsi sumus. Confirmatur etiam ex eo quia restitutio id præstare debet quod læsio abstulit ex *l. quod si minor* §. *restitutio ff. de minor.* Et tunc in præcepto est cum aliquid ex lege iustitię vere debetur, & ei, cui damnum datum est, iux. reg. traditam à *S. Antonin. par. 2. tit. 2. §. 2. cap. 2. Siluest. verbo restitutio il 1.* & alijs citatis à *Nauar. in man. cap. 17. nu. 12.* constat autem in pretio spiritualium dando Ecclesiam non fuisse læsam aliqua re, quę per illud pretium resarciatur constat etiam eum, qui recipit lege iustitię, nō esse debitorem Ecclesiæ pretij accepti, igitur &c. Pręterea si restitutio hæc in foro exteriori Ecclesiæ deberetur, esset propter iniuriam eidem illatam, *glos. vlt.* & omnes Doctores *in d. cap. si quis in atrio 17. q. 4. cap. 2. de pœnis, cap. olim, de iniur.* At satisfactio iniuriæ ita debetur ex lege iustitiæ in foro interiori, vt illud damnum resarciat quod per iniuriam illatum est, vt constat ex *cap. 3. cum seqq. de iniur.* & ex his, quæ scribit *Sot. de Iustit. lib. 4. q. 6. art. 3. & 4.* Quod vero citra æqualem dāni dati per iniuriam soluitur, restitutionis rationem non habet, sed pœnæ, quę in foro Conscientię non debetur, nisi peta-

Y 2 tur,

tur; Igitur cum per pretij dationem damnum æquiualens pecunia æstimabile Ecclesiæ datum non sit, sequitur restitutionem pretij ex lege iustitiæ ei non deberi; quod si dixeris lęsam esse Ecclesiam in eo quod indignus Prælatus turpiter eidem pręficiatur, qui ab ipsa remoueri oportet; respondetur ex hoc solum sequi quod is, qui sic pręficitur, tenetur beneficium dimittere ei, qui in eo crimine est cooperatus curare vt ijs dimittat. Neque suę sentētiæ obstat tex. *in d.cap.de hos*
24 *de simonia*, cuius auctoritate Doctores omnes mouentur, nam reiecta distinctione *glos. vlt.* ibidem, quæ communiter recipitur, & aliorum, qui arbitrantur in eo tex. pœnam contineri contra ipsius verba vltima, quę habent sine periculo suæ salutis retineri non posse, & alia interpretatione, quam probat *Nauar.d.loc.num.32*. dicendum est in eo tex. Episcopum ante electionem nonnullis beneficia promisisse, alijs bona temporalia, quæ post confirmationem pręstitit ex bonis Ecclesię, vt ex tex. constat. Quo supposito dicendum, ideo ibidem restitutionem temporalium in foro Conscientię Ecclesiæ deberi, quia in bonis ipsius Ecclesiæ erant, neque potuit Episcopus, qui nec dominus erat, nec legitimus dispensator, ea bona sic dare, idque magis cōfirmatur ex eo quod illa bona Principibus data non fuerunt in pecunia numerata, & si fuissent non ideo in pretium spiritualium dari potuerunt.
25 Quamuis enim Episcopus secundum sententiam S. Tho. suorum reddituum sit dominus dum viuit, vt probat *Sot.de Iust.lib.10. q.3.art.3.Sarmien.de redditib.p.4.art.2.Marsil.in simili tract.p.3.num.37.* nihilominus in eo casu fuisset pecunia restituenda Ecclesię quia Episcopus propter realem simoniam neque dominus, neque dispensator erat, & per consequens pecunia Ecclesiæ contra domini voluntatem dari non potuit, & hac ratione Ecclesię restituitur.
26 Vnde limitanda veniunt supradicta vt non procedāt quando quis pro spiritualibus aliena bona tēporalia dedit absque domini consensu, nam tunc vero domino restitutio fit. Neque prædictis multum aduersatur auctoritas *S. Thom.* præcitatis

tatis locis, & 2. 2. *q. 100. art. 6. ad 4.* quem alij Theologi sequuntur, dum ait restituendam esse pecuniam Ecclesiæ in cuius iniuriam data fuit, potest enim commode intelligi de restitutione facienda postquam in foro exteriori petita fuerit, vt colligitur ex illis verbis, *in cuius iniuriam*, quæ magis indicant pœnam fori exterioris, quàm veram restitutionem debiti in foro Conscientiæ, voluit enim Ecclesia in nonnullis casibus bona temporalia per simoniam acquisita aliquando in simplum, aliquando in duplum applicare Ecclesiæ iniuriam passæ, vt factum est in *cap. audiuimus, de simon.* quod intelligere oportet de pœna fori exterioris.

27 Hinc etiam ex dictis constat restitutionē in foro Conscientiæ non deberi fisco ante exactionem, quamuis enim aliquando fiscus veluti creditor sit, cui etiam in Conscientia bona debentur, vt colligitur ex *l. 1. ff. de iure fisci*, tamen quando ex bonis alienis propter culpam aliquid applicatur fisco, semper in pœnam criminis applicatum censetur, vt etiam colligitur ex *d. l. 1.* & in specie probant *tex. in l. in hæredem ff. de calumniat.* Cōstat pœnam, quę fisco applicatur, ante exactionem non deberi ex sententia *glos. in cap. fraternitas 12. q. 2.* quam probant Doctores omnes ibid. *Cou. de sponsalib. par. 2. cap. 6. §. 8. num. 10. Simanch. de cathol. institut. cap. 9. nu. 31. S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. Sot. de Iustit. lib. 4. q. 6. art. 4.* quod procedit etiam in pœna, quę ipso iure applicatur fisco vt per *Siluest. in verbo pœna q. 25. Adrian. Maior, Caiet.* & alij Theologi, quos refert, & sequitur *Nauar. in man. cap. 2. nu. 66. Simanch. vbi sup. nu. 62.* sequitur ergo temporalia acquisita per simoniam non esse restituenda fisco antequā exigantur, quod etiam suadetur ex *cap. vlt. de præscript. lib. 6.* In foro tamen exteriori dubium non est posse bona hæc à fisco auferri ex *reg. d. l. in hæredē*, & licet Doctores cōmuniter velint restituendum fisco Ecclesię, cui fit iniuria ex *d. cap. de hoc*, & ex *d. cap. audiuimus*, non recte indistincte docent, quoniam Iura illa id non probant, & si laici fuerint qui dant, & recipiunt nulla ratione bona hæc ad fiscum Ecclesiæ pertinere possunt, sed ad secula-

secularem, vt probat *tex. in cap. cum secundum leges, de hæret. lib. 6.* Si autem fuerint clerici probari potest ad fiscum Ecclesię pertinere iuxta *tex. in cap. excommunicauimus* §. *1. de hæret. lib. 6.* & ea quæ late scribit *Felin. in cap. irrefragabili* §. *cæterum num.* 11. *de offic. Ordin.* post *glos.* receptam *in cap. quia diuersitatem, de conceß. præben.* Doctores in *Clem. nolentes, de hæret. Hieron. Paul. in practic. Cancel. num.* 132.

28 Ex quibus omnibus colligitur non bene dixisse *Sot. de Iustit. lib. 9. q. 8. art. 1. col. 6. vers. de simonia*, dum ait pretium receptum per simoniam ante condemnationem in foro Conscientiæ restituendum esse danti sicut in vsurario receptum & verum est, post condemnationem autem Ecclesiæ pauperibus, vel fisco pro arbitrio iudicantis, quod etiam fieri posse voluit *Adrian. & Medin.* quos refert *Cou. d. num. 7.* loquitur enim *Sot.* contra manifesta Iura de quibus supra & contra *S. Thom.* & omnes Doctores dictis locis. Vnde cauendum quoque est à *Cou. d. num. 7.* in fine dum aduersus expressa Iura, & ea, quæ supra diximus asserit non sequuta causa turpitudinis priuari dantem dominio rei suę, & ideo non esse restituendum eidem, quod est contra *tex. in d. l. vlt. ff. de condict. sine causa*, secundum receptum intellectum, & contra *cap. dilectus il 1. de simon.* & contra ea, quæ scribit *Caiet. in sum. verbo simonia exterior.*

29 Secundo infertur beneficia, & alia eiusdem rationis spiritualia, quę natura sua restituibilia sunt, per simoniam comparata absque vllo dubio dimittenda esse in foro Conscientię. Diximus supra spiritualia per simoniam accepta restituenda esse eo modo, quo restitui possunt, sed beneficia & spiritualia similia per dimissionem commode restituuntur, igitur in
30 foro Conscientiæ necessariò dimitti debent. Accedit quod is, qui rem alienam detinet contra domini voluntatem tenetur restituere *cap. si res aliena 14. q. 6.* is autem qui per simoniam spiritualia obtinuit contra domini voluntatem detinet, qui gratis dispensare iubet dignis ministris spiritualia ministeria *Math. cap.* 10. igitur restituere tenetur; quo argumento hoc
corolar.

corolar. probat Pontifex in *cap.* 1. & in *cap. gratiam* 1. *q.* 1. probat etiam *cap. si quis Episcopus*, *cap. si quis neque*, ead. causa & *quæst. cap. si quis dator* 1. *q.* 3. *cap. in tantũ*, *cap. Mathæus cap. ex insinuatione*, *cap. sicut*, *cap. consideret*, *de simon.* docent *S. Thom. & Theologi omnes in* 4. *distin.* 15. *quæst. vlt.* idem *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. *ad* 3. *Medin. de rebus restituen. quæst.* 27. *Sot. de Iustit. lib.* 9. *quæst.* 8. *art.* 1. *per tot. Siluest. in sum. verbo simonia quæst.* 20. *Nau. in man. cap.* 23. *num.* 111.

31 Magna est tamen inter Doctores dissentio vtrum spiritualia hæc per simoniam recepta Iure diuino restituenda sint, an iure humano tantum? In qua *S. Thom. d. art.* 6. videtur sentire ex pręcepto diuino restitutionem hanc esse faciendã quatenus ex illo præcepto domini gratis accepistis gratis date, infert recipientẽ restitutioni esse obnoxium, & rursus ait restitutionem non esse solum pœnam legis, sed defectũ acquisitionis iniustę, eãdem sententiam probant alij Theologi, quos refert *Sot. vbi supra in resp. ad* 6. *vers. porro*, licet fateatur quęstionem hanc non esse ab aliquo examinatam, idem etiam sentit *Nauar. d.*

32 *nu.* 111. Adducitur pro hac sententia illud argumentum quod Pręlati, qui dispensatores sunt, si creditam sibi dispensationem excedentes contra Christi Domini mandatum spiritualia ministeria vendant, quæ gratis iubent dare, non possunt eos dominos efficere qui recipiunt, vt supra dictum est, Pro eadem sententia videtur auctoritas *S. Gregorij in d. cap. si quis dator, in fine* 1. *q.* 3. dum ait, rationis vigore cogitur quòd iniuste recipit restituere, ergo naturali ratione potius quàm lege humana hæc restitutio debetur. Facit etiam *cap. si quis neque* 1. *q.* 1. ibi, *non sponte reliquerit*, *cap. Mathæus in fine*

33 *de simon.* quatenus probat in foro Conscientiæ restituendam & dimittendam esse hęreditatem per simoniam acquisitam, quod non fieret si lege humana tantum in pœnam criminis ea restitutio præciperetur.

34 Verum contrariam sententiam quod restitutio hęc non debeatur ex diuino præcepto, sed ex constitutione legis humanę,

quæ

quę omnem simoniacam prouisionem irritauit. Probauit in specie *Paludan. d.distin.15. q. 5. nu.9. vers. ad argumentum, Siluest. verbo simonia q. 20. Sot. d. art. 1. vers. dixerim, Bonacin, de simon. q. 7. puncto 3. diffic. 2. & num. 1.* in eandem sententiam videntur esse *Abb. & Anton. in cap. quod in dubijs de renunciat. & in cap. vlt. de simon. Borgas. de irregul. tit. de simon. num. 74. Menoch. de arbitrar. cent. 5. casu 401. ex num. 21.* quatenus hanc constitutionem inter pœnas humanarum legum referunt. Pro qua sententia primo facit, quia si restitutio hęc ex lege naturali deberetur, aut diuina positiua, secundum quam titulus acquisitionis non valeret, non possent Summi Pontifices dispensatione sua efficere, vt retinerētur spiritualia per simoniam acquisita ex *reg. cap. cum inferior, de maiorit. cap. cum ad monasterium in fine, de stat. monach.* Constat autem, & in confesso est apud omnes, dispensatione Summi Pont. hoc fieri posse, vt infra probabitur, ergo restituo hæc & nullitas tituli non prouenit ex præcepto diuinæ legis. Secundò pro eadem parte videntur expresse Pontificiæ auctoritates, quibus hoc legibus humanis in pœnam criminis constitutum significatur *cap. si quis Episcopus 1. q. 1.* ibi, *si alienus à dignitate*, quæ verba cum imperatiui modi sint, indicant præceptum illud esse humanum, eadem reperiuntur in *cap. Sanctorum 1. q. 1.* ibi, *acquisita prorsus careat dignitate*, apertior *tex. in cap. ea, quæ 1. q. 3.* ibi, *nos irritum esse, & nonnullas vires habere censemus*, iuncto principio eiusdem *tex.* vbi hoc Sanctorum Patrum constitutionibus refertur. Tandem est *tex. in Extrauag. 2. de simon. inter commun.* ex quibus vltra prædictos hanc partem tenent *Caiet. in sum. verb. simonia ad fin. Viguer. de instit. cap. 5. §. 6. vers. qui in fine*.

35 Ego tamen vt hæc controuersia commodius explicetur aduertendū duxi quemadmodū inter humana pręcepta nonnulla reperiuntur, quæ actum contra gestū irritum faciunt, vt in *l. non dubium C. de legib. & in reg. quæ contra de reg. Iuris lib. 6.* alia verò quę licet fieri prohibeant, non tamen irritant,

cap.

cap. ex parte de Regularib. cap. 1. & 2. de matrim. contracto contra interd. Eccles. cap. cum inhibitio, de clandest. despons. Sic etiam in naturalibus, & diuinis præceptis Domini est, vt quędam actum contra gestum omnino vitient, quædam vero fieri non debere concludant, non tamen factum nullum esse; poterunt autem eodem modo præcepta diuina irritantia, & prohibentia tantum distingui, quo distinguuntur humana, vt scilicet si prohibitio diuinæ legis aliquid essentiale, seu causas efficientes vitiet, actus non valeat, sin autem accidentia tantum, vel circumstantiam aliquam offendat, tunc peccabit quidem, qui contra legem fecerit, actus tamen valebit; cuius rei illa ratio est quia defectus in causis essentialibus necessariò concludit nullitatem actus, defectus vero in accidentalibus non ita, quia vbi essentialia omnia reperiuntur, necesse est vt actus existat, vt patet in eo, qui alligatus voto simplici matrimonium contraxit, qui rem alij promissam, alij dedit, vt colligitur ex *S. Thom.* & alijs Theologis in 4.*dist.* 34. vbi *Sot. q. vnica art.1.* latius declarant idem *dist.38. q.2.art. 1. Specul.coniug.p.1.art.28.*

36 Præterea illud obseruandum duxi obligationem restituendi esse ex defectu acquisitionis, quando titulus naturali, aut humano Iure non valet, naturali Iure cum aliquod deficit ad essentiam actus pertinens, humano vero cum simpliciter prohibet, aut ratione aliqua irritat, vt dictum est: erit autem pœna solum quando acquisitionis titulus valet, lex tamen ob culpam priuat acquisitis, vt in his, quæ dantur turpiter, & recipiuntur, dictum est corol. proximo. Inter has vero restituendi rationes illud discrimen versatur, quod prior in foro interiori nemine petente obstringit, quia res aliena absque vllo titulo inuito domino retinetur, posterior vero ad forum exterius pertinet principaliter, neque prius in Cōscientia obligat quàm id fuerit exactum, colliguntur hæc ex doctrina *Sancti Thomæ* ab omnibus recepta dictis locis.

37 Denique illud oportet obseruare duobus modis posse legem diuinam ad aliquid dandum, aut faciendum obligare, scili-

cet aut facta alicuius humanæ legis ſuppoſitione, prout eſt illa quæ ſuperioribus iubet obedire, quæ non ligat niſi ſuppoſito humano præcepto, & in his etiam dicimus quæ per Eccleſiam ſpiritualia conſtituuntur, in quibus contra legem diuinam ſimonia committitur: aliquando autem abſque vlla ſuppoſitione, vt fit in omnibus concluſionibus, & præceptis, quæ à primis principijs Iuris naturalis dilucide & immediate colliguntur, & aliquid per ſe conſtituunt in genere virtutis, aut vitij contra ea, quæ ſcribit *Sot. de Iuſtit. lib. 1. q. 5. art. 2.* ſiue autem per ſe, ſiue aliquo præcepto humano ſuppoſito lex diuina obliget, eandem neceſſitatem imponit in foro interiori.

38 Quibus præhabitis in hac quæſtione reſoluendum mihi videtur reſtitutionem hanc beneficiorum, & ſimilium ſpiritualium habere quidem fundamentum in lege diuina, quæ prohibet hæc pretio dari, aut æſtimari, obligationem tamen reſtituendi non prouenire immediatè à præcepto diuino, ſed humano. Probatur hoc ex dictis manifeſte, diximus enim legem diuinam titulum acquiſitionis non caſſare quoties in eſſentialibus non reſiſtit, quamuis in accidentalibus offendatur, conſtat autem in acquiſitione per ſimoniam omnia eſſentialia ſecundum legem naturalem reperiri, ſiquidem diſpenſatur ſpirituale ab eo, qui poteſtatem habet, & illi, qui ſecundum eandem legem diuinam habilis eſt, quia impedimentum nullum habet diuinæ legis, dari autem pretio id, quod gratis eſt dandum ad eſſentiam acquiſitionis non pertinet, nec impotentiam abſolutam dantis, & recipientis arguit, ſed tantum peccatum in modo, qui accidentalis eſt, igitur acquiſitionis titulus lege diuina valet, ac per conſequens reſtituendi obligatio, ſi humanas conſtitutiones ſemoueas, nulla erit: licèt autem ex defectu acquiſitionis reſtitutio hęc fiat, vt *S. Thom.* & alij docent, ſemper immediatè prouenit ex humano præcepto, dum omnem ſimoniacam prouiſionem irritat, vt ex Iuribus præcitatis patet, & hanc partem omnes Theologi, & Canoniſtæ recipiunt ſi recte expendantur, nam *S. Thom.* quem pro parte contraria adduximus illud tantum vult quod

reſti-

restitutio hæc in Iure diuino fundamentum habeat, & in foro Conscientiæ nemine petente debeatur, quia prouenit ex defectu acquisitionis.

39 Qua sententia retenta non obstant quæ pro prima supra adduximus, ad primum enim quod ad restitutionem tenetur is lege diuina, qui contra domini voluntatem alienum retinet, spiritualia autem simoniacus contra domini voluntatem habet, qui gratis dare iubet, ergo &c. respondetur primò distinguendo minorem, aut enim quis essentialiter retinet, seu formaliter contra domini voluntatem, quia scilicet dominus voluit dare absolutè, aut in accidentalibus tantùm domini voluntas refragatur: priori casu dominium non transfertur, & ex lege diuina debetur restitutio, quia datur defectus voluntatis circa substãtiam acquisitionis, vel in causa efficiente, & hoc casu procedit argumentum: posteriori vero non ita quoniam defectus voluntatis circa accidentia non potest impedire translationem, vt manifestum fit in his, quę fiunt per errorem, etenim si in essentialibus erretur, non transfertur dominium, vt probat *l. in venditionibus 9. ff. de contrah. empt. l. si sterilis* 22. §. *quamuis ff. de action. empti.*

40 Sin autem in accidentalibus error contingat non vitiat, quia defectus consensus circa accidentia, sicut quilibet alius in accidentalibus contingens, non vitiat, vt probat *l. aliter* 10. *cum seq. de contrah. empt.* Vnde cum domini voluntas in quæst. propria non deficiat circa essentialia, sed tantùm circa illa pretij circumstantiam, argumentum non concludit, quo pacto videtur voluisse respondere *Sot. d. q.* 8. *art.* 1. *col.* 2.

41 Ad secundum vero argumentum ex *S. Gregor. in d. cap. si quis dator, in fine* 1. *q.* 3. respondetur illa verba, *vigore rationis*, non esse intelligenda de vigore legis naturalis necessariò concludente, sed de ratione suasoria, cui innititur lex humana, dum simoniacas prouisiones irritat. Licet enim lex diuina naturalis malos iuberet coerceri, quia aliter Respubl. conseruari non potest, tamen quo tempore puniendi sint, non declarat, sed humanis legibus definiendum reliquit quę

generalia, & indeterminata præcepta naturę hoc vel illo modo vel tempore determinant, vt bene declarat *Sot. de Iustit. lib.1.q.5.art.2.* atque ideo licet ſimoniaci mali ſint, non tamen naturalis ratio concludit eſſe irritatione tituli, vel alijs determinatis pœnis afficiendos, vnde hoc lex humana fecit ab illa ratione naturali deriuata, & *S. Gregorius* tantum vult ſignificare iuſtiſſime per leges humanas ſimoniacas prouiſiones caſſari, & ad reſtituendum compellere vt in eo ſimoniaci puniantur, in quo peccauerunt.

42 Ad tex vero in *d. cap. Mathæus, de ſimon.* quatenus in foro Conſcientiæ, & pœnitentiario reſtitui iubet, dicendum eſt quod quotieſcunque titulus acquiſitionis non valet ſiue per legem diuinam, ſiue humanam ſi dominus ſit, cui fiat reſtitutio, vel aliquis loco domini, neceſſariò in Conſcientia reſtitutio debetur, quoniam dominium rei non transfertur, ſed manet apud dominum, ſicque in propoſito dicendum, quia titulus ſimoniacus nullus eſt, & in dominio Eccleſiæ ſpiritualia data manent propter impedimenta legis humanæ. Nec refert vtrum in pœnam criminis actus acquiſitionis nullus fiat, vel aliter, quoniam vtroque caſu datur defectus acquiſitionis eſſentialis, ex quo prouenit reſtituendi obligatio.

43 Tertiò infertur non eſſe in foro Conſcientiæ reſtituenda illa, quę legitimo titulo comparata ſunt, & quibus propter ſimonię delinquentes huiuſmodi priuantur, vel quę dare iubentur, vt in terminis *cap. audiuimus, de ſimon. & cap.3. de magiſtr.* Probatur, diximus enim in Conſcientia non eſſe reſtituenda antequam petantur illa, quę in pœnam dari iubētur, quod etiam docet *S. Thom.2.2.q.62.art.3* igitur idem erit in his, quibus propter ſimoniam aliquis in pœnam priuatur. Probatur etiam eiſdem argumentis, quibus grauiſsimi Auctores concludunt pœnam quantumuis ipſo iure impoſitam non deberi in Conſcientia ante condemnationem, quod in ſpecie vult *Felin. in d. cap. audiuimus,* probat *Dec. in cap.1. num. 20. de conſtitut. Cou. de ſponſalib. p.2.cap.6.§.8.num.10. Simancb. de Cathol. inſtit. cap.9. num.32. Cagnol. in l. ſi quis maior n.160.*

C. de

*C.de transact. Caiet.d.art.*3.late *Sot. de Iustit.lib.1.q.6.art.6.* testatur communem nouiorum *Nauar.in man.c.23.num. 66.* quamuis communis antiquorum in *d. cap.*1.contrarium velit, procedit hoc corol. in alijs bonis temporalibus, quibus propter simoniam aliquis priuatur ipso iure, vt in *d. cap. audiuimus, & in d.cap.* 2.
44 Vtrum autem hoc ipsum accipiendum sit in beneficijs Ecclesiasticis supposita eorum sententia, qui affirmant simoniacum ipso iure priuari beneficijs, quę ante legitimè acquisierat, quam late probat *Burg. in cap.ad nostram num. 35. de empt.Felin.in cap.in nostra col. 2. de rescript. Rebuff. de pacif.*
45 *possess. num.*261. & alij citandi *art.seq.* Pro parte enim affirmatiua quod statim simoniacus teneatur dimittere beneficia legitime obtenta cum fructibus,illud extat argumētum, quod vbi pœna talis ipso iure imponitur, quę nullam requirit exteriorem executionem, sed ipsa condemnatione consumatur, in foro Conscientię obligat, vt in excommunicatione, suspensione, irregularitate, & similibus receptum est, & probatur in *cap pastoralis* §. *verum, de appellat. & in cap. pen. de homicid.* ibi, *tua Conscientia te remordet*, in beneficio autem nulla videtur executio necessaria cū ab officio spirituali pendeat. Igitur &c. Quo argumento hanc sententiam in specie probat *Nau. d.num.66.*affirmans pœnam amissionis beneficij ipso iure impositam statim ligare in Conscientia, sicut excommunicatio, & suspensio, quod ante dixerat *Abb. in cap. item cum quis,de restit. spoliat. Tiraq.* qui plura refert in *l. si vnquam verbo restituatur num.*292. *C.de reuocand.donat.* Pro qua sententia expenditur *cap. vnic. ad fin. de homicid. lib.* 6. dum ait occidentes per assassinos ipso facto bonis suis omnibus, & beneficijs priuari,eaque posse nulla expectata sententia alijs conferri, quasi executio necessaria non sit, & perconsequens non poterunt retineri. Expeditur etiam *Extrauag. ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien. inter commun.* ibi, *absque declaratione vacare censetur*, quibus verbis tex.innuit beneficia, quibus quis priuatur ipso iure, statim vacare nulla
expe-

expectata sententia declaratoria, vacans autem beneficium retinere nemo potest sine canonica institutione *reg. 1. de reg. Iuris lib. 6.* igitur simoniaci si beneficia antea legitime habita ipso iure amittunt, ea tenentur statim ipso iure relinquere in Conscientia.

46 Contrariam tamen sententiam, quod non teneatur beneficia antea legitimè acquisita ante sententiam dimittere, probant omnes rationes, & argumenta, quę in cęteris pœnis vigent, & congerit late *Simanch. & Sot.* dictis locis, nulla enim inter beneficia, & reliqua bona iusta discriminis ratio reddi potest, quinimo per locum ab speciali pro hac parte efficaciter retorquentur *tex. in d. cap. vnic. & in d. Extrauag. ambitiosæ*, quatenus in illis duobus criminibus specialiter constituunt sententiam declaratoriam iuris non esse expectandam, & statim beneficia alijs conferri posse, & vacare; Igitur in priuatione ob simoniam, vel alia contrarium est obseruandum, vt neque vacare censeantur, neque possint conferri ante sententiam declaratoriam Iuris. Illud etiam pro hac parte facit, quod in prędictis Iuribus necessariò agnoscunt Doctores necessariam esse sententiam declaratoriam facti, & tenet *Siluest. in sum. verbo assassinus q. 4. Sot. d. loco*. Denique facit quia probabilior est sententia, quæ negat simoniam in beneficijs per se loquendo inducere ipso facto priuationem beneficiorum antea ritè obtentorum, vt per *Abb. in cap. cum clerici num. 2. de pactis*, *Felin. in cap. insinuatum, de simon. Vgolin de simon. tab. 1. cap. 19. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 58. num. 3. Filliuc. p. 3. tract. 45. cap. 13. quæst. 9. num. 24.* Ad argumentum autem quòd in pœnis, in quibus non requiritur exterior executio, statim in Conscientia datur obligatio, respondetur in beneficijs executionem esse necessariam per administrationem temporalium, & possessionem, sicut in feudis, & alijs quibusuis bonis, quæ administrationi annexa sunt, neque censeri priuatum beneficio eum, qui in beneficio priuatus est quoad possessionem, quam iuste retinet quousq; declaratoria feratur sententia: respondetur enim

cum

cum *Sot.* dicto loco in excommunicatione, ſuſpenſione, & irregularitate aliam vrgere rationem, quæ apud illum videri poteſt, ſicque melius hanc partem probat *Sot.d. art. 6. corol. pen.* & apertior fiet ex his, quę dicentur *art. ſeq.* vbi tractandum eſt vtrum ſimoniacus ipſo iure priuetur beneficijs, quæ ante legitimè acquiſierat.

47 Quarto infertur reſolutio ad illam controuerſam quæſt. à Theologis, & Canoniſtis diffusè tractatam vtrum ſimoniacus
48 mentalis in Conſcientia teneatur reſtituere? quæ res vt fiat apertior obſeruandum eſt ſimoniam mentalem duobus modis dici poſſe, aut ſola voluntate, itaut nihil prauo animo datum, aut receptum ſit, vel cum quis prauo animo aliquid dedit ſpirituale, vel recepit pro temporalibus abſque vlla exteriori cõuentione, prout cum quis beneficium dedit ei, à quo temporale aliquid receperat, vel pretium ei à quo acceperat ſpiri-
49 tuale. Priori caſu ſimonia quidem committitur, quamuis *gloſ. vlt.* recepta in *cap. vlt. de ſimon. Abb. in cap. nemo, eod. tit. Angel. in ſum. verbo ſimonia* 1. §. 7. incaute affirmẽt ſolo animo ſine affectu ſubſequuto ſimoniam non committi, licet peccatum inde committatur, idq; late probare contendat *Rodoan. de ſimon. cap. 3.* eſt enim id aperte falſum quoniam ſi aliquod peccatum eſt, vt ipſi fatentur, nullum aliud eſſe poteſt niſi ſimoniæ, & ideo vtroque modo abſque vlla exteriori conuentione vel declaratione ſimoniæ vitium contrahitur. Cæterum priori caſu cum ſolum detur prauus animus emendi, aut vendendi ſpiritualia nulla eſſe poteſt de reſtitutione quæſtio cum nihil ſit quod reſtitui debeat, poſteriori vero caſu controuerſia eſt, in qua partem affirmatiuam probant *Maior in 4. diſt. 25. q. 1. Adrian. quodlib. 9. Sot. de Iuſtit. lib. 9. q. 3. art. 1. & q. 8. art. 5. Azor. inſtit. moral. p. 3. lib. 12. cap. 20. quæſt. 2.* Mouentur primò eo argumento quod eadem ſit in ſimoniaco men-
50 tali & vſurario ratio, vſurarius autem mentalis reſtituere tenetur vt probat *cap. conſuluit, de vſuris*, & Doctores ibi citati per *Auguſt. Barboſ. in collect. ad illum tex. igitur & ſimoniacus.* Deinde aiunt in eum non poſſe dominium transferri qui con-

tra

tra diuinum preceptum ſpiritualia pretio dat, aut recipit, citant etiam *S. Gregor. in cap. ſi quis neque* 1. *q.* 1. ibi, *fraudulento munuſculo*, vel quod fraudulento animo abſque pacto ſupponitur vt *Sot.* ait, *d. loco corol. pen.* quod enim pacto expreſſo datur non fraudulentum munuſculum dici poteſt, ſed manifeſta iniquitas. Addit præterea *Sot.* pretium ſimoniacis conuentionibus non dari ſponte, ſed ab inuitis, ſicut in vſura, valet enim qui dat gratis accipere ſpiritualia, atque ideo reſtituendum eſt quod iniuſte ſine domini voluntate in Conſcientia retinetur.

51 Verum hæc ſentẽtia defendi non poteſt, primò quia aperte repugnat *d. cap. vlt. de ſimon.* cui neque *Sot.* nec cæteri ſupra citati ſatisfaciunt. Deinde hoc argumento confunditur. Simoniacus tunc tenetur reſtituere cum ſuæ acquiſitionis titulus inualidus eſt, nam ſi valet, ei ius quæritur & dominium, atque ideo reſtituere non tenetur ſuum antequam priuetur, vt omnes agnoſcunt, titulus autem acquiſitionis nullus eſt cum aut realis, aut conuentionalis ſimonia committitur, ergo mentalis ad reſtitutionem non obligat. Conſequentia bona eſt. Maior patet ex dictis. Minor probatur ex eo quia titulus ſimoniacus legibus humanis non diuinis vetatur, vt ſupra probatum eſt, leges autem hnmanæ ſicut non ligant actus externos alijs pœnis, ſic nec pœnam nullitatis, vnde mentalis ſimonia acquiſitionem inualidam non facit, & perconſequens ceſſat reſtitutio, nam ſi ex eo prouenit quod acquiſitio non valeat, & ea tantum irrita eſt, quæ expreſſa conuentione, aut dato exteriore perpetratur, ſequitur neceſſariò ceſſare reſtitutionem, quia ceſſat eius fundamentum, quo argumento in effectu vtitur *Caiet.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *in reſp. ad* 5. Confirmaturque hęc ſententia *ex cap. ſicut* 33. *in fine de ſimon.* dum ait non incurrere pœnam Canonicam ſimoniacos mentales, ergo nec pœna nullitatis eo caſu locum habet; facit *cap. tua nos* 34. *eod. tit. in fine* ibi, *apud diſtrictum iudicem culpabiles iudicantur*, non tamen iubet reſtituere. Conficitque pro hac parte multa alia argumenta *Nau. in d. cap. vlt. de ſimon. nu.* 12.

& in

& in man. cap. 13. & num. 101. quibus rationibus & auctoritate *d. cap. vlt.* hanc ſententiam indiſtinctè probant *gloſ. Innoc. Ioan. Andr. Card. Abb. Anan. & Felin. in eodem cap. vlt. omnes in cap. ex parte de offic. deleg. Felin. in d. cap. tua nos num. 3. S. Thom. 2.2. q. 100. art. 6. ad 6. & ibid. Caiet.* aſſerens hoc ita in vſu eſſe, & non oportere contra manifeſtam determinationem Eccleſiæ aliud aſſerere, probãt etiam hanc ſententiam *Silueſt. in ſum. verbo ſimonia q. 20. in princip. Rodoan. d. cap. 3. ex num. 15. Petr. Nauar. de reſtitut. lib. 2. cap. 2. diffic. 11. num. 390. & ſeq. Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 16. puncto 6.* eleganter defendit *Nau. in d. locis.* Quorum opinionem noua Theologorum ſchola recipit vbicunque ſimonia mentalis coniuncta non eſt cum iniuſtitia, & damno alterius, vt per *Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de ſimon. cap. 59. num. 43. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 10. num. 430. Molſes. in ſum. Theologiæ moralis tract. 6. cap. 15. num. 99. Leſſi. de Inſtit. lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 165. Bonacin. de ſimon. q. 7. puncto 3. diffic. 1. num. 23.*

52 Qua ſententia retenta non obſtat contrariæ opinionis fundamentum de vſurario mentali deſumptum, omiſsis namque varijs reſponſionibus, quas Doctores hac in re adducunt longe verior eſt illa *Caiet. d. art. 6. ad 2.* quem ſequitur *Nau. vbi ſupra* dum diſcrimen inter vſurarium & ſimoniacum conſtituit in eo quod vſurarius inuoluntarie datum recipit, ſeu putat ſe recipere, ſiquidem qui vſuras ſoluit non libero animo, ſed inuoluntarie id facit, & perconſequens naturali Iure dominium non acquirit propter defectum conſenſus dantis, ſimoniacus autem voluntarie datum recipit, vnde naturali Iure nihil retinet alienum, quapropter mentalis vſurarius ratione læſę Conſcientiæ proinde tenetur reſtituere quod alienum putat acſi re vſuras recepiſſet interim dum Conſcientiam non deponit; ſimoniacus non ita, quia alienum non putat, ſed ſuum, quamuis turpiter datum credat, aut turpiter recipiat, quoniam, vt dictum eſt, non lege diuina, ſed humana acquiſitionis titulus non valet, quę pœna in mentali ſi-

monia non procedit,& hanc *Caiet.* resolutionem probat etiam *Cou. in reg. peccatum p. 2. in init. ex num. 5.* Nec illi obstat replicatio *Soti dicto loco* dum ait etiam simoniacum inuitum pretium dare, sicut ille, qui vsuras soluit, malit enim sibi gratis dari spiritualia, quàm pretio, nam vt bene *Nau.* aduertit, ex hac *Soti* ratione sequeretur idem fore dicendum in omnibus contractibus commutatiuis, semper enim is, qui emit aut commutat, malet id sibi gratis dari, nec proinde inuoluntarie pretium, aut rem suam dare censetur pro alia, quinimo volens & libere dat, qui ita dat vt aliud recipiat pro eo, id quod in simoniacis conuentionibus contingit, in quibus temporale pro spirituali datur, vult enim vere dare, vt illud spirituale recipiat, vnde sibi temporalem vtilitatem captat, nisi eo casu temporale datum ministris spiritualium proponas, quod inuiti ad redimendam vexationem suam faciunt, quo casu dubium non est quin simoniacus etiam mentalis ad restitutionem danti faciendam teneatur, si credat alium inuitum ad suam vexationem redimendam dedisse, in vsurario vero aliter se res habet, quia vnum tātum mutuum reperitur, quod reddito principali soluitur, & nullus commutatiuus contractus dat causam propterquam liberaliter dare velit, quo pacto controuersia, & *Caiet.* ac sequacium sententia declaratur. Hęc omnia adducit *D. August. Barbosa in collect. ad d. cap. vlt.* secundum nouissimam impresionem.

53 Quinto infertur spiritualia acquisita per simoniam lege tantum humana prohibitam perinde esse in Conscientia dimittenda. Diximus supra spiritualia per simoniam recepta ideo esse in Conscientia dimittenda, quia nullus est acquisitionis titulus per leges humanas, qua nullitate supposita alienum retinetur inuito domino sine vlla causa, & ideo restituendum est, sed eadem viget ratio in his, quę acquiruntur per simoniam solo Iure humano prohibitam, igitur pari modo restituenda sunt: sed quia huius restitutionis obligatio ex nullitate tituli prouenit, inuestigare oportet vtrum prouisio-
54 nes spiritualium factę per simoniam prohibitam lege tantum huma-

humana ipso iure non valeant? Qua in re *glos. & Doctores in cap. ex parte il 1. de offic. deleg.* sentiunt non valere quatenus agunt de renunciatione beneficij facta ad fauorem alterius, quę solo iure humano simoniaca iudicatur, asseruntque ibidem tam renunciationem quam collationem inde sequutam non valere, idem affirmant circa permutationes *Innocent. Host. Abb. num. 6. & omnes alij in cap. cam vniuersorum, de rerum permut.* & videtur ab omnibus recepta sententia ex his, quæ tradit *Præpos. in cap. ordinationes 1. q. 1. ex num.* 34. eandem probat *Barbat. in cap. 2. de rescript. Capell. Tholos. q.* 338. *Rebuff. in praxi tit. de simon. in resignatione* §. *quamuis vers. collatio, Selua de benefic. p. 1. q. 7. Nauar. in man. cap. 23. nu. 107. Rodoan. de simon. par. 3. cap. 8.* Pro qua sententia primo facit *d. cap. ordinationes*, ibi, *pretio, vel precibus, cap. ea quæ 1. q. 3.* ibi, *in sacris Ordinibus, vel ecclesiasticis rebus*, quibus verbis vtraque simonia videtur comprehendi. Facit etiam *cap. vlt. de pactis*, dum pactiones de rebus Ecclesiasticis irritas esse decernit, in quibus simonia quia prohibita reperitur, igitur si pactio non valet, neque valebit quęuis alia prouisio spiritualium, in idem est *cap. constitutus, de transaction.* ibi, *transactione reuocata*, melior tex. *in cap. cum olim, de rerum permut.* ibi, *curauimus spoliare*. Tandem est pro hac parte *Extrauag. 2. de simon. inter commun.* ibi, *ipso facto*, quibus argumentis eandem sententiam ex Theologis probat *Durand. in 4. dist. 25. q. 5. num. 9. Sot. de Iust. lib. 9. quæst. 7. art. 2. col. 2.*

55 Contrariam tamen sententiam expresse tenet *Maior. in 4. dist.* 25. asserens pœnas aduersus simoniacos ipso iure præscriptas non habere locum vbi simonia tantum quia prohibita committitur, eandem sententiam probat *Paris. cons. 28. lib. 4. per tot. & cons. 30. ex num. 14. eod. lib.* quibus locis ait non posse aliquem priuari beneficio in cuius collatione interuenit simonia sola lege humana prohibita, & ibidem affimat hanc sententiam receptam esse. Et vltra plura fundamenta, quæ pro hac parte adducũt Doctores supra citati, illud præcipuum

est quod pœna priuationis præsertim ipso iure admittenda, non est in his casibus; quibus in Iure expressa non reperitur, *auth. de non eligendo secundo nubentes §. cum igitur collat. 1. cap. is qui 16. de sentent. excom. lib. 6. glos. recepta in cap. vlt. de iurepatron.* vbi *Augustin. Barbos. plures Doctores refert. in collectan.* constat autem nulla lege cautum reperiri vt propter simoniam sola lege humana prohibitam quis priuetur ipso iure beneficiis, aut alijs spiritualibus sic obtentis, & inualida sit acquisitio, omnes enim auctoritates, quę in contrarium adducuntur, aut non probant, aut de simonia vera contra leges diuinas agunt, vt in solutione ad argumenta contrariæ partis constabit, igitur non est hoc casu pœna nullitatis ipso iure concedenda. Præterea pro hac sententia est doctrina *Innoc. per tex.* ibi, *in cap. constitutus, de transact.* quo loco ait ideo in eo tex. non fuisse beneficijs priuatos clericos, qui circa spiritualia transigerunt, quia non erat illa vera simonia; sed tantum species contra Ius humanum, & hanc sententiam *Innoc.* testatur veram & communem *Abb. ibid. nu. 3.* Illud tandem pro hac parte facit quod in omnibus Iuris Canonici constitutionibus, in quibus de hac simoniæ specie agitur, quæ reperitur in pactionibus, transactionibus, permutationibus, & conditionibus, nunquam priuatio beneficiorum sic acquisitorum, aut alia pœna exprimitur, vt patet ex *d. cap. cum pridem, & d. cap. constitutus, & ex d. cap. cum vniuersorum, cum simlib.*

56 Verum licet vtraque sententia probabilis sit, hæc posterior Iuris principijs magis conuenit, & argumenta contraria facilius refutantur. Ad primum enim ex *d. cap. ordinationes*, respondetur agere de vera simonia Iure diuino prohibita, quæ non solum pretio, sed etiam precibus contrahitur quando preces tales sunt, quę temporale pecunia ęstimabile præ se ferunt, vt in prima parte diximus, vel aptius respondetur in eo tex. plures referri causas ob quas ordinationes irritæ sunt, nempe pretium, & obsequium, quę veram iudicant simoniam: rursus preces, cum indignus aliquis ad preces alterius pro-

mouetur, vt ibidem *glos.* recepta declarat, item non obseruatis sacrorum Canonum solemnitatibus, vnde ex eo tex. pro communi sententia nullum argumentum desumi potest.

57 Sic etiam tex. *in d. cap. ea quæ* de vera simonia agit, quæ in Ordinibus, vel alijs spiritualibus committitur, vt constat ex illis verbis, *data, vel promissa pecunia*; neque contrarium suadetur ex alijs verbis, *ecclesiasticis rebus*, non enim intelligenda sunt de rebus ecclesiasticis merè temporalibus, in quibus vera simonia committi non potest, sed solum prohibita, vt probat text. *in cap. 1. de simon.* & in decimis quoad proprietatem, *cap. ad quæstiones, de rerum permut.* & diximus supra *par. 2. corol.* 3. sed intelligenda sunt illa verba de rebus spiritualibus ecclesiasticis, qualia sunt beneficia, & alia officia, & ministeria, quæ ecclesiastica appellantur, quia ab Ecclesia ordinata sunt.

58 Ad *cap. vlt. de pactis, & cap. constitutus, de transact.* cum similibus, respondetur omnes quęstiones de rebus Ecclesiasticis, & spiritualibus in quibus simonia quia prohibita, seu species simoniæ continetur, non valere quasi in re turpi impossibili de Iure facta, ea ratione quia non potest se obligare ad aliquid illicitum perpatrandum, quamuis solum culpam venialem coutineat arg. *cap. super eo, de vsuris*, non tamen inde sequitur quod si res aliqua spiritualis concedatur, & tradatur, collatio non valeat; quemadmodum enim secunda promissio eiusdem rei, seu secunda sponsalia etiam iurata non valent ex *cap. sicut. cap. veniens de sponsalib.* si tamen res detur, & tradatur, dominium transfertur ex *l. quoties C. de rei vendic.* Sic etiam non valet pactum, aut promissio de re spirituali, quæ speciem habeat simoniæ, valebit tamen promissio si res data, & tradita sit.

59 Ad *d. cap. cum olim* respõdetur ex sententia *glos. vlt.* ibidem, quod ideo in eo tex. permutantes priuati fuerunt beneficijs, quia auctoritate propria permutationem consumauerunt, & absque Canonica institutione ausi sunt beneficia permutata recipere, & possidere, contra *cap. quoniam, de filijs Presb.* & *cap.*

per

per noſtras, de iurepatron. iuncta *gloſ. verb. in genere*, quem intellectum probat *Ioan. Andr. Card. Anchar. & cõmunis ibidem*, quamuis ab eo immerito recedat *Abb. num. 4.*

60 Ad vltimum ex *Extrauag. 2. de ſimon.* dicendum plane agere de ſimonia reali, aut conuentionali contra Ius diuinum. Communis tamen ſententia in praxi recepta eſt, quam limitabis vt non procedat in beneficijs, quæ quis legitime acquiſiuit, quibus nemo priuatur propter ſimoniam legibus tantum humanis prohibitam, & de his agit *d. cap. conſtitutus*, quoniam pœna hęc multò grauior eſt, & Iure expreſſa non reperitur, vt oſtenditur art. ſeq. de his intelligi poteſt. *Maior.* vbi ſupra & defendi ſententia *Pariſ.* & in praxi ſeruari.

SVMMARIVM.

1 *Depoſitio eſt perpetua amotio ab officio clericali.*

2 *Depoſitio in ipſo differat à degradatione, oſtenditur.*

3 *Depoſitionis pœna aliquando ipſo iure imponitur, aliquando per Iudicis ſententiam venit inferenda.*

4 *Pœna cum ipſo iure latam ſententiam ipſius legis requirit, neceſſe eſt vt ea perſpicuis verbis declaretur.*

5 *Depoſitio per ſententiam non ſolum in caſibus Iure expreſſis, ſed etiam in alijs pro arbitrio iudicantis poterit imponi, modo crimen graue ſit, & ea pœna dignum.*

6 *Pœna depoſitionis, vel alia ipſo iure impoſita iudicatur cum verba hæc, ipſo iure, ipſo facto, eo ipſo, aut ſimilia fuerint expreſſa.*

7 *Verbum præteriti, aut præſentis temporis circa pœnam incurrendam latam indicat ſententiam.*

8 *Verba futuri temporis ferendam indicant ſententiam.*

9 *Simoniæ in crimine aliquando ciuiliter, aliquando criminaliter agi poteſt.*

10 *Depoſitionis pœna non habet locum cum de ſimonia ciuiliter agitur.*

11 *Criminaliter de ſimonia duobus modis agitur, aut per accu-*

ſatio-

sationem, vel per inquisitionem.

12 *Mitius per inquisitionem agitur quàm per accusationem eo quod inquisitio ad emendationem principaliter fit, accusatio vero ad punitionem.*

13 *Pœnæ omnes, quæ per simoniam infliguntur, quamuis in Iure sint expressæ, vel augeri, vel minui ex causa possunt.*

14 *Simoniacus qui contra diuinas leges veram commisit simoniam, criminaliter accusatus, per accusationem deponitur, per inquisitionem vero mitius punitur, nisi criminis circumstantiæ augendam vel minuendam esse pœnam suadeat.*

15 *Depositus simpliciter propter simoniam, ab officio, & beneficio depositus censetur.*

16 *Suspensio ab officio vbi præcise, & absolutè imponitur, si aliud non addatur, non includit suspensionem à beneficio.*

17 *Deponi potest quis vbi de crimine simoniæ fuerit probationibus conuictus, siue confessus.*

18 *Confessus mitius punitur quàm conuictus.*

19 *Confessus simoniæ crimen incidenter an deponi possit? ostenditur, & num. 20.*

21 *Declaratur tex. in cap. 2. de confessis.*

ARTIC. II.

Vtrum simoniacus deponendus sit?



1 EPOSITIO est perpetua amotio ab officio clericali, vt probat *cap. si quis clericus 30. dist. cap. 1. iuncta glos. vlt. 50. dist. cap. per tuas il 1. de simon.* ibi, *non criminaliter vt deponatur ab Ordine, cap. 2. de pœnis lib.* 6. sicque depositionem definit *Abb. in c. at si clerici, de iudic. in princ. n. 7. Dec. num. 5. Beroi. ad fin Carrer. in pract. crimin. tit. de homicid.* §. 7. *num.* 58.

Clar.

Clar. in pract. §. *vlt. q. 74. nu.* 10. *Menoc. de arbitrar. casu* 415.
2 *num.* 1. differtque à degradatione in eo quod depositio remouet solum ab officio clericali; degradatio priuat omni priuilegio: rursus depositio absque præcepto alicuius degradationis actualis fit, degradatio vero cum præcepto, & in ordine ad illam, vt colligitur ex *d. cap.* 2. & resoluunt supra dicti: differt etiam à suspensione, quia depositio remouet perpetuò, & ab omni officio clericali, suspensio vero ad tempus, nec semper ab omni officio, sed nonnunquam ab aliquo, vt colligitur ex *cap. nullus, & ex cap præter* 32. *dist. & ex cap. si qui sunt* 81. *dist. & ex cap. cum in cunctis* §. *fin. de elect.* obseruāt omnes dictis locis. Quod si suspensio perpetua sit, & ab omni officio clericali fiat nihil à depositione differt ex sententia *glos. per tex. ibi in cap. si quis Episcopus* 83. *dist. Abb. Dec. & nouiores vbi supra*; Rursus depositio mera pœna est, nec inter Ecclesiasticas censuras numeratur, suspensio species est censuræ Ecclesiasticæ, vt in *cap. querenti, de verb. signif.* & notat *Nauar. d. loco num.* 152.

3 Deinde obseruandum est depositionis pœnam aliquando ipso iure imponi, aliquando verò per Iudicis sententiam esse inferendam; ipso iure illis tantum casibus admittenda est, qui
4 Iure reperiuntur expressi, quia cum pœna ipso iure latam sententiam ipsius legis requirat, necesse est vt ea perspicuis verbis declaretur, vt colligitur ex *cap. is qui, de sent. excom. in 6.* & est recepta *Innoc.* doctrina *in cap. bonæ il* 2. *de elect.* tradit late *Tiraq. in l. si vnquam verbo reuertatur num.* 248. *C. de reuoc. donat.* congerit plures casus *Menoch. de arbitr. casu* 286. *Roland. à Valle cons.* 27. *num.* 14. *lib.* 1. Depositio autem
5 per sententiam non solum in casibus Iure expressis, sed etiam in alijs pro arbitrio iudicantis poterit imponi, modo crimen graue sit, & ea pœna dignum, vt probat tex. *in cap. atsi clerici, de iudic. & in cap. tuæ de pœnis, Abb. in d. c. atsi clerici nu.* 34. *Dec. num.* 35. *Butr. num.* 54. qui communem testatur, *Borgas. de irregular. tit. de senten. deposit. a num.* 13. *Albertin. in cap.* 1. *q.* 1. *de hæret. lib.* 6. *Clar. in pract.* §. *fin. q.* 74. *num.* 2.

quam-

quamuis absque fundamento contrarium doceant *Beroi.in d. c.at si clerici n.160.& Tiraq.vbi supra*, & incaute *Menoch.d. casu 415. nu. 4.* affirmat *Aret. & Dec.* cum communi docet depositionis pœnam non esse imponendam nisi in casibus iure expressis, cum neque verum sit id, neque receptum. Nec ad rem facit quod vulgò dici soleat pœnam priuationis in casibus tantum expressis esse admittendam ex *glos. vlt. in cap. fin.de iurepatron.*& late prosequitur *Tiraq. d.verb.reuertatur ex num. 149. Roland.d.loco*, etenim hæc vulgaris sententia si de priuatione per sententiam intelligatur, falsa est, & absq; fundamento, & contra præcitata Iura, si autem de priuatione
6 ipso iure vera est, vt supra diximus. Tunc autem pœnam depositionis, vel aliam ipso iure impositã iudicabimus cum verba hæc, ipso iure, ipso facto, eo ipso, aut similia fuerint expressa, vt in *c. 1. de homicid.lib.6. & in Extrauag. 2. de simon.*
7 vel cum circa pœnam incurrendã verbum præteriti, aut præsentis temporis fuerit scriptum, quod latã indicat sententiam, prout in *l.si quis maior C.de trãsact.* iuncta *glos.verbo notatur, glos.per tex.* ibi *in l.si quis in tantam C. vnde vi*, *Tiraq. vbi*
8 *sup.ex n. 21.* Quod si verba futuri temporis fuerint, ferendam indicant sententiam *c.quisquis,& ibi glo.verbo fiat, & verbo suspendatur.de elect.c.si diligenti,& ibi glos.verbo causam de foro comp.*& vtrobiq; Doctores, nisi aliũ ex coniecturis, alijsq; verbis adiũctis appareat ex *tex.in c.ex litteris,& in c.ex parte,de sponsalib.* notat *Felin.in c. Rodulphus ad fin. de rescript.*
9 Vltimo præmittendum est in crimine simoniæ aliquando ciuiliter, aliquando criminaliter agi posse. Ciuiliter cum ad suum priuatum cõmodum quis principaliter agit, prout cum beneficium à possessore petit, quem simoniacum probare contendit, vel vt ab eius administratione amoueatur. Criminaliter cum ad publicam vindictam & pœnam criminis ordina-
10 riam quis accusatur. Priori modo depositionis pœna locum non habet, posteriori vero habet, vt colligitur ex *d. cap. per*
11 *tuas il 1. de simon.* Rursus criminaliter de simonia duobus modis agitur, aut per accusationem, quæ est delatio crimi-

nis ad publicam vindictam cum legitima subscriptione, vt ait *Felin.in rub. de accusat. num.* 3. & tanquam receptum tradit *Clar. vbi supra q.* 12. *in princip.* Vel per inquisitionem, cum Iudex officio suo contra aliquem de crimine inquirit infamia legitime pręcedente iuxta *cap. qualiter & quando il* 2. *de accusation.* cum per accusationem proceditur ordinaria pœna depositionis, vt in *d.cap. per tuar,* cum autem per inquisitionem illa, seu alia omissio, vt scilicet à loco, aut beneficio simoniace obtento remoueatur, & pro arbitrio pœnitentiam agat, vt probat *cap.dilectus* 30. & ibi notat *glos.verbo amotos in cap. de hoc,* & ibi *glos. de simon. vtrobique Innoc. Abb. & Anan.* idem *Abb. in capl. inquisitioni num.*1.*&* 7. *de accusat. Rodoan. de simon. cap.* 20.*ex num.*25. Neque distinguendum est vtrum Regulares sint, vel seculares, qui simoniam commiserint, vt nonnulli putant dictis locis; neque rursus vtrum in Ordine, beneficio, vel alijs spiritualibus supernaturalibus simonia committatur, vt constat ex *d. cap.inquisitioni in prin.* Semper enim cum per inquisitionem proceditur pœna aliqua remitti debet ex *reg. d. cap.qualiter vers.sed cum & d.cap.in-*
12 *quisitioni*, quæ habet mitius per inquisitionē agi quàm per accusationem, eo quod inquisitio ad emendationē, principaliter fit, accusatio vero ad punitionem, quam regulam Iure Canonico sine controuersia esse volunt Doctores vbi supra, *Abb. in d.cap. atsi clerici num.* 34. *Auiles ad cap.* 2. *Pratorum verbo parcialid. ex num.*5.*Tiraquel. de pœnis temperand. causa* 53. quo fit vt idem sit in simonia obseruandum, neque contrarium probatur in *d.cap.inquisitioni, in princip.*vt aduertit *glos.* 2. *ibidem ad med.* non tamen hoc ita erit perpetuum quin ex circumstantijs personarum, atq; alijs, quę crimina aut augere, aut minuere soleant, & per accusationem conuictus
13 non deponatur, & per inquisitionem deponi possit, pœnæ enim omnes, quæ per simoniam infliguntur, quamuis in Iure sint expressæ, vel augeri, vel minui ex causa possint, vt probat tex.in *d. c.inquisitioni,cap.quoniam frequenter, vt lite non contest.l. quod ergo §. pœna grauior ff. de his, qui not. infam.*

l. & si seuerior C. ex quibus causis infam. communis ex *Dec. in cap. de causis de offic. deleg. a num. 18. Tiraq. de pœnis temp. in præf. ex num. 16. Boer. decis. 17. Rodoan. vbi supra, Menoc. de arbitrar. casu 401. in fine*, quibus adde in Regularibus personis simoniam committentibus obseruandum esse decretum *cap. quoniam de simon.* vt volunt Doctores omnes.

14 Ex quibus omnibus colligitur simoniacum, qui contra diuinas leges veram commisit simoniam, criminaliter accusatum per accusationem deponi, per inquisitionem mitius puniri, nisi criminis circumstantiæ augendam vel minuendam esse pœnam suadeant. Nec aliud euincunt *cap. Presbyter 1. q. 1. cap. Altare 1. q. 3. cap. cum Ecclesia, & cap. cum essent, de simon.* quatenus probant simoniacum esse deponendum, vt scilicet intelligantur per simoniam quando fuerint criminaliter accusati, quod aperte colligitur ex dictis supra *prælud. vlt.* & probatur ex verbis prædictorum Iurium, quæ omnia futuri temporis sunt, & indicant sententiam ferendam, sic etiam procedit *cap. de cætero 1. q. 1. cap. de hoc, de simon.*

15 Intellige autem primò depositum simpliciter propter simoniam, in officio & beneficio depositum censeri, vt ex alijs bene resoluit *Innoc. num. 11. Bonif. num. 31. in Clem. vlt. de pœnis, Nau. in man. cap. 27. num. 160.* & propemodum infiniti citati ab *Augustin. Barbos. in suo nouissimo tract. de appellatiua verborum vtriusque Iuris significatione appell. 256. à num. 1. cum seqq.*

16 At quoties à Iure, seu etiam ab homine suspensio ab officio præcisè, vel absolutè imponitur, si aliud non addatur, non includitur suspensio à beneficio, vt ex *cap. cum inter, in princ. de purgat. canon.* & alijs comprobant *Soar. tom. 5. de censur. disput. 26. sect. 3. à num. 4. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 32. §. 3.* quos refert & sequitur *Augustin. Barbos. in collectan. ad cap. vlt. num. 19. de offic. deleg. lib. 6.*

17 Intellige secundò siue quis de crimine simoniç fuerit probationibus conuictus siue confessus, vtroque enim casu deponi potest, vt probat *tex. in d. cap. de hoc, cap. 2. de confess.* Fa-

cit etiam *tex. in cap. nos in quamquam 2. q. 1. & in l. si confessus ff. de custodia reorum*, & in omni crimine Iure verum est, & consuetudine receptum vt confessus ordinaria pœna criminis afficiatur, prout præcitata Iura probant, & ait *Alberic.*
18 *ad l. 1. nu. 3. ff. de quæstionib.* Nec obstat quod vulgò dicitur mitius puniri confessum quàm conuictum in *cap. non dicatis 12. q. 1. l. quisquis C. ad l. Iul. maiest. glos. recepta in d. cap. de hoc verbo in Iure*, scribentes *in d. c. at si clerici, & in d. c. qualiter, & quando*, vbi late *Beroi. num. 57. Boss. in pract. tit. de conuictis num. 7.* & alij, quos refert *Simanch. de Cathol. institution. cap. 55. num. 6. Clar. in pract. §. fin. q. 60. num. 34.* congerit plura *Tiraq. de pœnis temper. causa 30.* respondetur enim ex sententia *glos. in d. cap. de hoc, & Abb. ibidem num. 8. & nouiorum dictis locis*, vulgarem hanc sententiam non procedere cum quis timore probationum, quibus poterat conuinci, crimen confessus est, tunc enim mitius non punitur, iuxta quę intelligenda sunt *d. cap. de hoc*, & alia Iura, quæ probant simoniacum, vel alium confitentem crimen ordinaria pœna posse affici, quando timore probationum confessio facta fuerit, aliàs vero mitius punientur, quod tamen Iure non probatur, neque distinctio illa sub ea forma admittenda est contra Iura præcitata, quæ nulla vtuntur distinctione; atque ita cum *August. Barbos. in collectan. ad dictum cap. de hoc. secundum nouam impress.* distinguendum est inter confessum, qui nulla præcedente accusatione, inquisitione, vel denunciatione, vltro ad iudicium accessit, & crimen suum detulit, vt pœnitentiam reciperet, & veniam mereretur, tunc enim iure optimo ei aut omnino parcendum est, aut certa leuissima pœna imponi, iuxta illud *Prouerb. 28. qui confessus fuerit scelera sua, misericordiam consequetur*, & in his terminis agit tex. in *d. cap. non dicatis*, & potest defendi vulgaris sententia de qua supra. Eiusque rei ratio est quoniam sine accusatione, inquisitione, aut denunciatione nemo punitur, vt probat tex. in *d. cap. qualiter & quando, cap. licet Heli in princ. de simon.* & vere pœnitens credendus est ille, qui crimen

men suum sponte detulit, dummodo probabiliter non timeat posse ab alio deferri ad iudicium, quo casu rectè defendi potest quod ait *Castr.* citatus *à Simanch. dicto loco num. 6.* licet ab eo non satis firmis argumentis improbetur. Sin autem quis ad iudicium aliquo ex tribus prędictis modis vocatus crimen suum confiteatur, non erit mitius puniendus, pręsertim vbi pœna lege fuerit determinata, quicquid *Hostien. in d. cap. de hoc*, & alij, quos refert, & sequitur *Tiraquel. vbi supra nu. 11.* contra sentiant, & iuxta hæc simoniacus si postquam ad iudicium vocatus fuerit, crimen confiteatur, deponendus est, & ita procedit tex. *in d. cap. de hoc, & in cap. 2. de confess.* Sin autem nemine deferente seipsum deferat, & pœnitentiam ac veniam petat, prædicta Iura non procedunt, nec depositio locum habet.

19 Vtrum autem confessus simoniæ crimen incidenter, cum scilicet in testimonium vocatus, vel de alia re ciuiliter, vel etiam criminaliter conuentus confitetur se criminis participem, deponi possit? quæstio est dubia, & causam dubitationi prębet *cap. 2. de confess.* vbi testis in causa electionis productus simonię crimen incidenter confessus est, & tamen deponitur. Qua in re varię sunt *glossæ ibidem*, & Doctorum opiniones varias esse refert *Beroi. in d. cap. qualiter & quando ex nu. 59.* Inter quas communis est quod vbicunq; crimen simoniæ negotium principale tangit, quamuis incidenter eius confessio fiat, pœna depositionis locum habet, ob idque in *d. cap. 2.* testis fuit depositus, quia principalis causa electionis ratione simoniæ impugnabatur. Pro qua communi sententia facit recepta doctrina *glos. vlt. in cap. 1. de except.* dum ait testem confitentem crimen incidenter, vel in vim exceptionis obiectum puniri posse pœna ordinaria si crimen illud causam principalem contingat, citans tex. in *d. cap. 2. & in cap. per inquisitionem de elect.* idem probat *Felin. d. cap. 1. num. 10. Paris. num. 19. Alex. in l. semper num. 4. ff. de re iudic. Beroi. vbi supra num. 6.* testatur communem *Aret. in cap. causam quæ num. 17. de testib. Clar. §. fin. q. 57. num. 6.* sequitur *Boss.*

in tit.de confess.num. 43. Sed fundamentum non habet quoniam Iuris ratio non patitur vt quis condemnetur in eo iudicio, quod contra ipsum non fuerit institutum, & Iudex in eo pronuntiet quod non fuit in iudicium deductum contra *cap. licet Heli*, *de simonia*, ibi, *contra iustam iudicij formam*, & communis illa sententia aperte confunditur ex *d. cap.* 1. *de excep. in fine* ibi, *præsertim*, quæ dictio indicat vt etiam si crimen contingat causam principalem incidens confessio, vel probatio facta non sufficiat ad poenam. Accedit quod in *d. cap. 2. de confess.* in quo Doctores constituunt fundamentum suę opinionis, iudicium non erat criminale, sed ciuile circa electionem infirmandam, quo casu nemo est qui affirmet posse aliquem puniri contra *cap. per tuas*, *de simon*.

20 Quapropter reiectis varijs intelligendi modis, quos Doctores excogitarunt, indistincte resoluendum est simoniacum, vel quemuis alium, qui crimen incidenter confitetur, deponi non posse in eo iudicio & processu siue criminaliter agatur, siue ciuiliter, siue contingat causam principalem, siue non contingat, vt aperte probat *d. c.* 1. *de exception.* & conuincunt rationes supra adductæ, & pro eo faciunt doctrina *Bart.* ab omnibus recepta in *d. l. si confessus in fine*, facit etiam alia doctrina eiusdem *Bart. in l. 2. §. si publico nu. 20. ff. de adulter.* quo loco docet quod licet contingat causam principalem, si tamen non contingat easdem personas scilicet actoris, & Rei, cum quibus iudicium agitatur, non est aliquis ex incidenti confessione puniendus, constat autem in *d. cap.* 2. confessionem incidenter fuisse factam à teste, atque ideo non sufficiebat ad poenam depositionis.

21 Neque his obstat *d. cap.* 2. quia reiectis Doctorum solutionibus respondetur textum illum sub *tit. de confessis* fuisse collocatum vt tantum definiret confessum in Iure ordinaria poena criminis affici posse, perinde acsi conuictus esset, & quamuis in originali confessio fuerit incidenter facta, curandum non est quo pacto ex ea confessione Innocentius III. testem illum condemnauerit, cum vel nouo processu facto,

vel

vel dispensatiue absque nouo processu id facere potuerit, sed illum demum, quod Gregorius IX. in Decretali epistola Innocentij illam tantum partem desumpsit, & pro lege constituit, quę solum probat cõfessum in Iure statim esse condemnandum, atque ideo ex eo tex. perperam deducitur incidentem confessionem ad pœnam depositionis sufficere.

SVMMARIVM.

1 *Crimen simoniacæ prauitatis committentes in consequendis Ordinibus eo ipso ab illorum exequutione per decennium sine spe dispensationis suspensi sunt, & per annum carceribus mancipantur.*

2 *Simoniaci in Ordinibus suspensionem incurrunt non solum ab exequutione Ordinum, sed etiam ab alijs suscipiendis.*

3 *Suspensio, quam incurrunt simoniaci in Ordine, est perpetua.*

4 *Suspensio non incurritur si vitium simoniæ committitur à tertia persona inscio ipso ordinando.*

5 *Simoniæ mediatores non incurrunt latam suspensionem, sed excommunicationem Papæ reseruatam.*

6 *Simonia in Ordine committentes incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam.*

7 *Intellige de committentibus simoniam realem, non vero mentalem, aut conuentionalem.*

8 *Ordinum nomine in hac materia veniunt tam minores, quàm sacri, atque etiam prima Tonsura.*

9 *Excommunicationem non incurrunt illi, qui tradunt pecuniam pro consequutione Ordinis antequam Ordo conferatur.*

10 *Simoniam ratam habentes non ligantur hac excommunicatione.*

11 *Simoniace Ordines conferentes quas pœnas incurrant, ostenditur, & num. 12.*

ARTI-

ARTIC. III.

An, & quando, & in quas censuras incidat simoniacus in Ordine?

1 
SIMONIACI in Ordine, beneficijs, & in dando, vel recipiendo aliquid pro re spirituali varijs in locis interdum excōmunicationis, nonnumquam suspensionis pœnas incurrunt, de quibus breuiter & sigillatim à nobis agendum est. Et in primis quoad simoniace Ordinem suscipientes extat *Extrauag. 2. Pauli II. de simon. inter communes*, quæ decidit omnes illos, qui simoniaci ordinati fuerint, à suorum Ordinum executione suspensos esse. Postea Pius V. in sua constit. incip. *Cum primum*, sub Dat. Romæ Kalend. Aprilis 1556. innouando & ampliando pœnas contra simoniacos editas, sic ait. *Quicunque igitur detestabile crimē simoniacę prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis Ordinibus eo ipso ab illorum exequutione per decennium sine spe dispensationis suspensus & per annum carceribus mancipetur*, de qua Constit. agunt *Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 94. lit. D. in nouiss. impress. & Quarant. in sum. Bullarij verbo simonia pag. mihi* 603. Denique Sixtus V. in sua Constit. incip. *Sixtus Episcopus* sub Dat. Romę Nonis Ianuarij anno Dominicæ Incarnationis 1588. alias pœnas addidit contra promouentes, & promotos ad Ordines simoniace etiam in Prima Tonsura, quæ quidem Constit. licet per Clementem VIII. in alia incip. *Romanum Pontificem decet* sub Dat. Pridie Kalend Martij anno Incarnat. Dominicę 1595. redacta fuerit ad terminos sacrorum Canonum, ac Constitutionis bonæ mem. Pij II. & ad dispositionem decretorum S. Concilij Trident. tamen

ipse-

ipſemet Clemens VIII. cenſuras, & pœnas in eiuſdem Sixti litteris contra Simoniacè ordinantes, & ordinatos inflictas in ſuo robore permanere voluit, referunt *Sayr. de cenſur. lib. 4. cap. 14. num. 6. Auguſt. Barboſ. de officio, & poteſtate Epiſcopi par. 2. alleg. 20. & in collect. ad Extrauag. 2. de Simon. num. 3. & 4.*

2 Intellige primò hanc ſuſpenſionem incurri non ſolum ab executione Ordinum ſuſceptorum, ſed etiam ab alijs ſuſcipiendis, quia *d. Extrauag.* indiſtinctè, & abſolutè loquitur ibi, *Omnes qui ſimoniace ordinati fuerint à ſuorum ſint Ordinum executione ſuſpenſi, ita Abb. in cap. de ſimoniace num. 5. hoc tit. Silueſt. in ſum. verb. ſuſpenſio q. 7. Auil. de cenſur. par. 3. diſp. 5. dub. 9. concl. 1. Leſsi. de Iuſt. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 135. Paul. Layman. in Theologia moral. lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 9. num. 71. verſ. deinde*, quod deinde Sixtus V. in d. ſua Conſtit. contra male promotos id apertis verbis declarauit ibi, *Clericos poſthac male promotos ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios Superiores perpetuò ſuſpenſos declaramus*. Quamuis ita ſimoniacum in Ordine remanere tantummodo ſuſpenſum ab executione Ordinum ſimoniace ſuſceptorum, vt in eo puniatur in quo peccauit, probabile exiſtiment *Soar. de cenſur. tom. 5. diſp. 31. ſect. 4. num. 33. Filliuc. tom. 3. tract. de ſimonia cap. 13. num. 12.* quos cum iudicio reprobat *Auguſt. Barboſ. in collect. ad d. Extrauag. 2. num. 12.*

3 Intellige ſecundò huiuſmodi ſuſpenſionem perpetuam eſſe, quia Iura eam imponentia abſolutè loquuntur, vt patet ex verbis *d. Extrau.* 2. & præfatæ cõſtit. Sixti V. cuius contrarium non decidit Conſtitutio prædicta Pii V. dum ait *Simoniacos in Ordinibus eo ipſo ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis eſſe ſuſpenſos*, quia mens ſanctæ mem. Pii V. in ea Conſtit. non fuit rigorem antiquorum Canonum lenire & mitigare, ſed potius augere hoc pacto, vt ſuſpenſus poſtquam condemnatus fuerit ca-

reat spe dispensationis per decennium, transacto vero decennio liberum sit Pontifici iure Ordinario absoluere, nam Iure antiquo non auferebatur spes obtinendæ dispensationis, ac proinde Pontifex Iure ordinario dispensationem ante decennium concedere poterat, ita optimè *Soar. de Relig. tom. 1. tract. de simon. lib. 4. cap. 56. num. 10.*

4 Intellige tertiò huiusmodi suspensionem non incurri si vitium simoniæ committatur à tertia persona inscio ipso ordinando, quia *d. Extrauag. 2.* loquitur expresse de simoniace ordinatis, tum quia hoc est proprium censuræ in pœnam delicti impositæ, vt non incurratur nisi ob culpam, qua iste caret, vt supponi debet. Ita *Nau. in man. cap. 25. num. 68. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 37. §. 4. Soar. d. lib. 4. cap. 56. num. 9. & tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 1. & sect. 4. num. 40. Filliuc. d. tract. de simon. cap. 7. num. 129. Mari. Alter. de censur. tom. 2. disp. 9. cap. 4. ad fin. Lessi. de Iustit. lib. 2. c. 35. dub. 24. nu. 36.* quos refert, & sequitur *August. Barbos. in collect. ad d. Extrau. 2. nu. 14.* quibus addo *Paul. Layman in Theolog. morali lib. 4. tract. 10. c. vlt. §. 9. nu. 71. vers. porro, &* sumitur *ex c. de simoniace, de simon.* ibi, *cũ qui dã ipsis ignorantibus simoniace ordinẽtur, possunt, qui simoniaci non sunt, in suis Ordinibus remanere,* quamuis *glos.* ibi dicat dispensatiuè, quasi alioquin ministrare non possint, postquam sciuerint, quod etiam docent *Abb. ibi num. 7. Auil. de censur. cap. 3. disp. 5. dub. 9. concl. 2.* quin *& S. Thom. d. q. 100. art. vlt. ad 3.* arg. *cap. præsentium 1. quæst. 6.* quod tamen non conuincit, quia tex. significat non defuisse omnem culpam in ordinato, ideoque laborasse ignorantia culpabili, etenim quotiescunque suspensio in Iure fertur censenda est propter culpam imposita, nisi contrarium expresse significetur, sicut exprimitur in *cap. ex insinuatione, cap. nobis, de simon.* vt qui beneficium per simoniacam interuentionem, quamuis eius vitii ignorans, adeptus fuit, illud dimittere debeat.

5 Intellige quartò contra mediatores ſimoniæ non eſſe latam hanc ſuſpenſionem, ſed excommunicationem Papæ reſeruatam in *d. Extrauag.* 2. vt aduertit *Soar. d. diſput.* 31. *ſect.* 4. *num.* 29. ſubdens ex hoc parere differentiam inter mediatores, & ſuſcipiētes Ordines ſimoniacè, illi enim non ſunt ſuſpenſi, ſed excommunicati, iſti vero non ſolum ſunt excommunicati, verum etiam ſuſpenſi, refert *Auguſt. Barboſ. in collect. ad d. Extrauag.* 2. *num.* 13. illa autem ſuſpenſio per triennium ab Ordinis executione, de qua in *cap. penult. de ſimon.* eſt lata contra præſentatorem ad Ordinem per ſimoniam, & non extenditur ad alios ſecundum *Leſſi. de Iuſtit. lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 24. *num.* 134.

6 Excommunicationis ſententiam Papæ reſeruatæ incurrunt quoque committentes ſimoniam in Ordine per *d. Extrauag.* 2. dum ait, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procurauerint, ſententiam excommunicationis incurrant, à qua niſi à Romano Pont. pro tempore exiſtente non poſſunt abſolui.* Ita *Soar. tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 5. *num.* 11. *Sayr. in ſimili tract. lib.* 3. *cap.* 36. *num.* 7. *Gambar. de caſibus reſeru. cap.* 6. *num.* 8. *&* 9. *Rainer. in catalogo cenſurarum extra Bullam cap.* 3. *excom.* 4. *& cap.* 9. *excom.* 11. *&* 12. *Iuli. Lauor. de Indulgent. par.* 2. *cap.* 21. *num.* 29. *Filliuc. tract.* 15. *num* 72. *verſ. ſexto, & nu.* 82. quos refert *Auguſt. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par.* 3. *alleg.* 50. *num.* 104. *ſecundum Lugdunen. impreſſ. & in collect. ad d. Extrauag.* 2. *num.* 6.

7 Intellige de committentibus ſimoniam realem, non vero mentalem tantum, quia Eccleſia non punit actum internum, immo nec conuentionalem, quia ad incurrendam cenſuram requiritur effectus completus, & conſummatus, qui non adeſt in ſimonia conuentionali; quare ita reſoluūt *Nau. in man. cap.* 23. *num.* 106. *& cap.* 25. *nu.* 112. *Pariſ. conſ.* 29. *num.* 12. *cum ſeq. vol.* 4. *Rebuff. in praxi beneſic. rub. de ſimonia in reſignat. num.* 9. *Vgolin. de ſimon. tab.* 4.

cap.3. verſ.pœna igitur & cap. 10.nu.4.Fr.Emman.in ſum. p.2.c.58. concl.6. Azor.inſt.mor.p.2.lib.7. c.17.q.9.verſ.ſi quæras, Salzed. ad Bernard. in pract. cap.94. lit. D. in princ.ſecundum nouiſs.impreſſ. Sayr. de cenſur.lib.7.cap.12. ſub num.17. Rot.deciſ. 408. par.1.diuerſ. quos refert, & ſequitur *Auguſt. Barboſ. in collect. ad dict. Extrauag. 2. num. 7.*

8 Ordinum autem nomine in hac materia veniunt tam minores, quam ſacri, quia omnes propriè loquendo ſunt Ordines, & per vnumquemque peculiaris poteſtas confertur in ordine ad Sacerdotium in quo character Ordinis completur, ita *Bonac. de ſimon.q.7. §. 2. num. 2. Auguſt. Barboſ. in collect.ad.d.Extrauag.2.num.*8. quod etiam ad primam Tonſuram extendunt *Vgol. de ſimon.tab. 4.cap. 3. num.2. & cap.4.num. 1.Salzed.ad Bernard.d.cap.94.Soar. d.lib.4. de ſimon. cap. 56. num. 5. Mari. Alter. de cenſur. tom.2. diſp.15. ad fin. Filliuc. tom. 3. tract. 45. cap. 13. quæſt.4.num.9. Valer. Reginal.in praxi fori pœnit.lib. 23. cap. 12. num.*74. ſecurè reſoluentes committentem ſimoniam in prima Tonſura recipienda puniri pœna excommunicationis *d.Extrauag.2.*

9 Declara tamen hac excommunicatione non affici illum, qui tradidit pecuniam pro conſequutione Ordinis antequam Ordo conferatur, vt bene reſoluunt *Cou. in reg. peccatum par.2. §. 8.num.7. & ſeq. Nau. in man. cap.23.nu. 103. Leſsi. de Iuſtitia lib.2.cap.35. dub.27. num.149. Filliuc. tom.3.in tract.de ſimon.cap.13. q.5.num.15.* vbi teſtatur de praxi Romanæ Curiæ, & ſacræ Pœnitentiariæ, quos refert *D. Auguſt. Barboſ. in collectan. ad.d. Extrauag. 2. num. 2.*

10 Limita vt non ligentur hac excommunicatione ratam habentes ſimoniam, vt per *Cou. in reg. peccatum par.2.§. 4. Soar.tom. 5. de cenſur. diſput. 22.ſect.5.num. 26. ad fin. Sayr. in ſimili tract. lib. 4. cap. 14. num. 6. Leſsi. d. lib. 2. cap. 35.dub.24.num.136.*

11 Con-

11 Coferentes simoniacè Ordines etiam primam Tonsuram per dictam Constit. Sixti V. incip. *Sanctum*, *&* *salutare*, à collatione quorumcunque Ordinum atque adeo ipsius primæ Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Episcopalium eo ipso suspensi, & ab ingressu Ecclesiæ interdicti existunt, si verò spreta huiusmodi suspensione, & interdicto in præmissis se temerè ingesserint, etiã à regimine, & administratione suę Ecclesiæ, seu monasterii, & à perceptione fructuum mensæ eiusdem, ac quorumcunque beneficiorum per eos in titulum, vel commendam, seu aliàs obtentorum, suspensionem eo ipso incurrant, eiusque interdicti, aut suspensionis relaxationem seu pœnarum remissionem ab alio quàm à Romano Pont. pro tempore existente nequeant obtinere, ita habetur in d. Constit. Sixti V. quæ in hac parte reuocata non extitit per aliã Clementis VIII. vt supra diximus. Vide Doctores, quos plena manu refert *August. Barbos. de officio*, *&* *potest. Episcopi p. 3. alleg.* 111. *num.* 18. *&* 19.

12 Vnde collatorem Ordinum per simoniam non posse Sacramentum Confirmationis, aut Ordinis conferre, consecrare Calices, Ecclesias, Altaria, Abbates, Virgines, vestes sacras, & alias solemnes, & Pontificales benedictiones facere, quia hæc ad Pontificale munus pertinent, *glos. vlt. in cap. transmissam, de elect. August. Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 2. alleg. 6. ex num. 5. & p. 3. alleg.* 111. *num.* 33. potest tamen iurisdictionis actus exercere, quia exercitium iurisdictionis non venit nomine Pontificalium, ita *Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 56. nu. 18. Lessi. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 134.*

S V M M A R I V M.

1 *Simoniam in beneficio committentes incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam.*

2 *Beneficiorũ nomine in hac materia simoniæ veniunt ea solùm*

lùm, quæ proprie beneficia vocantur.
3 *Simoniacus in collatione pensionis non incurrit excommunicationem Papæ reseruatam.*
4 *Simoniacus in beneficio non incurrit suspensionem aduersus simoniacum in Ordine comminatam.*
5 *Beneficium acquisitum fuisse per simoniam ab altero commissam ipso inscio cognoscens, tenetur beneficium resignare, sed non incurrit excommunicationem illud retinendo.*
6 *Beneficium per simoniam ab altero contractam ipso inscio obtinens non incurrit excommunicationem si cognito simoniæ crimine restituat pecuniam, quam alter pro consequutione beneficij erogauerat.*
7 *Simonia confidentialis quæ dicatur in beneficijs? ostenditur.*
8 *Simoniaci per beneficiorum confidentiam excommunicationem incurrunt ipso iure.*
9 *Beneficij receptio in confidentiam quomodo contingat, ostenditur & num. 10.*
11 *Resignans cum spe & confidentia vt beneficium recipiens postea illud dimittat, incurrit pœnam contra simoniacos confidentiales, si resignatarius istum resignanti animum animaduertat, etiamsi recipiens hunc animum non habeat.*
12 *Priuatio omnium beneficiorum, ac pensionum prius obtentarum inducitur contra simoniacos confidentiales, non tamen in conscientia per ipsum reum exequenda est ante Iudicis sententiam.*
13 *Beneficia in confidentiam collata, & accepta ita Sedi Apostolicæ reseruantur, vt ab inferioribus conferri non possint, fructus quoque interim male percepti Cameræ Apostolicæ applicari debent.*
14 *Consuetudines, & priuilegia Ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione, aut alia prouisione, seu admissione ad possessionem beneficiorum reuocantur.*
15 *Consuetudo donandi aliquid in ingressu, & admissione*
ali-

alicuius ad Canonicatum & beneficium, fuit ſublata per Concil. Trident. &c.

16 *Conſuetudo rationabilis, & ſimiliter ſtatutũ laudabile admittendum eſt per quod aliquid exigitur ab obtinentibus beneficium, & quotidianas diſtributiones, quod non in ipſorum exigentium vtilitatem, ſed Eccleſiæ, alioſque pios vſus conuertantur.*

17 *Penſionem transferens, aut vendens inconſulto Pontifice an incurrat excommunicationem, aut alias pœnas à Iure latas contra ſimoniacos in beneficio? oſtenditur.*

18 *Prouiſio beneficij Simoniaco facta eſt ipſo iure nulla etiam ignorante prouiſo.*

19 *Declara procedere in Simonia reali ab vtraque parte completa per dationem ſpiritualis, & temporalis, non autem in ſimonia conuentionali.*

20 *Limita niſi aliquis in fraudem eligendi, aut inſtituendi ipſo ignorante pecuniam largiatur.*

21 *Simoniaci inhabiles ſunt ad illud beneficium obtinendum in quo ſimoniam commiſerunt, & ad alia quæcunque obtinenda.*

22 *Simonia in beneficijs per ſe loquendo an inducat ipſo facto priuationem beneficiorum antea rite obtentorum? oſtenditur.*

23 *Simonia confidentialis, & commiſſa in electione Papæ, & ab examinatoribus in Synodo conſtitutis priuat ipſo iure beneficijs, & dignitatibus antea obtentis.*

24 *Simoniam committentes in beneficijs non priuantur penſionibus.*

25 *Simoniaci non ſunt irregulares.*

26 *Simoniaci non faciunt fructus ſuos perceptos ex beneficijs ſimoniace obtentis, ac proinde etiam ante Iudicis ſententiam illos reſtituere tenentur.*

27 *Intellige de fructibus etiam non perceptis, qui tamen percipi debuerunt.*

28 *Confidentiarij tenentur in foro Conſcientiæ reſtituere etiam*

fructus

fructus, qui potuissent à diligenti percipi.

29 *Fructus consumptos restituere tenetur simoniacus exceptis expensis factis causa illorum quærendorum.*

30 *Fructus percepti ex beneficio simoniace acquisito cui sint restituendi? ostenditur.*

ARTIC. IV.

Simoniacus in adeptione beneficij, quas censuras, & pœnas incurrat?

1 ONTRA committentes simoniam in beneficio imposita est sententia excommunicationis Papæ reseruatæ *in Extrau. 2. de simon. inter commun.* vt referunt plures Doctores citati per *August. Barbos. de officio, & potest. Episcopi par. 3. alleg. 50. num. 104. secundum Lugdunen. impress. & in*
2 *collect. ad d. Extrauag. 2. num. 6.* Beneficij autem nomine licet quodlibet munus spiritualis regiminis venire in hac materia contendant *Caiet. verbo excommunicatio cap. 75. Nau. in man. cap. 27. num. 116. Soar. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 5. num. 24. & disp. 31. sect. 4. num. 45. Filliuc. tract. 15. cap. 4. q. 7. num. 87.* tamen verius est venire ea solum, quæ propriè beneficia vocantur, sicut resoluunt *Lessi. d. lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137. Azori. instit. moral. par. 3. lib. 12. de simon. cap. 21. q. 6. ad fin. vers. quæres,*
3 *Paul. Layman in Theolog. morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 9. num. 72.* & ideo simoniacum in collatione pensionis non subijci huic censuræ, quia pensio propriè non est beneficium, tenuerunt *Nauar. in man. cap. 23. num. 111. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 55. num. 22. Lessi. d. lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 130. & dub. 25. num. 137. Valer. Reginal.*

ginald. in praxi fori pœnit. lib. cap. 12. num. 175. Azori. d. cap. 21. quæst. 8. Filliuc. tract. 42. quæst. 4. num. 6. Garz. de benefic. par. 1. cap. 5. num. 20. & faciunt quæ tradit *August. Barbos. in tract. de appellatiua verbor. vtriusque Iuris signif. appellat. 32. nu. 2.*

4 Declara, & limita prout diximus supra art. præcedenti *num. 4. cum seq.* dum egimus de committente simoniam in Ordine, aduertendo tamen simoniacum in beneficio non incurrere suspensionem de qua *in d. Extrauag. 2.* inibi aduersus simoniacum in Ordine tantùm comminatam, vt obseruant *Nau. in man. cap. 25. num. 111. vers. tertio, Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 56. num. 16. & tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 4. num. 45. Auila in simili tract. par. 3. disp. 5. dub. 9. concl. 5. Filliuc. tom. 3. tract. 45. de simon. c. 13. q. 4. n. 12.* quos refert, & sequitur *D. August. Barbos. in collect. ad d. Extrauag. 2. num. 17. Garz. de benefic. par. 8. cap. 1. nu. 70.*

5 Cognoscens beneficium acquisitum fuisse per simoniam ab altero commissam ipso inscio, tenetur quidem beneficium resignare, sed non incurrit excommunicationem illud retinendo, vt per *Couar. in reg. peccatum par. 2. §. 8. num. 7. Nau. in man. cap. 25. num. 68. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 37. §. 4. Soar. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 5. num. 26. ad fin. Sayr. in simili tract. lib. 4. cap. 14. num. 6. Lessi. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 136.* quos refert *Bonacin. de simon. q. 7. §. 2. num. 13.* vbi subdit hunc non teneri beneficium resignare in duplici casu ob simoniam ab altero commissam; primus est dum crimen commissum fuit prouiso expressè contradicente, *cap. sicut tuis litteris, de simon.* secundus si inimicus prouisi per fraudem, pecuniam hac intentione tradidit, vt collatio facta prouiso irrita esset *cap. nobis fuit, & d. cap. sicut tuis, eod. tit.*

6 Obtinens beneficium per simoniam ab altero contractam ipso inscio non incurrit excommunicationem si cognito simoniæ crimine restituat pecuniam, quam alter pro consequutione beneficij erogauerat, secundum *Soar. tom. 1.*

de Relig. lib. 4. de simon. cap. 56. num. 5. Lessi. d. lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 133. & dub. 25. num. 144.

7 Est & alia certa simoniacæ prauitatis species, quam beficiorum confidentiam vocant, & contingere solet in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione, hoc animo vt beneficium, vel fructus in totum, aut in partem restituantur, vel reseruentur ipsimet resignanti, conferenti, eligenti, vel præsentanti, aut alteri iuxta ipsius electionem: Committentes hanc confidentialem simoniam excommunicationis Summo Pont. reseruatæ pœnam incurrunt, vt expresse probatur in Constit. Pij IV. contra quoscumque Ecclesias, & beneficia Ecclesiastica quæcunque in confidentiam retinentes, seu recipientes emanata incip. *Romanum Pontificem* sub Dat. Romæ 4. Decembris 1564. quam refert *Quarant. in sum. Bullarij in verbo simonia pag. 594.* vbi *in §. Et super*, dum mandat ne quis audeat hoc crimen perpatrare, subdit. *Cardinalibus videlicet, & alijs Prælatis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interdicto ingressus Ecclesiæ, reliquis verò sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna contrafacientes eo ipso incurrenda, à qua nisi à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant, districtius inhibemus, &c.* Extat etiam alia Pij V. constitutio hac de re sub Dat. Romę 6. Augusti 1569. relata per *Quarant. d. verbo simonia pag. 596.* quæ in *§. Sed ne quisquam*, ita cantat, *Et in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus nisi in mortis articulo constitutus ab alio quàm à Romano Pont. absolutionis beneficium valeat obtinere, &c.*

8 Ex quibus verbis constat huiusmodi excommunicationem inferri ipso iure, vt ex *Nau. in man. cap. 23. sub num. 100. vers. secundo quod*, tenet *Flam. Paris. de confident. q. 59. nu. 3.* vbi *num. 7.* limitat in mortis articulo.

9 Receptio beneficij in confidentiam, quæ est materia huius excommunicationis, multis modis contingit; primus modus est dum quis eligit aliquem ad beneficiũ, vel cõfert alteri beneficium,

neficium, confidens quod electus, siue beneficiarius resignabit beneficium iuxta voluntatem conferentis, aut fructus, vel eorum partem, aut pensionem tradet sibi, vel alteri; item dum patronus licet laicus aliquem præsentat cum pręfata confidentia, ita desumitur ex d. Constit. Pij V. in qua sic habetur. *Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit antebac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quouis modo vacans ea conditione tacita, vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscunq; cōtra Iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius, relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius pro se, vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter etiam si patrono laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat ill fieri.*

10 Secundus modus est dum recipitur beneficium ab altero, qui hoc ipsi resignat cum spe, & confidentia, vt recipiens beneficium, illud postea dimittat, vel soluat fructus in fauorem resignantis, amici, vel alterius, quem resignans nominauerit, vt clarè deprehéditur ex illis verbis d. Constit. Pij V. ibi. *Statuimus vt si quacunque auctoritate Ecclesiam, vel monasterium, aliudue beneficium ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis cum regressu, vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus eidem dimittendi, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.*

11 Cum autem supradicta Pij V. Constitutio, nec non & alia anterior Pij IV. de recipiente, non vero de resignante loquatur, non videtur prohibita resignatio, sed solum receptio confidentialis sub pręfata excommunicatione, vt optime resoluunt *Nauar. in man. cap. 23. num. 3. Azori. instit. mo-*

ral.par.3.lib.10.cap.10.Soar. de censur.tom.5.disp.22.sect. 6. num.15. Filliuc.tract. 15. cap. 5. nu. 122. Requiritur nanque solum vt resignans cum hac spe resignet, & resignatarius istum resignantis animum animaduertat, etiamsi recipiens hunc animum non habeat, vt innuit præfata Pij V. Constitut. ibi, *etiam sola dimittentis intentione receperit.* Vnde colligitur excommunicationem non incurri dum recipiens beneficium non animaduertit spem, & confidentiam resignantis, quia non dicitur recipere beneficium in confidentia, nec spes resignantis inficit actionem recipientis, cum receptio non sit actus resignantis, sed recipientis, qui labem simoniæ in hoc casu formaliter non participat.

12 Inducitur quoque contra simoniacos confidentiales priuatio omnium beneficiorum, ac pensionum prius obtentarum, non tamen in Conscientia per ipsum reum exequenda ante Iudicis sententiam, sicuti resoluunt *Vgol. tab. 1. de simon. cap. 22. §. 4. num. 4. Lessi. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 26.*

13 *in princip. Soar. d. lib. 4. de simon. c. 43. num. 13.* Et beneficia in confidentiam collata, & accepta Sedi Apost. reseruantur, vt ab inferioribus conferri non possint, fructus quoque interim malè percepti Cameræ Apostolicæ applicari debent, vt per *Paul. Layman in Theologia morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. num. 77. vers. quarto, vbi num.* 78. subdit ad pœnas istas incurrendas necessarium esse vt simonia confidentialis opere impleta sit, dato & accepto beneficio, licet accipiens vicissim suam promissionem non impleuerit, v. g. pensionem non dum soluerit.

14 Contra prauas consuetudines recipiendi à prouisis de beneficijs vide *Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap.* 14. & extat Constitutio Pij V. incip. *Durum nimis* sub Dat. 13. Iulij 1570. qua reuocantur priuilegia, & consuetudines Ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione, aut alia prouisione, seu admissione ad possessionem beneficiorum, relata per *Quarant. d. verbo simonia pag. mihi* 591. vbi dum venit ad pœnas contrafacientis, ita loquitur. *Quicunque contrafacerint, si*

Eccle-

Ecclesiarum Antistites tandiu à Pontificalis officij exercitio sint suspensi donec satisfactione præuia per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero & Collegia quæcunque Ecclesiastico subiaceant interdicto, & singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti ab alio quàm à Summo Pontif. absolutionis beneficium nequeant obtinere.

15 Vnde *Armendar. in addit. ad recopil. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis num. 10. resp.* 8. refert per Sacram Congregationem fuisse decisum consuetudinem donandi aliquid in ingressu & admissione alicuius ad Canonicatũ, beneficium, &c. fuisse sublatam per *Concil. Trident. d. cap. 14.* addit *Zerol. in praxi Episcop. par. 2. verbo possessio beneficij* § 5. *in fine* dulciaria multa esse de genere prohibitorum à *Concil. Trid. d. cap. 14.* ab aliquo Capitulo exigendorum pro admissione in possessionem alicuius noui Canonici.

16 Consuetudo vero rationabilis, & similiter statutum laudabile admittendum est per quod aliquid exigitur ab obtinentibus beneficium, & quotidianas distributiones, quod non in ipsorum exigentium vtilitatem, sed Ecclesię, aliosque pios vsus conuertatur, modo non pro ingressu ipso, & admissione, sed ad alium finem accipiatur, ità *Flamin. Paris. de confident. beneficialib. q. 38. num. 27. Monet. de distribut. quotid. p. 2. c. 18. num.* 55. *Bonacin. de simon. q. 7. §. 3. num.* 5. & alij plures, quos refert *August. Barbos. in collect. ad d. cap. 14. Concilij Triden. in fine.*

17 An autem transferens, aut vendens pensionem inconsulto Pontifice incurrat excommunicationem, aut alias pœnas à Iure latas contra simoniacos in beneficio, quæstio est ad præsens institutum non contemnenda, sed quia eam optime resoluit D. Theodorus Amydemus in Romana Curia aduocatus in quadam sua consultatione hac de re facta, ideo eam hic inserere operæ pretium duxi, & est prout sequitur.

Obtinens pensionem titulo clericali, & tanquam clericus non potest pretio illam transferre, seu cedere inconsulto Pontifi-

ce sine labe simoniæ *Nauar. in manual. cap. 23. num. 111. & consil. 60. num. 1. de simon. Paris. de confid. quæst. 42. num. 27. Tolet. lib. 5. cap. 82. §. Tertia pensio, & cap. 92. conclus. 4.* Non tamen sic transferens, aut vendens incurrit excommunicationem, aut alias pœnas à Iure latas cõtra simoniacos, quia illæ solummodo sunt latę pro simonia in beneficijs, vt notat *Azor. Instit. moral. tom. 2. lib. 8. cap. 10. in fine*, & nomine beneficij non venit pensio, vt idem *Azor. d. lib. 8. cap. 5. quæst. 4. & lib. 3. cap. 5. quæst. 2.* Et nihil commune habet pensio cum titulo *Rota coram Greg. XV. decis. 275. num. 12.* translatio tamen est nulla, quia totum hoc pendet à voluntate Papæ non à voluntate partium *Gabr. consil. 186. num. 6. lib. 1.* Et de iure naturæ pretium est restituendum illi, qui illud dedit, *Suarez lib. 4. de simon cap. 59. num. 23.* ex communi sententia, nisi fortasse posit retineri & compensari ad ęqualitatem cum fructibus pensionis. Si verò obtinens pensionem, vt mere laicus pro labore, aut opera mere temporali, tunc licitè potest eam vendere, aut pretio transferre sine licentia Papę, *Sot. lib. 9. de Iust. & Iure quæst. 7. art. 2. Azor. tom. 2. lib. 8. cap. 10. quæst. 10. Tolet. lib. 5. cap. 82. §. sed prima pensio, & cap. 92. concl. 2.* Hactenus D. Amydemus.

18 Hucusque egimus de censuris, quas incurrit simoniacus in beneficio, nunc verò agendum est de alijs pœnis contra illum in Iure comminatas, & in primis prouisionem beneficij simoniacè factam esse ipso iure nullã probant *cap. ea quæ*, cum alijs *1. q. 3. cap. cum clerici*, ibi, *spolietis*, *de pactis*, *Extrauag. cum detestabile*, *de simon. inter commun. Garz. de benefic. par. 4. cap. 1. num. 2.* quod procedit etiam in prouisione simoniace facta ignorante prouiso, quæ etiam est nulla ipso iure, *cap. ex insinuatione, de simon. cap. nobis eod. tit.* ibi, *penitus reprobanda*, *Soarez de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap. 57. num. 35. Lessi. de Iustit. lib. 2. cap. 35. num. 142. Garz. de benefic. par. 8. cap. 1. num. 4. cum seqq. Paul. Layman in Theolog. morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 9. num. 73. vers. porro.*

19 De-

19 Declara tamen vt procedat supradicta proxima resolutio in simonia reali ab vtraque parte completa per dationem rei spiritualis, & temporalis, non autem in simonia conuentionali, vt resoluunt *Gutier. canon lib. 1. cap. 9. num. 10. Cou. in reg. peccatum p. 3. §. 8. nu. 7. Nauar. in repet. cap. fin. de simon. ex num. 28. & in cap. si quando de rescript. excep. 4. & in man. cap. 23. num. 103. Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib. 7. q. 2. num. 16. & de confident. quæst. 1. num. 142. & 158. Petr. Ledesm. in sum. par. 2. tract. 12. ad fin. Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 56. num. 33. & cap. 57. num. 9. Auil. de censur. par. 3. disp. 5. dub. 2. suppos. 2. Less. d. lib. 2. cap. 35. dub. 27.*

20 Limita nisi aliquem in fraudem eligendi, aut instituendi ipso ignorante pecuniam largiatur, vt eundem ad beneficium inhabilem reddat, nam talis fraus homini malitioso contra innocentem prodesse non debet *cap. nobis fuit, cap. sicut, de simon.* Præterea excusatur electus, vel institutus, electioque vel institutio, valida reputatur si is expresse contradixerit, aut prohibuerit ne simoniaca datio, vel acceptio interueniret, quæ tamen nihilominus eo ignorante facta est, sed etiamsi in tali casu beneficio alicui valide, & legitime collato postea is simoniam ab altero commissam ratam habeat, valde probabile est ante Iudicis sententiam non infirmari collationem, quippe quæ semel absolute, & valide peracta fuit, sicuti docent *Nau. cons. 10. nu. 4. de simon. in nouis, Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 57. num. 32.* inclinat *Less. de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 144.* vbi *num. 138.* subdit quod si simonia commissa fuerit in collatione, vel confirmatione, propter quam ea irrita existat, non ideo tamen irritam etiam censendam esse electionem *arg. cap. si confirmationem, de elect. lib. 6.*

21 Amplia vt non solum prouisio beneficij simoniace facta per simoniam realem sit nulla, sed etiam simoniaci ipsi inhabiles sint ad illud beneficium obtinendum, vt patet ex *cap. nobis, de simon. & cap. pen. de elect. Less. d. cap. 35. num. 139. Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 58. num. 9.* qui etiam ad alia quæ-

cnnque

cunque beneficia redduntur inhabiles *Rebuff. conſ.* 59. *Pariſ. conſ.* 29. *num.* 26. *lib.* 4. *Lancell. de attent. par.* 3. *cap.* 24. *q.* 27. *num.* 3. loquentes in ſimoniaco reali, *Flam. Pariſ. de confident. q.* 1. *num.* 147. & 158. *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 15. *num.* 70. *Garz. d. par.* 8. *cap.* 1. *num.* 63. id ipſum reſoluentes in ſimoniaco conuentionali. Quod quidem de inhabilitate ad beneficia ſine difficultate procedit ex d. Conſtit. Pij V. incip. *Cum primum verſ. Et vt ſimoniace*, vbi ſic dicitur. *Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniace acquiſiuerit, illis ſit ipſo iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcunque alias obtinendas, qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea & quæcunque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda*, refert *Nauar. conſ.* 92. *de ſimon.* quamuis ipſe exiſtimet illam Conſtitutionem ita videri intelligendã vt nõ cenſeatur habere locum in foro cõſcientiæ ante ſententiam, ſed contrarium deprehenditur ex verbis dictæ Conſtitutionis, & per eam tenent *Vgolin. tab.* 4. *de ſimonia cap.* 6. §. 6. *num.* 2. *Soar. d. lib.* 4. *de ſimon. cap.* 58. *nu.* 10. & 11. *Filliuc. tract.* 45. *cap.* 13. *quæſt.* 9. *num.* 26. *Bonacin. de ſimon. quæſt.* 7. *pun.* 2. *diffic.* 2. *nu.* 3. *Garz. d. p.* 8. *c.* 1. *nu.* 72.

22 Vtrum autem ſimonia in beneficijs per ſe loquendo inducat ipſo facto priuationem beneficiorum antea rite obtentorum? negatiue reſpondent *Vgolin. tab.* 1. *de ſimon. cap.* 19. *Soar. d. lib.* 4. *de ſimonia cap.* 58. *num.* 3. *Filliuc. d. cap.* 13. *q.* 9. *num.* 24. *Auil. de cenſur. p.* 3. *diſput.* 5. *in fine Paul. Layman in Theolog. morali lib.* 4 *tract.* 10. *c. vlt. num.* 74. *Bonacin. d. q.* 7. *puncto* 2. *diffic.* 1. *num.* 1. vbi *num.* 2. ſubdit hoc ipſum procedere non ſolum in beneficijs rite antea obtentis, verum etiam in alijs actibus ordinatis ad obtinẽda beneficia, ac proinde bene exiſtimat ſimoniam in beneficijs non ſolum nõ inducere priuationem beneficiorum antecedentium, verum nec inducere irritationem aliorum actuum præcedentium ordinatorum ad perfecte obtinendum beneficium, & inter ſe ſubordina-

ordinatorum, vt sunt electio, confirmatio, & collatio, & *nu.* 3. secus dicendum ait si crimen simoniæ committatur in actu præcedenti, v.g. in electione, quia tunc confirmatio irrita erit, etiamsi per se & absque simoniæ labe celebretur.

23 Limita tamen hanc proximam resolutionem tripliciter, primò in simonia confidentiali, quæ priuat ipso iure non solum beneficijs, super quibus commissa est confidentia, sed etiam alijs, & dignitatibus obtentis ante, vt in d. Constit. Pij V. tradit *Flam. Paris. de confident. benefic. q.* 58. *ex nu.* 31. secundò in simonia cōmissa in electione Papæ iuxtà Constit. Iulij II. incip. *Cum tam diuino* sub Dat. 14. Ianuarij 1505. de qua in Bullario nouo *tom.* 1. *pag.* 403. *in ordine* 3. & refert *Iul. Lauor. post tract. vari. lucubrat. in Iuribus diuersis in opere citatis pag.* 525. Tertiò in simonia commissa ab examinatoribus in Synodo constitutis, seu electis, isti enim non possunt quicquam occasione examinis accipere, alioquin ipso facto priuantur beneficijs antea ritè obtentos, & tenentur illa dimittere, etiam ante sententiam Iudicis declaratoriam criminis, vt aperte constat ex *Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 18. *in vers. Caueant*, quod late declarat *August. Barbos. de officio, & potest. Episcopi par.* 3. *alleg.* 60. *ex num.* 52.

24 An etiam committentes simoniam in beneficijs priuentur non solum illis, vt dictum est, sed etiam pensionibus, poterit ab aliquo in dubium reuocari, in quò negatiue est respondendum, cum pensio non veniat sub priuatione beneficiorum, *Selu. de benefic. p.* 1. *q.* 3. *n.* 11. *Hoied. de incompatibil. benefic. in præfat. nu.* 3. *&* 4. *& p.* 2. *c.* 7. *num.* 4. iunctis adductis per *August. Barbos. in tract. de appellat. verborum vtriusque Iuris appellat.* 32. *n.* 2. Committentes autem confidentiam pensionibus priuantur ex peculiari dispositione d. Constit. Pij V. *in §. sed ne quisquam*, prout refert *Flamin. Paris. de confident. q.* 58 *num.* 57.

25 Cum autem ex dictis constet de sic magna simoniaci in beneficijs inhabilitate, illum igitur irregularem esse affirmāt *Lambertin. de Iurepatron.* 1. *par.* 2. *libri q.* 9. *art.* 10. *num.* 4.

*Maiol. de irregul.lib.5.cap.45.num.1.Flamin.Parif. de confi-dent q.61.num.*14. ſed id Iure communi non probatur, quia nullibi hæc irregularitas reperitur expreſſa cum non incurratur niſi in caſibus à Iure expreſſis ex adductis per *Flamin. d. q.61.ex num.2.* & ideo contrarium meritò ſuſtinent *Nau. conſ. 91. & 97. num. 8. & 11. de ſimon. Vgolin. tab.4. de ſimon.cap 6.§.5.num.2. Soar.d.lib.4.de ſimon.cap. 56. num. 20.* idque in ſimoniaco in Ordine *Soar.d.num.20.Leſſi.d.lib. 2. c. 35. num.136.ad fin.*quicquid aliud velint *Nau.d.conſ.97.nu. 10.& Vgolin.d.tab.4.cap.4.§.2.*

26 Alia pœna contra ſimoniacos eſt ſtatuta, vt non faciant fructus ſuos perceptos ex beneficijs ſimoniacè obtentis, ac proinde illos reſtituere teneātur etiam ante Iudicis ſententiā, *Extrau.2.de ſimon.inter commun.* ibi, *cuiquam ius nullatenus acquiratur,nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium,quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus, Rodoan. de ſimon.par.4.cap.11. num.30.cum ſeq.& cap. 14. num.20. Flamin.Pariſ. de confiden.q.60. à princ. Bonacin.de ſimon. q.7.puncto 3.diffic.2.num. 4.*

27 Intellige primò de fructibus etiam non perceptis, qui tamen percipi debuerunt, quamuis vt illos perciperet Eccleſiæ inſeruiret, vt per *Rebuff. in praxi benefic. tit.de ſimon. per reſignat. num.15.& in tract. de pacificis poſſeſſor. num.* 189. *Menoc. conſ. 67. num.6.* quos refert & ſequitur *Auguſt. Barboſ. in collect.ad d.Extrauag.2. num.18.Flamin.Pariſ.d.q.60.*
28 *num.17.* vbi ait confidentiarios teneri in foro Conſcientiæ reſtituere etiam fructus qui potuiſſent à diligenti percipi.

29 Intellige ſecundò etiam de fructibus conſumptis, quos reſtituere teneri ſimoniacum reſoluit *Vgolin.tab.4. de ſimon. c. 6.§.3.*vbi *num 4.*declarat vt ſint reſtituendi exceptis expenſis factis cauſa illorum quærendorum, ac in Eccleſiæ vtilitatem erogatis, quod ante eum tenuerat *Borgas. de irregular. par.6.tit. de ſimon.num.*85. prout illos refert *Auguſt. Barboſ. in collect.ad d.Extrauag 2.in fin.*

30 Cui ſint reſtituendi fructus percepti in beneficio ſimoniace

acquiſito

acquisito, variæ sunt Doctorum sententiæ, quidam enim tenēt Cameræ Apost. restituendos nisi compositio ab ipsa obtineatur, vbi spoliorum vsus viget: alii scripserunt spectare ad successorem in beneficijs, in quibus fuit commissa simonia, vbi consuetudine receptum fuerit vt fructus beneficij vacantis ad successorem pertineant: alij voluerunt restituendos pauperibus; nonnulli firmarunt esse conuertendos in vsum Ecclesiæ, sed quia esset nimis proluxus singulorum opiniones referre, qui eas videre desiderat, consulat *Nauar. cons. 62. de simon. Flamin. Paris. d. q. 60. num. 35. cum multis seqq. Lessi. d. lib. 2. cap. 35. dub. 31. num. 174. Bonacin. de simon. q. 7. puncto 3. diffic. 2. num. 5.* vbi *num. 6.* post *Azor. par. 3. lib. 12. cap. 24. q. 3* subdit moderatores simoniæ commissæ in beneficio non solum teneri ad restitutionem pretij, quod ipsi per simoniam acceperunt, verum etiam teneri in defectum beneficiarij ad restitutionem fructuum perceptorum, nam ipsi censentur causa, & cooperatores damni.

S V M M A R I V M.

1 *Extrauag. 1. de simon. refertur.*

2 *Pœnas Extrauag. 1. de simon. vt quis incurrat, opus est vt adsit præsumptio, & datio, vel receptio fiat ex pacto pro ingressu in Religionem.*

3 *Pœna Iuris contra dantes aliquid pro ingreßu, seu receptione ad habitum, non incurritur nisi professio subsequatur.*

4 *Dans, seu recipiens aliquid pro sustentatione ingredientis Religionem ob necessitatem non incidit in pœnas Extrauag. 1. de simon. nec ante emißam professionem vt nu. 5. nec dans captando beneuolentiam illecebris, vel munusculis gratis, vt num. 6.*

7 *Moniales dantes, vel recipientes aliquid pro ingreßu, vel receptione ad habitum non incurrunt excommunicationem Extrauag. 1. de simon.*

8 *Suspensio, quam eo ipso incurrunt Capitulum, & Couentus*

dando, vel recipiendo aliquid pro ingressu in Religionem an sit ab officio, & beneficio, ostenditur.

ARTIC. V.

Simoniacus in dando, vel recipiendo aliquid pro ingressu in Religionem quas censuras & pœnas incurrat?

1 VRBANVS IV. *in Extrauag. 1. de simonia inter communes* statuit vt nullus siue priuatus, siue Prælatus, aut mas, vel monialis, seu conuentus ipse à volentibus ingredi eorum Religionem, seu loca in eorum receptione, siue ante, siue post, pręsumat petere, vel exigere quidlibet directe, vel indirecte, pastus, iugalia, pecunias, vel alias res, etiam ad vsum Ecclesiasticum, vel pium deputandas. Contrauenientes vero, si sint singulares personę, excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt, si est Capitulum, vel Conuentus fit suspensus eo ipso, nec potest absolui nisi à Papa, alijs pœnis Iuris in suo robore remanentibus, nisi ipsa persona ingrediens pure, sponte, plena liberalitate, & omni pactione cessante dederit, vel obtulerit aliquid Ecclesiæ, seu monasterio, aut pio loco, refert *Paul. Layman in Theologia morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 7. num. 69.*

2 Cuius quidem *Extrauag.* pœnas vt quis incurrat opus est vt adsit præsumptio, nam in illa bis repetitur hæc verba, *qui præsumunt*; præterea opus est vt datio vel receptio fiat ex pacto pro ingressu in Religionem, vnde prædictas pœnas non incurri quoties aliquid sponte, & liberaliter, seu sine pa-

ctione tacita, vel expressa traditur, resoluunt *Nau. in man. cap. 27. num. 206. excom. 20. Bonacin. de simon. q. 7. §. 4. num. 4. Fr. Barthol. de Vecchis in praxi seruanda in admittendis ad Religionis statum nouit. disput. 1. dub. 3.* quos refert & sequitur *August. Barbos. in collect. ad d. Extrauag. 1. num. 2.*

3 Illud tamen aduertere oportet quod licet simonia committi etiam possit dando aliquid pro ingressu, seu receptione ad habitum, pœna tamen Iuris non incurritur nisi professio subsequatur antequam simoniaca pactio retractetur, quia cum talis pactio principaliter ordinetur ad suscipiendam professionem, ea non sequuta non censetur perfecte consummata simonia, ita ex *Soar. Paul. Layman in Theologia morali lib. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 9. num. 70. vers. duo.* Quod autem *in cap. de Regularibus & in cap. quoniam, & in cap. dilectus il 2. de simon.* iuncta *Extrauag. 1.* significatur Religiosos scilicet simoniace ad professionem admissos expellendos esse, & in aliud arctius monasterium ad pœnitentiam agendam includendos, non obligat ipso iure, & in Conscientia antequam à Iudice legitime infligetur, sed post condemnationem non potest inferior Papa dispensare seu restituere præterquam si ignorãtia intercesserat, aut si necessitas postulet, vt in eodem monasterio simoniacus remaneat, ita *Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 57. num. 8. & cap. 61. num. 7. Vgolin. de simon. tab. 1. cap. 4. §. 4. Paul. Layman. d. num. 70. vers. alterum.* Nec obstat quod *Nau. comment. 2. de Regular. num. 25.* contrarium sentire videtur, quia *Layman.* citato loco eum bene carpit, vt apud illum videre libet.

4 Excommunicatio vero, & aliæ pœnę in *d. Extrauag.* comminatæ in aliquibus casibus non procedunt, cum nec ille tex. in eis locum habere possit. Primus est in dante, seu recipiente aliquid pro sustentatione ingredientis Religionem ob necessitatem, hunc enim non incidere in dictam excommunicationem meritò resoluunt *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. Caiet. in sum. casu 73. Nau. d. excom. 20. vers. nec per acceptionem, Soar. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 5. num. 9. & seq. Filliuc.*

tract.

tract. 15. *cap.* 4. *q.* 6. *num.* 64. *& seq.* aduertens quod si monasterium diues sit non poterit quicquam licite dari vel accipi, & dando, vel accipiendo censura incurritur. Quamuis probabilitate non careat eorum sententia, qui asserunt istam excommunicationem non incurri dando, vel recipiendo aliquid pro sustentatione ingredientis, etiamsi monasterium diues sit, & locuples, ex quorum numero sunt *Siluest. in sum. verbo simonia num.* 15. *Sot. de Iustit. lib.* 9. *q.* 6. *art.* 2. *ad* 4. *Fr. Ludou. Miranda in tract. de Monialib. q.* 8. *art.* 7. *concl.* 2. *Bonacin. d. q.* 7. §. 4. *num.* 4. *vers. secunda sententia*, vbi eam limitat modo non adsit excessus, & præciso scandalo, alioue peccato, refert *D. Augustin. Barbos. in collect. ad d. Extrauag.* 1. *num.* 3.

5 Secundus est in dante, vel recipiente aliquid tempore receptionis ad habitum nisi professio emittatur, quia censura non incurritur nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus, qui solum adest dum fit traditio rei temporalis, & spiritualis, nempe professio, seu admissio ad professionem, vnde si receptio ad habitum fuit simoniaca, sed professio postea gratis admittitur, quia scilicet factum retractatur, & pecunia non recipitur, vel redditur, excommunicatio non incurritur, sicut ex opposito incurretur si receptio ad habitum gratis facta fuit, sed postea tempore professionis aliquid exigitur, ita *Soar. tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de simon. cap.* 56. *num.* 7. *Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib.* 23. *nu.* 173. *Filliuc. tract.* 45. *cap.* 13. *q.* 4. *num.* 12. *Bonacin. d. q.* 7. *puncto* 4. *nu.* 11. refert & sequitur *Augustin. Barbos. in collect. ad d. Extrauag.* 1. *num.* 5.

6 Tertius est in captante beneuolentiam illecebris vel muneribus gratis & absque vllo pacto factis vt quis sponte Religionem ingrediatur, quia hęc est liberalis omnino donatio nullo pacto vestita, quæ in egregium finem dirigitur, ita *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. *& q. vlt. art.* 9. *Azori. instit. moral. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 1. *Soar. d. lib.* 4. *de simon. cap.* 16. *nu.* 3. *& tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 15. *Sanch. de Matrim.*

lib. 1.

lib.1.disput.39. num.2.Lessi.de Iustit. lib. 2. cap. 35. dub. 12. Barthol.de Vecchis in d. praxi disput. 1. dub. 2. quos refert & sequitur *D.Augustin. Barbos.in collect. ad d. Extrauag.* 2. *num.*7.

7 Quartus est in monialibus, quæ hac excommunicatione non afficiuntur, tum ex consuetudine legitimo tempore recepta & tolerata post illam *Extrauag.* tum quia multi Pontifices exemerunt ab hac censura Moniales accipientes dotem ob ingressum alicuius monasterij, de quo plura priuilegia referunt *Capuccin.in compend. priuileg. verbo Moniales num.*16. & 31. *Ludou. Miranda in tract. de sacris Monialib. q.8.art.7.concl.1. Lessi.de Iustit. lib.2.cap.35. dub.* 13. *num.* 141. & demum id comprobari communi Ecclesiæ vsu & consuetudine tradunt *Surd.de aliment.tit.9.q.* 27. *num.* 5. *Soar. tom.3.de Relig.lib.5.cap.9.num.15.Fr.Barthol.de Vecchis in d. praxi disput.1.dub.3.num.5. Paul. Layman in Theologia morali lib.4.tract.10.cap.vlt.§.7.num.*70.

8 De suspensione autem, quam per *d.Extrauag.*eo ipso incurrunt Capitulum & Conuentus dando vel recipiendo aliquid pro ingressu in Religionem, solet dubitari an sit ab officio, & beneficio, & quamuis aliqui affirmatiuè respondendum esse existiment, eo quòd nomine suspensionis absolute prolatæ comprehenditur totalis suspensio iuxtà tradita per *Augustin.Barbos.in tract.de appellatiua verb.vtriusq; Iuris signif. appell.256.num.*1. tamen probabilior est sententia eorum, qui tenent Capitulum suspendi ab omni actu, seu officio Capitulari, & communi, quod iurisdictionem, & administrationem Ecclesiasticam requirit: ratio est quia Capitulum in communi non est capax alterius suspensionis, & tota illa iurisdictio comprehenditur sub absoluta sententia suspensionis: ita *Soar.tom.1.de Relig. lib.4.de simon.cap.56.num.* 8. *Mar. Alter.de censur.tom.2.disp.17.cap.2,ad fin. Filliuc. tract.* 45. *de simon.cap.*13.*num.*12. quos refert, & sequitur *August. Barbos. in collect.ad d.Extrauag.1.num.8.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Simoniacus potest accusari ciuiliter, vel criminaliter.*
2 *Probationes ordinariæ sufficiunt ad probandum crimen ciuiliter intentatum.*
3 *Probatio plenissima, & exactissima requiritur quando agitur contra simoniacum criminaliter ad priuationem.*
4 *Confidentia debet plenè, & concludenter probari vbi criminaliter agitur.*
5 *Actio quando ad priuationem instituitur non sufficit qualibet, sed requiritur exactissima probatio, etiamsi ciuiliter agatur.*
6 *Testes singulares non admittuntur ad simoniam probandam.*
7 *Simoniæ, siue confidentiæ probatio vt concludens constituatur, est necessarium probare præcedentem tractatum, & conclusionem pacti.*
8 *Simonia recipit formalitatem ex conuentione.*
9 *Simonia vt concludenter probetur non sufficit probare solum præcedentem tractatum, nisi probetur etiam sequuta effectuatio.*
10 *Socius criminis admittitur in testem ad probādam simoniam etiam in ciuilibus, nisi sit socius criminis & muneris.*
11 *Socius & particeps criminis admittitur in ijs criminibus, quæ solent perpatrari occulte, & veritas aliunde haberi non potest.*
12 *Socius criminis probat contra reum, qui simoniam commisit, non contra tertium.*
13 *Probatio priuilegiata non admittitur nisi contra illum, qui est in dolo.*
4 *Socius criminis non admittitur in testem quando agitur ciuiliter.*
15 *Coniecturæ, & præsumptiones admittuntur ad simoniæ probationem, dummodo plene probentur, & sint adeo vrgentes quod reum de crimine conuincant, vt num. 16.*

ARTIC.

ARTIC. VI.

Simonia quibus modis probetur?



1 CONTRA simoniacum duplici modo agi poteſt ciuiliter, ſcilicet ad effectum repellendi eum ab aſſecutione beneficij obtinendi, ſeu in iudicio prelationis, vel ſecundo modo ad priuationem beneficij obtenti: inter vnum & alterum quoad probationes ſimoniaci criminis magna verſatur differentia, nam primo
2 modo ſufficiunt probationes ordinariæ, nec tam exactæ & concludentes ſicut in ſecundo vt infra oſtendemus, *Card. Seraphin. deciſ. 516. num. 3. & 4. Rot. deciſ. 77. num. 2. poſt vol. 1. conſil. Farinac. Mareſcot. var. reſolut. lib. 2. cap. 35. num. 19. Beltramin. in addit. ad deciſ. 238. Gregorij XV. num. 13. D. Ferentil. in Romana Curia aduocatus inſignis*, qui adhuc iuuenis de ſe multa, & grauia in dies pollicetur, in ſuis laborioſis annotat. ad deciſiones bonæ mem. Buratti *deciſ. 445. num. 15.*

3 In ſecundo verò caſu quando ſcilicet agitur criminaliter ad priuationē, pleniſsima & exactiſsima requiritur probatio, *Abb. in cap. veniens il 1. num. 4. de teſtib. Alex. de Neuo conſ. 64. nu. 2.* & ſæpiſſime fuit tentum in Rota, & ſignanter in vna Tullen. prætenſæ ſimoniæ vlt. Ianuarij, & 21. Aprilis 1597. coram Orano, impr. per *Farinac. poſt vol. 1. conſil. 75. num. 13.* vbi *numeris ſeqq.* aliæ plures deciſiones ad idem impreſſæ reperiuntur, *Seraphin. deciſ. 1029. num. 2. Caualer. deciſ. 352. num. 1. Buratt. d. deciſ. 445. nu. 6.* Et in ſimili de con-
4 fidentia quòd illa debeat plene, & concludenter in hoc caſu probari reſoluunt *Alciat. conſ. 2. num. 20. tom. 1. Card. Seraph. deciſ. 1359. nu. 3. Rot.* poſt *d. lib. 1. conſil. Farin. deciſ. 135. nu. 1.*

Ff & poſt

& post *lib.2.decis.234.num.9.& inter recent.decis.418.par.1. Gregorij XV.decis.238.num* 1. & in Toletana pensionis 27. Ianuarij 1627.coram R.P.D.Dunozetto iun.refert *D.Ferent.*
5 *in annot.ad d.decis.445.Buratti nu.11.* Ratio est quia quando ad priuationem instituitur actio non sufficit quęlibet, sed requiritur exactissima probatio, etiamsi ciuiliter agatur, *Farinac.d.cons.75.num.106.& 108.lib.1.R.P.Ascan.Tamburin.* è nostra Religione in suo docto *Tract.de Iure Abbatum tom.1. disput. 10. nu.11.* tum quia necesse est quod quis sit legitime conuictus, vt clare habetur in Constit.Pij V.felicis mem.contra simoniacos, & est tex. *in cap.de hoc,de simon.& glos.verbo pro illorum*, communiter approbata *in.d.cap.veniens il 1. de testibus,Caualer.d.decis.352.num.2.*
6 Vnde ad eam probandam non admittuntur testes singulares *Pute.decis.271.num.11.lib 2.Seraphin.decis.1029. nu. 11. & seq.Farin. d. cons.75. num. 9. & 27. in fine & 29.* & fuit dictum in Leodien Canonicatus S. Ioannis 18. Decembris *1619.* coram bonæ mem.Vbaldo sen.refert *doctissimus D.Ferentil in annot.ad d.decis.Buratti.445.num. 12.*
7 Et ad constituendam concludentem probationem simoniæ, siue confidentiæ est necessarium probare præcedentem tractatum, & conclusionem pacti *cap. Astaldus 8. q. 3. Alciat. cons. 3. num.20. lib.1. Rot.decis. 108. num. 3. par.1. & decis. 166. num.2. & decis. 358.num.2. par.2.recent.* vbi quod si-
8 monia recipit formalitatem ex conuentione, & in d.Leodien Canonicatus coram bonæ mem.Vbaldo sen.in qua alię referuntur, & in d.Toletana pensionis coram R.P.D.Dunozzetto
9 iun.quę loquitur in materia confidentiæ. Nec sufficit probare solum tractatum nisi probetur etiam sequuta effectuatio, Rot.in Romana, seu Hispalen simoniæ *coram Card.Blanchetto* post *d.cons.75.Farinac.num.80.Card. Caualer. d. decis. 352.num* 4.
10 Et quamuis in odium simoniaci socius criminis admittatur in testem ad probãdam simoniam etiam in ciuilibus,quod est speciale in hac materia *cap.1.de testib.lib.6.Ruin.cons.189. num.3.*

num.3.lib.5.Boer.decis.319.num.2.Benintend.Bonon.decis.61. Mascard.de probat. concl.1311. num. 25. Menoch. de arbitr. casu 474. num.31. Rebuff. in tract. de reprobat. testium num. 339. cum seqq. Flamin.Paris. de resign.benefic.tom.2.lib. 14. q. 10.num.9. Augustin.Barbosa in collect.ad d.cap.1.nu. 2. Rot. in Balneoregien simoniæ 17. Maij 1624. coram Reuerendiss. D.meo Decano, D. Ferentil. in annot.ad d.decis.445.num.14. tamen hoc fallit si est socius criminis, & muneris *cap.veniens il 1.de testib.Mascard.de probat.concl.1311.num.26. Flamin. Paris. d.q.10.num.28. Mari.Antonin.var.resolut.lib.3. resol. 34.num.4.16.& 17. Caualer.d.decis.352.num. vlt. Rot. in d.*

11 *Balneoregien simoniæ*. In his enim criminibus, quę solent perpetrari occulte, & veritas aliunde haberi non potest, admittitur particeps, & socius criminis, vt per *Morl. in emporeoluris tom. 1. tit. 11. in prælud.n.79.Mascard.d.concl.1311. num.34. Flamin.Paris. d.q. 10.à num.23. Martin Del ri.disquisit.magic. lib.5.cap.17.pag.mihi 455.* quos refert *August. Barbos.in collect.ad d.cap.veniens il.1.num.3.*

12 Intellige hanc resolutionem vt scilicet socius criminis probet contra illum, qui simoniam commisit, secus vero contra tertium, *Alciat.cons.2.num.10.Farin.in praxi crimin q. 43. num.53.in fine, & sequitur Rot.in d.Balneoregien simoniæ, & in Squillacen beneficij 28.Iunij 1624.coram bonæ mem. Pa-*

13 *triarcha Manzanedo*, ea ratione quia priuilegiata probatio, qualis est ista, non admittitur nisi contra illum, qui est in dolo, *Alciat.d. cons.2.num.8. lib.1.tom.1.Farin. d.q.43.nu.53.* refert.*D.Ferentil.in annot.ad d.decis.445.nu.14.*

14 Limita tamen vt in hac simoniæ probatione socius criminis non admittatur in testem quando agitur ciuiliter, & declarat tex. *in d.cap.1.de testib.lib.6.Flamin.Paris. de resign. benefic. lib.vlt.q.vlt.num.43. D. Ferentil. vbi supra num. 14.*

15 Verum cum hoc delictum occulte committi soleat, & ideo difficilis sit probationis, admittuntur ad illius probationem etiam coniecturæ, & præsumptiones iuxta opinionem *Butr. in cap.sicut, de simon.*vbi *Abb.num.3.Aym.cons. 122. num. 7.*

Clar.in §.simonia nu.11.Flamin.Paris.de resign. benefic.lib.14. q.8.Seraphin.decis.1029. num.2.Card.Caualer. d. decis. 352. num.3.Rot.in d. Balneoregien. simoniæ coram Reuerendiss. D. Coccino, & de confidentia idem tradunt *Paris.de confident. q. 13.num.23.Card.Seraphin.decis. 1359. num.2.& 3.*refert *D. Ferentil.in annot.ad d.decis.435. lit. B.*addo *August.Barbos. in collect. ad cap.si dominus num.2.de simon.*

16 Huiusmodi tamen coniecturæ, & præsumptiones debent plenè probari, & esse adeo vrgentes,quod non possint aliud importare,& reum de crimine conuincãt *Alex. de Neuo cons. 64.nu.2.* vbi declarat ita esse intelligendam opinionẽ Butrij, *Alciat.d.cons.2.nu.41.Clar.d.§.simon.in 11.vers.scias,Seraphin. d.decis.1359.num.2.Greg.XV.d.decis.238.nu.1.& decis.517. nu.2.Caualer.d.decis.352.num.3.Buratt.d.decis.445. num. 7.* & ibi *D.Ferentil. lit.B.in fine*, plura allegat, qui vere aureas annotationes eleganti stylo compositas, & in rebus quotidianis, ac in praxi,& frequentibus quæstionibus ad publicam vtilitatem, & maiorem Curialium commoditatem elaboratas in lucem nouissimè edidit, maiora daturus si vitæ vsura longior Dei benignitate dabitur.

S V M M A R I V M.

1 *Dispensare in simonia Iure naturali, vel diuino inducta nullus potest.*

2 *Papa potest dispensare in simonia contra Ius Canonicum inducta.*

3 *Episcopus cum simoniaco occulto quando possit dispensare, ostenditur.*

4 *Papa solus potest conualidare collationes simoniace factas, & dispensare in inhabilitate non solum ad beneficium simoniace obtentum, sed etiam ad alia beneficia obtinenda.*

ARTIC.

ARTIC. VII.

Quis posit in censuris, & pœnis contra simoniacos latis dispensare?

1 NVLLVS homo potest dispensare in si-
monia Iure naturali, vel diuino indu-
cta, in potestate enim hominis positum
non est legem naturalem, vel diuinam
2 tollere. At verò in simonia contra Ius
Canonicum inducta Papa dispensare
potest eximendo aliquem à lege Ec-
clesiastica, per quam aliqua actio tan-
quam simoniaca prohibita fuerit intuitu Religionis, ita *Va-
lent. tom.3. disput.6. q.16. puncto 6. ad fin.* non vero Episco-
pus, quia inferior non dispensat in lege superioris, *Azor. in-
stit. moral. par.3. lib.12. de simon. cap.32.* Virtute tamen *Con-
3 cil. Triden. sess.24. de reform. cap.6.* poterit Episcopus dispen-
sare cum simoniaco occulto non tamen illum rehabilitare ad
beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quę
per simoniam occultam obtinuit, ita per Sacram Congreg.
decisum fuisse testantur *Soar. de Relig. tom.1. lib. 4. de simon. c.
61. num.11. Lessi. de Iustit. lib.2. cap.35. num. 140. Garz. de be-
nefic. p.8. cap.1. num.74. Armendar. in addit. ad recop. legum
Nauarræ lib.1. tit.18. l.7. de irregul. in declarat. nu. 15. & 16.*
quos refert, & sequitur *August. Barbos. de offic. & potest. Epis.
par.2. alleg.39. nu.44.* quibus addo *Bonacin. de simon. q. 7. §.
6. num.11.* vbi obseruat Sixtum V. reuocasse omnes facultates,
& concessiones etiam Cruciatæ absoluendi huiusmodi simo-
niacos, *& §.7. num.5.* subdit ex eo quod Sixtus V. mandat ab-
solutionem non ab alio quàm à Sede Apostol. obtineri, non
posse iam Episcopum absolutionem impendere, etiamsi deli-

ctum simoniæ esset occultum, & idem repetit *ead. q. 7. puncto 2. dif. 2. sub num. 4. vers. hinc sequitur*, vbi id ipsum probat ex eo quod facultas Episcopis concessa in *Conc. Trid. citato loco* non extenditur ad casus post eundem *Concil.* reseruatos, iuxta quandam Gregorij XIII. & Sacræ Congregationis declarationem.

4 Vnde iam colliges ad Papam pertinere conualidationem collationis, & dispensationem inhabilitatis non solum ad beneficium simoniæ obtentum, sed etiam ad alia beneficia obtinenda, *Filliuc. tract. 45. cap. 13. quæst. 12. num. 38.* quamuis *Nauar. cons. 32. de simon. Emman. Sa in aphorism. verbo simonia num. 9. & Soar. d. lib. 4. de simon. cap. 61. num. 11.* existiment non esse opus dispensatione ad alia obtinenda beneficia, quia Bulla Pij V. inhabilitatem inducens ad beneficia, & officia in futurum obtinenda, intelligitur solum pro foro externo, & quatenus intelligeretur pro foro Conscientiæ non videtur vsu recepta, ex quo sequitur Episcopum non posse hac in re dispensare nisi forte simonia commissa fuerit à tertia persona inscio prouiso, & beneficium sit simplex, & iam facta sit resignatio ab ipso prouiso, in hoc enim casu Episcopus dispensat iuxta *cap. pen. de elect. Azor. instit. moral. par. 3. lib. 12. de simon. cap. 22.*



IVRA

IVRA DIVERSA,

Quæ in hoc tractatu citantur ad maiorem studentium commoditatem in vnum integrè ponuntur.



Paulus Venetus Papa II.

Omnes simoniaci cuiuscunque dignitatis, aut status, sunt ipso facto excommunicati: nec habent simoniace ordinati ordinis executionem. Et electiones, aut aliæ prouisiones per simoniam factæ non valent, nec ius percipiendi fructus tribuunt. Mediatores etiam simoniæ eadem censura ligantur, qui à solo Papa absoluentur, & omnes prędicti sunt Romano Pontifici reuelandi.

Extrauag. II. de Simonia inter communes.



VM detestabile scelus simoniacæ prauitatis, tam diuinorum quàm sacrorum canonum auctoritas abhorreat atq; dãnet: Nos considerantes, quod plures pœnarum grauitas, quam Dei timor arcere solet à voluntate peccandi, ac summis desiderijs affectantes, vt horum pestiferum vitium non ex vsu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitus euellatur: prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigijs inhærentes, ac etiam omnes, & singulas excommunicationis, suspensionis, priuationis, & interdicti sen-

ten-

tentias, censuras, & pœnas dudum à Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis contra simoniacos quomodolibet latas, & illos, qui cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiam si Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel alia quauis Ecclesiastica seu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet tam manifestum quàm occultum, quas ipso facto eos incurrere volumus, confirmantes & innouantes Apostolica auctoritate declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.

Per electiones vero, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, in ecclesijs, monasterijs, dignitatibus, personatibus, officijs ecclesiasticis, & quibusuis beneficijs, aut aliquo eorum cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.

Statuentes præterea, quod vniuersi, & singuli etiam præmissis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolui, præterquam in mortis articulo constituti.

Et vt huiusmodi labis cōtagiū frequentius reprimatur, omnibus & singulis Ecclesiasticis, sæcularibusque personis cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ districtius iniungimus, vt eos omnes, quos simoniam huiusmodi commisisse vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciuerint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per se vel alios reuelare quantocitius non omittant. Pro reuelatione huiusmodi etiam si complices fuerint, non solum veniam à nobis, sed etiam gratiam consecuturi, si eorum iudicio participes tanti criminis valeāt coerceri. Quod si non fecerint, absolui non valeant, donec prædi-

cta reuelent, & complices huiusmodi detecti arctius punientur, Nulli ergo, &c. nostræ confirmationis, innouationis, declarationis, & voluntatis infringere, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1464. ix. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno primo publicata die xxiiij. Nouembris, Anno prædicto.

Concil. Trid. sess. 21. de Reformat. Cap. I.

Quod gratis omnino facienda sit cuiuslibet Ordinis collatio.

QVoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri, quouis prætextu accipiant. Notarij verò in ijs tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissorijs, aut testimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere possunt; dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex notarij cōmodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire possit, tunc enim gratis operam suam eos præstare omninò teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ simoniacæ prauitati fauentes nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo, & qui secus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, vltra diuinam vltionem, pœnas à Iure inflictas ipso facto incurrant.

Concil. Trid. sess. 24. de Reformat. Cap. 14.

De abolendis malis consuetudinibus & impositionibus in Ecclesijs circa prouisiones, & collationes.

IN pluribus ecclesijs, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis & parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligitur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis ecclesiæ, vel beneficij, Canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, suæ deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesuè illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus ecclesijs dicuntur Turnorum lucra, interponantur: hæc cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, vt quæcumque huiusmodi in vsus pios non conuertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant: ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantùm, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas vt paruas ac scandalosas reijciant & aboleant. Eos verò, qui aduersus hæc in præsenti decreto comprehensa, quauis ratione commiserint, pœnis contra Simoniacos editis sacris Canonibus, & varijs summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innouat, teneri decernit: non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, de quarum subreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis delegatus cognoscere possit.

Paulus IV. in Cõstit. sua incip. *Inter cæteras curas* sub Dat. Romæ pub. sub die 27. Nouem. 1557.

Contra eos, qui pro obtinendis beneficijs seipsos pro alijs in examine supponunt, vel annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro alijs, vt ab eis aliquid consequantur, vel pro se ipsis, vt alijs postea cum pensione resignent.

NOS præmissis fraudibus, & dolis, ac hæresi Simoniacæ quantum cum Deo possumus efficaciter occurrere volentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, atque decernimus, quod de cætero omnes, & singuli, qui post publicationem præsentium in locis infrascriptis faciendam occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulauerint, & tanquam tales se in examine supposuerint, aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se, vel pro alijs cum oblatione alicuius pensionis annuę, aut pro alijs cum spe pensionem annuam, aut aliud quantumuis modicum temporale commodum ab eis consequendi, pro se ipsis principaliter, animo, & intentione ea postmodum in fauorem aliorum, etiam quantumuis idoneorum, & benemeritorum, cum simili pensione, aut commodo, aut etiam sine eo resignandi obtinere procurauerint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiamsi Episcopali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, vel Cardinalatus honore seu mundana, etiam Regia, Ducali, aut Marchionali præeminentia præfulgeant, excommunicationis, anathematis, ac meledictionis æternæ sententiam, à qua nisi à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant, necnon priuationis omnium, & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumuis ordinum Regularium per eos in titulum, vel commendam, aut aliàs quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poste-

rum obtinenda pœnam eo ipso absque alia desuper facienda declaratione incurrant, ita vt constito solum summarie, & extraiudicaliter, quod ipsi contra tenorem præsentium aliquid fecerint per Curiæ Causarũ Cameræ Apostolicæ generalẽ Auditorem, seu Viceauditorem, vel eius Locumtenentem pro talibus, & vt tales publicari possint, & nihilominus, sic, vt præfertur, obtentæ prouisiones, & commendæ, aliæque dispositiones nullæ sint, irritæ, & inanes, nullumque alicui ius in ipsis beneficijs, vel ad illa tribuant, nec aliquis earum vigore fructus suos faciat, sed ad eorum restitutionem teneantur, possintque beneficia tam sic impetrata, quàm per eos antea obtenta, tamquam modo præmisso vacantia à nobis, & Romano Pontifice pro temре existente duntaxat liberè impetrari, volumusque statutum, ordinationem, & decretum nostrum huiusmodi, etiam quoad Monasteria monialium, & alia beneficia per moniales, au talias mulieres obtineri solita locum habere. Non obstantibus. &c.

Pius IV. in sua Constitut. incipien. *Romanum Pontificem*, sub Dat. 17. Kalen. Nouem. 1564.

Contra quoscunque Ecclesias, & beneficia Ecclesiastica quæcunque in confidentiam retinentes, seu recipientes.

Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesiæ specula constitutum, vigiles mentis oculos, non solum in absentium extendere, sed potissimum in præsentium domesticorumque fratrum, & filiorum suorum mores diligenter perscrutandos, aliquando reflectere, ac eos præsertim, quos in Apostolicæ solicitudinis partem euocauit Altissimus, ne dum ab omni pactionis illicitæ contagione, verum etiam ab eius omnimoda suspicione, vacuos, & immunes conseruare decet, vt qui cæteros illustris officij sublimitate antecellunt, eosdem prisca etiam illa morum integritate præstare dignoscantur. Sane licet dudum, cum certam simoniacæ prauitatis speciem, quam beneficiorum

ficiorum confidentiam vocant, etiam in Romana Curia, atque adeo in ſacrum venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium, quaſi per cuniculos irrepſiſſe, ac nonnullos ex ipſis fratribus, nimia quadam facilitate, ſeu potius importunis amicorum, familiariumque precibus adductos, beneficia Eccleſiaſtica in confidentiam huiuſmodi recepiſſe, & frequenter recipere intelleximus, hanc illicitam beneficentiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam, à tanto ſaltem Collegio prorſus eliminare cupientes, eoſdem fratres in Conſiſtorio noſtro ſecreto non ſemel admonuerimus, huic aliena beneficia cuſtodiendi modo ne aſſueſcerent, neue illa hoc pacto reciperent, vtque ſic recepta dimitterent. Nihilominus nuper ad aures noſtras peruenit, eorum aliquos monitionis noſtræ immo potius ſuimet oblitos, ea, quæ cuſtodienda receperant beneficia, nondum tamen dimiſiſſe. Et inſuper illos, & nonnullos alios, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Eccleſias, monaſteria, dignitates, & alia beneficia huiuſmodi, in ſui fauorem reſignata, ceſſa, vel aliàs dimiſſa, acceptaſſe, aut de illis, per obitum, & aliàs vacantibus à Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam ab Ordinarijs, & alijs inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum præſentationem, ad alterius commodum ſibi prouideri obtinuiſſe, illaque, ac etiam alia aliter vacantia, ſibi in titulum, commendam, vel adminiſtrationem, aut aliàs dicta auctoritate conceſſa quandoque in reſignantium, vel cedentium, ſeu etiam aliorum fauorem ceſſiſſe, vel aliàs dimiſſiſſe. Ac ſibi propterea penſiones annuas, ac fructus, redditus, & prouentus Eccleſiarum, Monaſteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum huiuſmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas, & illos transferendi, ac etiam collationem, prouiſionem, præſentationem, & aliam diſpoſitionem beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad earundem Eccleſiarum, monaſteriorum, & dignitatum Prælatos pro tempore obtinentes pertinentium, necnon regreſſus, ſiue acceſſus, & ingreſſus ad Eccleſias, etiam Cathedrales monaſteria, ac alia di-

uerſa

uersa beneficia ecclesiastica, sibi reseruari procurasse, & obtinuisse, ad hoc videlicet, vt confidentes sic decimarum Apostolicarum, vel communis dicti Collegij, & annatæ, ab eorumque iurium dictæ Cameræ debitorum solutionem eludant, integrisq; beneficiorum etiam in mensibus Apostolicis vacantium, aut aliàs dispositioni Sedis Apostolicæ generaliter reseruatorum collationibus, ac interdum vt beneficia ipsa, tempore procedente, in aliquorum tunc forsan de iure inhabilium, & incapacium, vel nondum adhuc natorum, fauorem cedantur, seu resignentur, vel vt personæ inhabiles, & incapaces huiusmodi etiã laici, pensionibus, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis fruantur, & gaudeant, seu potius illis, & facultate transferendi prædicta abutantur, in animarum suarum periculum, & perniciosum exemplum. Quare nos hanc Cardinalium eorumdem, monitionibus nostris parendo, incuriam, & tam illorum, quàm cæterorum Prælatorum, etiam clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallàciam, conniuentibus oculis diutius minime dissimilandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censentes. Et, quoniam hanc ipsorum, qui monitioni nostræ non parentes beneficia huiusmodi in confidentiam, vt præfertur, retinuerunt, & fructus ex eis indebite vel percipiendo, vel per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes, & fictas de receptis quietantias, ac donationes, & remissiones percipi sinendo, grauiter excesserunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia quã aliqua præceptorum nostrorum spretu processisse facile reputamus, idcirco omnes, & singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, & monasteria, etiam Consistorialia, Prioratus, præposituras, præpositatus, dignitates, etiam maiores, & principales etiam Conuentuales, personatus, administrationes, & officia, cæteraque beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum Regularia, etiam de iurepatronatus, etiam laicorum, etiam nobilium, & illustrium, etiam ex fundatione, & dotatione existẽtia, per eiusdem Romanæ Ecclesiæ etiam

Episco-

Episcopos, Cardinales, & quoscunque alios etiam Patriarchas, Archiepiscopos, & alios Episcopos, ac etiam eiusdem Cameræ Clericos, in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias, in huiusmodi confidentiam iure prohibitam, cuiusuis personæ, vt præfertur, contemplatione, vel intuitu, quouis modo recepta, illorum liberam collationem, & dispositionem nobis, & Sedi Apostolicæ, harum serie reseruantes, ipso iure à die receptionis eorundem vacauisse, & vacare: ac fructuum, & pensionum reseruationes, ac facultates transferendi, & collationis beneficiorum concessiones, eis, vt præmittitur, factas, ac regressus, siue accessus, & ingressus concessos huiusmodi, cessasse, & cessare, ac extinctos esse, & eosdem Cardinales, seu quosuis alios à prima die receptionis beneficiorum huiusmodi citra, fructus, redditus, & prouentus earundem Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, ac pensiones prædictas indebite percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos omnes, & singulos, ad Cameram eandem deuolutos fuisse, & esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet peruenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum restitutionem in vtroq; foro teneri, & ad id opportunis Iuris remedijs compelli debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus. Et super vniuersis, & singulis, tam eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus etiam Episcopis, quàm Prælatis, & Clericis, & alijs prædictis præsentibus, & futuris, ne deinceps vllo vnquam tempore, aliquas Ecclesias, Monasteria, dignitates, vel alia beneficia, etiam de dicto iurepatronatus, vti præfertur, existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, seu accessus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reseruationum huiusmodi, sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere præsumant, Cardinalibus videlicet, & alijs Prælatis huiusmodi in virtute sanctę Obedientiæ, & sub interdicti ingressus ecclesiæ, reliquis vero sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna, per contrafacientes eo ipso incurrenda, à qua, nisi à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore

pore existente, præterquam in mortis articulo, constituti, absolui nequeant, districtius inhibemus. Ac quascunque collationes, prouisiones, præfectiones, commendas, reseruationes, facultates etiam transferendi, ac regrediendi, siue accedendi, & ingrediendi, ac alias dispositiones de Ecclesijs, dignitatibus, & alijs beneficijs, eorumque fructibus, & beneficiorum collationibus per nos, & alios Romanos Pontifices successores nostros etiam motu proprio, seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorundem præsentationem, & alias quomodolibet cum interuentu confidentiæ huiusmodi, expresse, siue occulte ac de iure præsumpto, & aliàs contra præmissa pro tempore factas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti fore; neque cuiquam suffragari, sed ecclesias, monasteria, dignitates, ac alia beneficia huiusmodi, ipso iure vacare, ac nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni reseruata, fructusque, & pensiones Cameræ Apostolicæ applicatos, vt præfertur esse, & censeri: Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam ipsius Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sublata eis quauis aliter interpretandi, & iudicandi facultate, etiã per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & eorum arbitrio (cum alias confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari non posse constet) procedendo, iudicari, & definiri debere. Ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignorãter attentari contigerit, irritum, & inane similiter decernimus.

Non obstantibus, &c.

Pius V.

Pius V. in sua Constit incipien. *Intolerabilis*, sub Dat. Romæ Kalend. Iunij 1569.

De confidentijs beneficialibus, earumque casibus, præsumptionibus, & probationibus, & pęnitentijs retinentium beneficia in confidentiam.

INTOLERABILIS multorum peruersitas, qui Sacrosanctas Constitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctoritas in necessitatem adduxit cautius prouidendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Bene quidem, & prouidenter felicis recordationis Pius Papa IV. prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decreuit, vt ipso iure vacarent Ecclesiæ, monasteria, cęteraque beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque, etiam S.R.E Cardinalibus, cuiusuis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi, & Apostolicæ Sedi reseruando; nec valerent ipsorum collationes, seu concessionem, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi ad Ecclesias, monasteria, beneficia supradicta, illaque recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebitè perciperent. Prohibens quibuscumque etiam sub censuris Ecclesiasticis, ne qui huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes, & quascunque prouisiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de Ecclesijs, monasterijs, & beneficijs, necnon reseruationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, siue per se, siue futuros Rom. Pont. etiam motu proprio, ac consistorialiter, siue etiam per Ordinarios collatores, etiam ad patronorum præsentationem, cum interuentu confi-

dentiæ huiusmodi, siue expresse, siue occultè, ac de iure præsumpto, & aliàs contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari, sed Ecclesias, monasteria, & beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædictæ dispositioni reseruata esse, sicque per quoscunque etiam per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & alias eorum arbitrio procedendo (cum alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari non posse constaret) iudicari, & diffiniri debere. Nec non irritum, & inane quicquid secus contigerit attentari, quemadmodum confectis super his litteris suis plenius continetur. Veruntamen propter improbas multorum cupiditates, prædicta, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes, & singulas causas ipsas vbicunque, & inter quoscunque motas ad nos aduocauissemus, ac omnimodam huiusmodi causarum præsentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis, & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdam coram nobis processum fuisset, varijs inde, nec leuibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occultè irrepsisse, sed plerisque causis præsumptiones, & coniecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem huiusmodi cōfidentias exercebant, vbi cognouerunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudicijs confidentias ipsas contempta constitutione prædicta Ecclesias, monasteria, & beneficia sic recepta, vt prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias res percipere: alios eorum exemplo ad similia, & grauiora fidentius commoueri. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes: alij ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant: alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant,

fendant , alij propter crimina incapaces : quidã vt purgato delicto , vel absolutione consecuta illa repetant , eandem in alios deponunt , & in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt , sæpe laicis , & inhabilibus . Plerisque vel senes , vel infirmi , vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt , & renuntiant in alios, qui vel profanam familiam cedẽtium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiam num infantibus , aut nascituris asseruent , facto interdum circuitu retrocessionis , cum reseruatione fructuum , & aliarum rerum, aut accessu præsertim ab illis , qui præstandorum iurium Cameræ Apostolicæ sunt immunes : alij aut incapaces, aut alijs beneficijs ecclesiasticis onusti , aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes , aut mere laici beneficia ecclesiastica alij conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique Ordinarij, & alij collatores , ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia , vt fructus, seu pensiones capiant eorundem , alijsue faciant ministrari . Alia item permulta eiuscemodi admittuntur , quibus immaculata rerum diuinarum puritas impie violatur, disciplinæ ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere , præsentium auctoritate statuimus , vt si quis quacunque auctoritate Ecclesiam , vel monasterium , aut aliud beneficium ecclesiasticum, qualecunque ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter , aut cum circuitu retrocessionis cum regressu , vel accessu , etiam sola dimittentis intentione receperit , vt illa , vel illud etiam in euentum regressus , vẽl accessus , eidem dimittendi vel alteri postea conferatur , aut illius fructus , vel eorum pars alij, vel alijs concedantur , vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur . Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit antehac , aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quouis modo vacans , ea conditione tacita, vel expressa , aut postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscunq; contra Iuris cõmunis ordinationem dis-

ponatur, siue vt de ea prouisus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, vel remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, aut alius per se, vel per alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono etiam laico, vel aliter præsentaturi, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Ad hæc si clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in Sede Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam, vel aliud etiam confectis litteris Apostolicis, & possessione apprehensa in eundem resignantem vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum, aut trium mensium, retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam, vel illud, ipsi clerico, vel Cardinali, aut alij exempto sit, fueritue concessus. Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit, quacunque auctoritate Ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casusque huiusmodi litteris prædictis comprehendantur, acsi illi speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandum vero plene confidentiarum abusum inter alias etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimę, videlicet si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel eius propinquis, ipsos, aut

partem

partem aliquam remiserit eorundem. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij demissi, & illi, vel illis, de fructibus perceptis, aut percipiendis, donationem fecerit. Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit; simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Ecclesiastico per se, vel alium seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illa postmodum ad volũtatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, pluresque huiusmodi præsumptiones, & coniecturæ plenam probationem faciant in prędictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes, qui ad probibendum in casibus simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij, in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque probibeatur, omnes, & singulos, qui hucusque Ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasue res, intercedente hoc confidentię vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & quicquid tale admiserint in futurum, etiam omnibus, & singulis alijs Ecclesijs, monasterijs, dignitatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus, & alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanę Curię, & alijs officijs temporalibus pręsentium auctoritate priuamus, & ad futuras inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quàm à Romano Pontifice

absolu-

solutionis beneficium valeat obinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis, & prædictis Sucessoribus, vt prædictum est, facta (causis illis dumtaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam ijs, quas ratione Ecclesiarum, & monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consueuit, aut debeat, itemque contra Ordinarios collatores Episcopos, & alios Superiores, Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, vti iam alijs nostris litteris statutum est, audiendis, & terminandis) harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscunque Iudices ordinarios, & Legatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prędictę Romanę Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicunque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicare, interpretari, & diffinire debere, necnon irritum, & inane quicquid secus in prædictos per quoscunque, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum Ordinarijs districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiose attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuerè animaduertant, si diuinæ maiestatis iudicium, dictæque Sedis censuram voluerint euitare. In cęteris verò causis, negotijs (nobis, & prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, vt gratia, & fauore postpositis, pro se quisque, cum venerit vsus, cõtra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suoque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quam primum transferant, vt nos, & prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinarijs ipsis prædictos omnes, & quoscunque alios, etiam per edictum publicum, constito prius summariè, & extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, monendi, eisque ac Iudicibus Ordinarijs, & delegatis, alijsque personis quibuscunque, ne prædictorum exe-

cutionem

eutionem quoquomodo impediant, vel aliàs in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque alios contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia iuris, & facti remedia opportuna, compellendi, auxilium brachij sæcularis, quandocunque erit, inuocandi, cæteraque in prędictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus, &c. litteris prædecessoris huiusmodi in suo robore duraturis. Volumus autē &c.

Pius V. in sua Constit. incip. *Cum primum*, sub Dat. Romæ Kal. Aprilis 1566.

Innouat, & ampliat pœnas impositas contra committentes simoniam in Ordine, beneficio, ac mediatores.

CVM primum Apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, & cogitationē nostram in Dominici gregis Fidei nostræ crediti salute defiximus, & Christifideles Deo iuuante ita dirigere statuimus, vt à vitijs, & peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, insistant. Cum autem ad omnia, quæ diuinam maiestatem aliquo modo possent offendere monenda, mentis nostræ aciem intenderimus, ea primum, & sine mora emendare decreuimus, quæ Deo præter cætera displicere, & iram eius prouocare cum diuinæ docent scripturæ, tum grauissima exempla declarant, nempe diuini cultus neglectum, simoniæ labem, blasphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi & nationes, bellorum, famis, & pestilentiæ calamitatibus, iusta Dei vltione sæpe plectuntur. Et si autem contra eos, qui cum grauia crimina admiserint, multa à Prædecessoribus nostris Constitutiones editę fuerunt, tamen quia parum est leges edere, nisi sint qui eas

debitis temporibus exequantur. Idcirco ne qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosque pœnarum grauitate magis quàm Dei timore arceri solere a voluntate peccandi, omnes & singulas sententias, censuram, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint latas confirmamus, & Apostolica auctoritate innouamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemusque eos qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subituros eas pœnas, quæ sacris sunt Canonibus constitutæ, sed eas etiam, quas leges Ciuiles comminantur, & nostri quoque arbitrij discretio pro personarum qualitate constituet. Mandantes Ciuitatum, & locorum status nostri Ecclesiastici pro tempore Ordinarijs, & Gubernatoribus, illis quidem sub pœna suspensionis à diuinis, his verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt quos debitum Deo cultum in Ecclesijs non tribuere, alijsque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipsis Iudicibus, quod si post hanc nostram Constitutionem in castigandis huiusmodi delictis negligẽtes fuerint primum quidem Dei omnipotentis iudicio obnoxij erunt, deinde nostram quoque incurrent indignationem. Vt autem pœnarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, alijs nihilominus contra huiusmodi criminum reos à iure statutis in suo robore manentibus.

Vt igitur Deo optimo maximo, Gloriosæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorij X. prædecessoris nostri Constitutionem innouantes, ac statuta in Tridentino Concilio obseruari volentes, statuimus, & ordinamus, vt ad Ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis Sanctissimum Sacramentum adorent, ad nomen Iesu Christi Domini Nostri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent, nullus in dictis Ecclesijs seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumue committat, cessent vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcumque, quæ diuinum officium perturbare possunt

sunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, siue præsumat dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia diuina Officia. Qui vero prædicta petulanti animo contempserint, præter diuinæ vltionis acrimoniam, nostri quoque arbitrij pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoque Ordinarij in suis Ecclesijs facient obseruari. Quicunque vero in Ecclesijs, dum ibi sacrificium Missæ & diuina celebrantur Officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimum Sacramentum irreuerenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut diuina perturbet Officia, facere præsumpserit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit in ære luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui vero in Ecclesijs cum mulieribus impudicis, siue etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesijs, vt supra, obscœnis, & inhonestis verbis aut signis vsus fuerit, aut alia fœda colloquia cum personis quibuscunque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & singulis Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicarijs, Sacristis, Ostiarijs, & alijs ipsarum custodibus, quatenus præfatos omnes in Ecclesijs delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinarijs, vel Officialibus nostris puniendos deferant, quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum Officiorum ire non sinant, sed eos ad valuas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eijci curauerint, & parochis dimidij aurei. Religiosis etiam claustralibus, siue Regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt in Ecclesijs suis deputent aliquem, qui tales eijciat, & si negligentes fuerint,

rint, grauissime ab Ordinario corripiantur, quod si illi parere recusauerint grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, siue Superiorum.

Et vt in Ecclesijs nihil indecens relinquatur, ijdem prouideant, vt capsæ omnes, & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino amoueantur, prout aliàs statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Cum vero dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in Lege diuina præcipiatur, cupientes abusus prauos, qui eorum inobseruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum statuta renouantes mandamus, vt omnes dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione obseruentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, diuinis Officijs deuote intendant, ab omni illicito, & seruili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes & iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehēsus fuerit: præter diuinam vltionem, & amissionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarij nostri in Vrbe. In alijs autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum magistratuum, ita vt præuentioni locus sit. Quibus omnibus districte præcipimus, vt hæc diligenter obseruari procurent; illas etiam festiuitates, quæ iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia faciant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis.

Et vt Simoniacæ prauitatis, & labes prorsus aboleatur, Constitutiones Antecessorum nostrorum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. inuiolabiliter obseruari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum Ordinum receptione, quàm in beneficiorum assecutione, statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicunque igitur detestabile

bile crimen Simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis Ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniace acquisiuerit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Eclcesiasticum Simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse conuictus fuerit, præter supradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium consortio eijciatur. Qui vero Ordines, & beneficia simoniace contulerint, pęnis à Iure statutis puniantur, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi vel maiores fuerint. Caueant præterea quicunque, ne in Sacramentorum exhibitiones Simoniacum aliquid faciant, alioquin grauissime puniantur per locorum Ordinarios, qui huiusmodi criminis cum maxima seueritate coercere procurent, iuxta Concilij Tridentini statuta.

Ad abolendum vero nefarium, & execrabile blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segnitiem, vel potius desuetudinem, supra modum inualuit. Leonis X. Prædecessoris nostri in nouissimo Lateranen. Concilio statuta innouantes. Decernimus vt quicunque laicus Deum, & Dominum Nostrum Iesum Christum, vel Gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, pro prima vice pęnam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro secunda, pęna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos soluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit soluendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per

Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicunque clericus hoc blasphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium & quorumcunque beneficiorum suorum, pro secunda beneficijs ipsis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd si clericus nullum obtinuerit beneficium, pęna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemiæ, atque personæ arbitrio Iudicis puniatur.

Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit, Curiæ sæculari puniendus tradatur: & si clericus fuerit omnibus Ordinibus degradatus simili pęna subijciatur.

Monemus præterea omnes locorum Ordinarios, & in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipimus, vt statuta Tridentini Concilij contra concubinarios tam clericos, quàm laicos edita, districte faciant obseruari, reddituri Deo, ac nobis, si omiserint, rationem.

Et vt præmissorum delictorum simoniæ, blasphemiæ, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus quòd in singulis casibus non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denunciationem procedatur per quoscunque Iudices, aliàs tamen de Iure competentes, tam ratione delicti, quàm personarum, ita quòd inter eos locus sit præuentioni.

Monemus præterea omnes, & singulos, vt solum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praui affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denuntiasse comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus.

Mulctæ autẽ pecuniæ applicabuntur pro duabus partibus locis pijs arbitrio nostro in Vrbe, extra vero, Ordinariorum, pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit.

Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ feudatarijs, sub pęna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinent, reliquos vero Principes Christianos, & Terrarum Dominos hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmissa omnia in suis dominijs, ac Terris exactissime seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi.

Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, priuilegijs, indultis, facultatibus, & litteris Apostolicis quibusuis Capitulis, conuentionibus, Militibus, Ordinibus, & personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, statuti, decreti, ordinationis, præcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Idem in alia sua Constit. incip. *Intolerabilis*, sub Dat. Romae Kalen. Iunij. 1569.

De confidentijs beneficialibus, earumque casibus, præsumptionibus, & probationibus, & de pœnis retinentium beneficia in confidentiam.

INTOLERABILIS multorum peruersitas, qui sacrosanctas Constitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctores in necessitatem adducit cautius prouidendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Bene quidem, & prouidenter felicis recordationis Pius Papa Quartus Prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decreuit, vt ipso iure Ecclesiæ, Monasteria, cæteraque beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, cuiusuis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi, & Apostolicæ Sedi reseruando; Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi ad Ecclesias, Monasteria, beneficia supradicta, illaque recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebite perciperent. Prohibens, quibuscunque etiam sub censuris Ecclesiasticis, ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes & quascunque prouisiones, perfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs, necnon reseruationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, siue per se, siue futuros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, ac consistorialiter, siue occulte, ac de iure præsumpto,

ſumpto, & alias contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam ſuffragari, ſed Eccleſias, Monaſteria, & beneficia huiuſmodi ipſo iure vacare, ac prædictæ diſpoſitioni reſeruata eſſe, ſicque per quoſcunque etiam per præſumptiones, & coniecturas legitimas, & aliàs eorum arbitrio procedendo cum alioqui confidentias huiuſmodi in lucem erui, & probari non poſſe conſtaret, iudicari & diffiniri debere. Necnon irritum & inane quicquid ſecus contingeret attentari, quemadmodum confectis ſuper his litteris ſuis plenius continetur. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates, prædicta, quæ ad purgandam hac pernicie Eccleſiam, & animarum ſalutem ab ipſo Prædeceſſore edita ſunt, in multis deprehendimus viam aperuiſſe grauius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati quod Iudices in cauſis huiuſmodi confidentiarum expediendis remiſſiores eſſent, omnes, & ſingulas cauſas ipſas vbicunque, & inter quoſcunque motas, ad nos aduocauiſſemus, ac omnimodam huiuſmodi cauſarum præſentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipſis reſultantium cognitionem Nobis, & Succeſſoribus noſtris reſeruauiſſemus, & ſuper quibuſdam coram nobis proceſſum fuiſſet, varijs inde, nec leuibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occultè irrepſiſſe, ſed pleriſque cauſis præſumptiones, & coniecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime ſufficere, eiuſque rei cauſa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem eiuſmodi confidentias exercebant, vbi cognouerunt obſtructam veritatem propter difficultates probandi in iudicijs confidentias ipſas contempta conſtitutione prædicta Eccleſias, Monaſteria, & beneficia ſic recepta, vt prius retinere, alios fructus, penſiones, & alias res accipere, alios eorum exemplo ad ſimilia & grauiora fidentius commoueri. multi enim ipſa beneficia iure retinere nequeuntes, alij ne cogantur ad ſacros Ordines, ad reſidentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiſcantur, vt inimicos occidant, alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant, alij propter crimina incapaces, quidem vt purgato delicto, vel abſolutione

tione

tione consecuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in pleris que fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt sæpe laicis, & inhabilibus, Plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiam infantibus, aut nascituris aßeruent, facto interdum circuitu retrocessionis cum reseruatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis qui prestandorum iurium Cameræ Apostolicæ sun: immunes, alij, aut incapaces, aut alijs beneficijs Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico Ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia Ecclesiastica alijs conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique Ordinarij, & alij collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus, seu pensiones capiant eorundem, alijsuè faciant ministrari. Alia item per multa eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impie violatur, disciplinæ Ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui Iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus, vt siquis quacunque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel aceessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regreßus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij vel alijs concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur. Itidem si Ordinarius, vel alius Collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expreßa, vt postea in alterum pro arbitrio Collatoris seu alterius cuiuscunque contra Iuris communis ordinationem disponatur siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel par-
tem

tem ad vtilitatem vel libitum conferentis vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter à patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Adhæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico, in se, Apostolica vel alia auctoritate factam & admissam, illam, vel illud etiam confectis litteris Apostolicis, & possessione apprehensa, in eundem resignantem, vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum aut trium mesium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesię, seu monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam, vel illud, ipsi clerico, vel Cardinali, aut alij exempto sit fuerint concessis. Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casusque huiusmodi literis prædictis comprehendantur, acsi illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandum verò plenè confidentiarum abusum, inter alias etiã hę præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ. Videlicet, Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à successore possessionem sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel eius propinquus ipsos, aut partem aliquam remiserit eorundem. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem

vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensurariorum ex parte dimittentis, expeditio quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta, quacũque auctoritate de beneficio Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij, in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque probibeatur, omnes, & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasue res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerit, & qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus & singulis alijs Ecclesijs, monasterijs, dignitatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus, & alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & alijs officijs temporalibus præsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quàm à Romano Pontifice, absolutionis benefitium valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarum, rerumque omnium

inde

inde emergentium, nobis, & prædictis successoribus, vt prędictum est, facta (causis illis dumtaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam ijs, quas ratione Eccletiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consueuit, aut debet, itemque contra Ordinarios, Collatores, Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, vti iam alijs nostris litteris statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicunque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, interpretari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus in prædictis per quoscunque, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum Ordinarijs districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiose attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuerè animaduertant, si diuinæ Maiestatis iudicium, dictaque Sedis censuram voluerint euitare. In cæteris vero causis, & negotijs (nobis, & prædictis Successoribus exceptis) eodem locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, vt gratia, & fauore postpositis, pro se quisque, cum venerit vsus, contra prædictos omnes sua ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suoque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant, vt nos & prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit decernamus. Nos enim singulis Ordinarijs ipsis prędictos omnes & quoscunque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constito prius summariè, & extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, & monendi, eisque ac Iudicibus ordinarijs, & delegatis, alijsque personis quibuscunque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi,

 eosdem.

eosdemque, ac alios contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia iuris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachij sæcularis, quandocunque opus erit inuocandi, cæteraque in prædictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus fel. recor. Bonifacij Papę Octaui Prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, alijsque Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, quodque Episcopis, Collatoribus, & Prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta effectus præsentium, aut attributæ prædictis Ordinarijs iurisdictionis explicatio, seu exercitium vel executio impediri valeat quomodocunque vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, cæterisque contrarijs quibuscunq; Litteris prædecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis. Volumus autem, vt præsentium exempla, etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscunque Curiæ Ecclesiasticæ, eiusue Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra vbique locorum faciāt, quam ipsę præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, Statuti, Decreti, innodationis, iniunctionis, delegationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ

apud

apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno quarto.

Idem in alia sua Constit. incip. *Durum nimis*, sub Dat. Romæ Kalend. Iunij 1570.

Reuocat priuilegia, & consuetudines Ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione, aut alia prouisione, seu admissione ad possessionem beneficiorum.

DVRVM nimis, & incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum Ministri in ijs, quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibenda ab Ecclesia Dei auaritiæ prauitatem, editas ante hac sanctiones minime satis esse intelligimus, nouæ constitutionis subsidio cogimur prouidere. Cum itaque alias ex plurium Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligeretur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesię, vel beneficij, Canonicatuum, aut prębendarum vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas certę conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensatione sue illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesijs dicuntur Turnorum lucra interponerentur, licet Sancta Synodus Tridentina hæc detestata mandauerit Episcopis, vt quæcunque huiusmodi, quæ in vsus pios non conuertentur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspitionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscerent, & illis tantum, quas probarent exceptis, reliquas vt prauas & scandalosas reijcerent, eos vero, qui aduersus prædicta quauis ratione com-

commisissent, pœnis contra simoniacos editis teneri decreuerit: multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta, quàm alia ad beneficium, & commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulque euocatorum ad illum auxilio plenius, euidentiusque consulendum fore, rati, reuocamus, & abolemus omnia & quæcunque priuilegia, consuetudines, & statuta quarumcunque Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac maiorum, nec non Collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, & quantocunque tempore etiám continuo obseruata, siue pro soluendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, siue pro supportandis illorum oneribus, siue alijs etiam maioribus, maximis, & vrgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, præbendis, portionibus, beneficijs, & officijs, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione Anno, aut longiore, vel etiam breuiore tempore prouenturi, mensæ Episcopali, seu Capitulari, alioue loco integre, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios Canonicos, & personas Ecclesiæ, seu Capituli diuidantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate prouisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruandis huiusmodi priuilegijs, consuetudinibus, & statutis iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciauerit, seu Capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (vt appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit. Quorum omnium tenores, causas, & effectus habemus præsentibus pro expressis quibuscunque illa concepta sint formulis, nec non irritantibus, & alijs decreta roborata: Volentes ea omnia vires, & effectum de cætero non habere. Præcipimus igi-

tur

tur & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegijs, & personis ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus vllam eorum partem retineant, neue ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocunque petant, vel exigant, aut quamquam siue ordinaria, siue Apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicunque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tamdiù à Pontificalis officij exercitio sint suspensi, donec satisfactionem præuia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur: Capitula vero, & Collegia quæcunque Ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quàm à Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta non tenere, nec quamquam illis obligari, quinimo iurantes in huiusmodi censuram incidere; Necnon irritum, & inane quicquid secus his per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, vt vbicunque huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus vltra semestre tempus reperiuntur concessi horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, decreto prædictæ Synodi, ac etiam Constitutione fe. re. Ioannis Papæ XXII. quæ incipit, Suscepti, *& alijs iuribus hac de re disponentibus nihilominus aliàs in suo robore duraturis. Cæterum per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, Collegijs, Mensis, aut personis fructus & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem,*

tionem, siue possessionis apprehensionem prouenientes ex statuto, consuetudine, vel priuilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quominus ipsi illos interim vt antea exigere valeant & habere. Postremo volumus, vt pręsentium exempla etiam impressa, Notarij publici manu, & Pręlati Ecclesiastici, eiusue Curię sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem vbique locorum in iudicio & extra illud faciant, quam facerent ipsęmet pręsentes, si essent exhibitę, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę reuocationis, abolitionis, pręcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę millesimo quingētesimo septuagesimo pridie Kal. Iunij Pontificatus Nostri Anno Quinto.



INDEX

CONSVLTATIONES ALIQVAE

PERILL. ET EXCELLENTISS.

D. THEODORI AMYDENII

PRÆSTANTISSIMI IVRISCONSVLTI

In Romana Curia Aduocati, & aliorum Simoniæ materiam reſpicientes.

SVMMARIVM.

1 *Penſionis ceſſatio de ſui natura permiſſa eſt, immo fauorabilis, cum tendat ad exonerationem, & liberationem Eccleſiæ, etiam ſine Superioris licentia.*

2 *Remittere penſionem eſt condonare ſine pretio, quod ſine voluntate penſionarij fieri poteſt.*

3 *Redemptio penſionis pretio interueniente ſine licentia Papæ fieri non poteſt, ſed requiritur ſignatura ſupplicationis, licet non requirantur litteræ.*

4 *Penſio reſeruanda anticipatis ſolutionibus ex pacto in limine contractus appoſito redimenda, eſt ſimoniaca.*

5 *Simonia cadit ex pacto ſeu conuentione ſuper penſione reſeruanda, non autem ſuper penſione reſeruata.*

6 *Penſio reſeruata nihil commune habet cum beneficio à quo eſt penitus diſtincta, reſeruanda vero cum non dum à beneficio diſtincta ſit, adhuc illi adhæret, & cenſetur ipſum beneficium.*

7 *Simoniæ labes non incurrunt resignans, & resignatarius in actu resignationis non habentes notitiam de contractu illam importante, & superueniente scientia debet resignatarius beneficium dimittere, aliàs & ipse incurret simoniam.*

8 *Fructus decursi ante resignationem spectant ad resignantem.*

9 *Simonia non inducitur ex pacto Iuri conformi & continente id, quod de Iure inest.*

10 *Quantitas modica non habetur in consideratione.*

11 *Simoniæ delicti probatio exclusiua, est semper capienda.*

12 *Simoniæ in materia non admittitur præsumpta, sed plenissima & exactissima requiritur probatio.*

13 *Coniecturæ, & præsumptiones ad effectum probandi simoniam debent esse vehementes, & tales, quæ reum de crimine conuincant.*

14 *Pensio est onus reale sequens quemcunque detentorem.*

CONSVLTATIO PRIMA

In vna Veronen.

1 AVLVS obtinet beneficium simplex S. Stephani, quod instãte ipsius fratre Petro resignat ad fauorem Ioannis reseruata sibi annua pensione, eo quod Iacobus frater Ioannis promiserit Petro se dictam pensionem solutione anticipata aliquorum terminorum redempturam. Paulo resignante, & Ioanne resignatario pactorum huiusmodi inter Petrum, & Iacobum inscijs, licet postea resciuerint, dubitatur an in huiusmodi

reſignatione interuenerit ſimoniæ labes, & primo quidem ſupponendum, quod quamuis caſſatio penſionis de ſui natura permiſſa ſit immo fauorabilis, cum tendat ad exonerationem, & liberationem Eccleſiæ etiam ſine Superioris licentia *Gig. de penſionibus quæſt.* 45. *num.* 8. hoc tamen procedit in penſione; quæ reſeruata fuit per Superiorem ante pactum, & quando remittitur gratuito, *Garzias de benefic. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 39. quod bene explicat *Nauar. conſ.* 11. *num.* 8. *de conſtit. lib.* 1. diſtinguens inter remiſſionem, & redemptionem, vt remit-
2 tere ſit condonare ſine pretio, & hoc ſola voluntate penſionarij poteſt fieri, vt notat *Pariſ. de resign. lib.* 6.
3 *quæſt.* 2. *num.* 123. ſi redemptio vero fiat pretio inueniente, & hoc ſine licentia Papæ non poteſt fieri, ſed requiritur ſignatura ſupplicationis, licet non requirantur litteræ *Rota deciſ.* 327. *par.* 2. *recent.* quod non
4 ſolum vendicat ſibi locum in penſione iam dudum antea reſeuata, ſed etiam in penſione reſeruanda, & anticipatis ſolutionibus ex pacto in limine contractus appoſito redimenda *Pariſ. dicta quæſt.* 2. *num.* 124. & 128. im-
5 mo ex pacto ſeu conuentione ſuper penſione reſeruanda, non autem ſuper penſione reſeruata cadere ſimoniam dixit *Rota in cauſa Ciuitatis Plebis prætenſæ simoniæ* 14 *Ianuarij* 1620. *coram R.P. D. Buratto*, quia videlicet penſio reſeruata nihil commune habet cum beneficio, à quo eſt penitus
6 diſtincta, reſeruanda vero cum non dum à beneficio diſtincta ſit, adhuc illi adhæret, & cenſetur ipſum beneficium.

7 Poſito itaque redemptionem huiuſmodi ſine auctoritate Papæ fieri non poſſe, neceſſe ſequitur eam fuiſſe ſimoniacam, cuius labem licet reſignans, ſiue reſignatarius non contraxerint, quia de illa notitiam in actu reſignationis non habuerunt, tamen ſuperueniente ſcientia debet reſignatarius beneficium dimittere, aliàs & ipſe incurrit ſimoniam, latiſsime *Valer. de dif-*

ferent. inter vtrumque forum verbo Simonia differen. 3. *num.* 1. *Nauarr.* tamen *consil.* 45. *de Simonia num.* 2. firmat quod si desuper porrigatur supplicatio Papæ eum facilem reddit ad gratiam.

Theodorus Amydenius Aduoc.

Non iniucundum Lectori fore existimo si decisionem à doctiss. D. Amydenio recensitam hic ad verbum apposuero, cuius sequens tenor est.

CIVITATIS PLEBIS

PRAETENSAE SIMONIAE

Lunæ 14. Ianuarij 1620.

R. P. D. BVRATTO.

8 VIT 18. Nouembris 1613. confecta apocha per Leandrum ad fauorem Dominici his verbis, *Io infrascritto mi contento, che il Signor Domenico Macarello al presente Priore di Monte Leone si riserui sopra del Priorato seguitando la renuntia come ci è parola in persona mia scudi venti per quest'anno d'Agosto solamente per ogni frutto, che detto Signore Priore potesse pretendere acquistato per se sino all'attuale possessione, & in sede &c. prometto pagare la pensione di scudi 80. l'anno secondo l'obligo, che hà detto Signor Priore*

Priore, & il Signor Archidiacono della Pieue cominciando la prima paga à San Giouanni prossimo di Giugno cum obligatione Camerali, & die 26. eiusdem mensis Dominicus constituit procuratorem ad resignandum cum dictis pactis, & conditionibus.

Cum autem idem Dominicus coactus fuisset soluere pensionem, egit coram Auditore Cameræ, obtinuitque vigore dictæ apochæ mandatum exequutiuum contra dictum Leandrum resignatarium, causaque in Rota commissa dubitaui, an constaret de simonia, & fuit capta pro informante negatiua resolutio.

Nam quoad primam reseruationem scutorum viginti visum fuit cessare omnem simoniam, quia Leander nihil de suo promisit, sed tantum consensit vt Dominicus sibi super Prioratu reseruaret dicta scuta viginti, non quidem pro omnibus fructibus, quos prætendere posset resignans à die apochæ ad diem actualis possessionis, ideoque cum fructus decursi ante resignationem spectent ad resignantem *ad not. in l. stipulatus ff. de vsur. Salic. in l. Iulianus §. si fructibus num. 7. post med. vers. & tunc aut fructus illi ff. de action. empti, & in l. fructus vers. huius timore Cod. eodem*, cum alijs in specie per *Honded. cons. 85. num. 13. 23. & per tot. lib. 2. Rota in Baren. fructuum coram R. P. D. meo Caualerio, inter recentior. par. 1. decis. 240. num. 5. & 6. & in Cephaluden. pensionis 5. De-*
9 *cembris* 1618. *coram me*, & reseruatio solum sit pro fructibus debitis resignanti, cessat prorsus simonia, quæ non inducitur ex pacto Iuri conformi, & continente id, quod de Iure inest, *cap. significasti, vbi glos. & Doctores, de elect. Gemin. cons. 84. col. 4. vers. non obstat quod colonus, Dec. cons. 118. num. 5. vers. 3. principaliter, Aym. cons.* 145. *num.* 4. cum relatis à *Paris. de resignat. lib. 14. quæst. 7. num. 23. & de confident. quæst. 27. num. 131. Rota in Melphiten. Commendæ 13. Ianuarij* 1568.

coram

coram bonæ memoriæ Robusterio,& in Meliten.Canonicatur 6. Martij 1595. *coram Illustrissimo Cardinali Millino, in Bergomen. fructuum* 11. *Maij* 1609. *coram Reuerendissimo D. meo Decano*, & in specie fuit dictum in *Cusentina prætensæ confidentiæ coram Orano post prim.vol. cons. Farin. decis.* 102. *num.* 12.

10 Ad euitandas vero discordias, quæ frequenter oriri solent in repartitione fructuum inter resignantem, & resignatarium, fuit facta liquidatio in dict. scut. 20. quæ etiam in damnum resignantis redundare æque poterat, cum contingere potuerit, vt fructus medio tempore, & seu etiam antea, & forte ciuiles percepti ad ipsum resignantem de iure spectantes longe dictam summam excederent, vel saltem dicta reseruatio non poterat excedere fructus debitos nisi in modica quantitate, quæ non habetur in consideratione, *Nauarr. de datis,& promiss. per iustit. vel grat. num.* 20. *Paris. de confident.quæst.* 27. *num.* 95.


11 Præterea cum bona Prioratus fuerint dignitati Archidiaconali Ciuitatis Plebis per felicis recordationis Clementem Octauum vnita cum onere soluendi Priori annua scuta centum, eorundemque bonorum possessio fuerit postea per Archidiaconum dimissa dicto Priori cum hoc, vt sibi de dictis scutis centum satisfaceret, & pensionem scut. 80. D. Angelitæ Pensionario solueret, reseruatio prædicta scut. viginti potuit fieri non correspectiue ad resignationem Prioratus, sed in recompensam subrogationis resignatarij in dicta cessione possessionis bonorum, & fructuum Archidiaconatus dicti resignanti per Archidiaconum quasi in vim cuiusdam locationis, seu arrendamenti facta, quæ cum esset distincta ab ipso Prioratu, & nihil haberet spiritualitatis, *Rom. cons.* 328. *num.* 8. nulla committi potuit simonia, *Archidiac. & Præpos. in can. sed ad hoc* 10. *quæst.* 1. *Rota dicta decis.*

decis. 201. num. 18. *post primum vol. cons. Farinac. Paris. de resignat. lib.* 14. *quæst.* 7. *nu.* 62. & hæc possibilitas sufficit ad excludendam probationem delicti simoniæ, contra quod capienda est semper exclusiua, interpretatio ex congestis per *Paris. de resignationib. dicta quæst.* 1. *nu.* 55. *&* 56. *& Rota decis.* 101. *num.* 10. post idem *vol. cons.*
12 *Farinac.* In hac enim materia non admittuntur præsumptiones, sed plenissima, & exactissima requiritur probatio, prout sæpius fuit resolutum, vt in pluribus decisionibus relatis *in illa Tullen. pratensæ Simoniæ vltima Ianuarij, & 21. Aprilis* 1597. *coram Orano rel. per Farin. cons.* 75. *num.* 13. *dicto vol.* 1. vbi sub *num.* 45. ad idem est impressa alia decisio *in Tullen. Parochialis coram Seraphino, & sub num.* 53. *decis. in Calaguritana Confidentiæ coram Cardinali* Pamphilio, *& sub num.* 65. alia *coram Cardinali* Blanchetto, *& num.* 66. 104. *&* 105. & nouissime dictum fuit *in Leodien. Canonicatus Sancti Ioannis* 11. *Martij* 1619. *coram R. P. D. meo Vbal-*
13 *do.* Vel saltem coniecturæ, & præsumptiones ad hunc effectum, debent esse vehementes, & tales, quæ reum de crimine conuincant, & plene probatę, *Rota decis.* 358. *num.* 1. *par.* 2. *in recent.*

Quo vero ad aliam conuentionem solutionis pensionis, longe minus prætendi potest simonia, quia cum resignatarius percepturus esset fructus pensione graua-
14 tos, tenebatur de Iure ad illius solutionem cum pensio sit onus reale sequens quemcunque detentorem, iuxta not. *in cap. querelam de elect. Gig. de pens. quæst.* 47. *num.* 2. *Rota decis.* 176. *num.* 3. *& decis.* 291. *num.* 2. *par.* 2. *in recent.* & sæpe in alijs, deducendo hoc in pactum non fuit inducta simonia ex supra allegatis, & vltra illos in specie huius conuentionis post *Nauar. in man. cap.* 23. *sub num.* 100. *vers. quę tamen Paris. de resig. d. lib.* 14. *quæst.* 7. *nu.* 22. *&* 23.

Nec obstare visum fuit, quod solutio primi termini cadat antequam resignata esset, cum à mense Decembris ad mensem Iunij plures adesse possint fructus, & præsertim decima Sacramentalis, quę videtur fructus ciuilis, & sic debita pro rata temporis, & ad exclusionem simoniæ sufficit possibilitas ex præallegatis, cum eodem modo etiam ipse Dominicus resignans suscepisset de mense Octobris 1606. onus soluendi pensionem incipiendo à termino Sancti Ioannis, & sic anticipate, & propterea resignatarius in aliquo non fuit grauatus subeundo eodem prorsus modo idem pensionis onus.

Et ita &c.



CIVITATIS CASTELLI

SVMMARIVM.

1 *Resignans an possit percipere fructus vsque ad diem captæ possessionis per resignatarium, ostenditur.*
2 *Resignans ad fauorem certæ personæ cum clausul. non aliàs aliter, nec alio modo, non abducat à se ius nisi possessio quæratur resignatario.*
3 *Partes possunt pacisci de fructibus decurrendis vsque ad diem possessionis resignatarij sine vllo periculo simoniæ.*
4 *Simoniacum est pactum quòd fructus cedant resignanti per aliquod spatium temporis post adeptam per resignatarium possessionem, nisi fructus quærerentur industria siue sumptibus resignantis.*
5 *Resignans & resignatarius possunt conuenire de certa summa resignanti danda pro fructibus decurrendis vsque ad diem adipiscendæ possessionis.*

CONSVLTATIO SECVNDA

1 INTER resignantem, & resignatarium sæpe incidunt pacta super fructibus beneficij pendentibus, vel non exactis, quæ si Pontifici exponantur, clarum est nullam simoniam committi, si verò non exponantur, sunt valde periculosa, non tamen omne pactum huiusmodi labem simoniæ causat: nam de Iure resignans percipit fructus vsque ad diem cessionis, *Put. decis.* 175. *lib.* 1. difficultas tamen est an resignans possit percipere

fructus vsque ad diem captæ possessionis per resignatarium? in quo articulo *Rebuff. ad Concord. verbo Volumus vers. vlt. videtur*, hanc ponit distinctionem, quod vel resignans cedit præsens per se ipsum, & tunc abdicat à se omne ius, & possessionem, & nullo iure potest amplius in posterum exigere fructus, vel cedit absens per Procuratorem, & tunc licite resignans exigit fructus, quia potest cogitare resignationem à Papa non fuisse admissam, *Gonzal.* vero *Mendez diuers. argum. Iuris lib.* 1. *cap.* 3. *per totum* contra *Rebuffum* indistincte tenet resignantem post resignationem, siue per se, siue per alium nō posse se amplius ingerere in fructibus, nec iuuari bona fide, ex eo quod per resignationem resignans abdicauerit à se omne ius. Sed mihi verior est sententia *Rebuffi*
2 quia resignans ad fauorem certæ personæ cum clausula non alias aliter, nec alio modo, non abdicat à se ius, nisi possessio quæratur resignatario iuxta veriorem opinionem, & magis probatam, de qua *Put. decis.* 158. *num.* 3. *vers. non obstat lib.* 3. *Achil. decis.* 10. *num.* 4. *de restit. spol. Verall. decis.* 82. 84. & 86. *par.* 3. *Mohed. decis.* 36. *de renunciat.* late hanc opinionem pesequuta est *Rota in causa Leodien. Canonicatus Sancti Dionysij* 27. *Martij* 1623. *coram D. Coccino Decano*, & 25. *Maij* 1626. *coram D. Pirouano.*
3 De fructibus igitur decurrendis vsque ad diem possessionis resignatarij nullum dubium, quin partes possint pacisci sine
4 vllo periculo simoniæ, sed difficultas est vtrum posit pacisci de fructibus decurrendis etiam post pensionem resignatarij, per quam fructus ipsi acquisiti sunt, & hæc materia est valde lubrica, certum enim est pactum, quod fructus cedant resignanti per aliquod spatium temporis post adeptam per resignatarium possessionem, est prorsus simoniacum, vt multis probat *Paris. de resignat. lib.* 14. *quæst.* 5. *num.* 1. vbi quod ita sentiunt omnes Summistæ. Immo Dataria huiusmodi pacta prorsus respuit tanquam insanabilem simoniam continentia, nisi in casu, vbi fructus quærerentur industria, siue sumptibus resignantis. Possent tamen contrahentes, hoc est resignans,
5 & resi-

5 & reſignatarius conuenire de certa ſumma reſignanti danda pro fructibus decurrendis vſque ad diem adipiſcendæ poſſeſſionis per reſignatarium, vt notat *Rota* in ſupra dicta cauſa Ciuitatis Plebis, quod fit ad tollendam altercationem quia diuiſio fructuum pro rata temporis perdifficilis eſt, & tunc ſumma, quæ penditur pro huiuſmodi fructibus, non debet eſſe exceſsiua, adeo vt appareat partes iuxta rei veritatem fructus ad huiuſmodi ſummam taxaſſe, non autem vltra voluiſſe vel dare, vel recipere reſpectiue, vt bene notat eadem decisio.

Caſus tamen in d. deciſione expreſſus, non videtur poſſe applicari huic doctrinę, nam ibi facta fuit promiſsio ſub die 18. Nouembris & procuratorium ad reſignandum datum ſub die 26. eiuſdem, & fructus fuerunt taxati vſque ad Auguſtum ſubſequentem, & tamen reſignatarius illico potuit expedire litteras, & capere poſſeſsionem beneficij, & ſic reſignans per nouem integros menſes reciperet fructus poſsidente reſignatario, quod ſine labe ſimoniæ, ſaltem in foro conſcientiæ, fieri non poteſt, quamuis excuſari poſſet deciſio, ſi procuratorium fuiſſet datum ſua die 26. Nouembris cum pacto, quod litteræ expediri non poſsint niſi de Auguſto ſubſequente, nam eo caſu ceſſaret fundamentum ſimoniæ, nempe perceptio fructuum altero poſſidente.

PLACENTINAE.

SVMMARIVM.

1 *Simonia non poteſt ſine pacto, aut conditione interuenire.*
2 *Licitum eſt aliquid pro beneficio accepto dare.*
3 *Caſus deciſionis Rotalis proponitur.*
4 *Simoniæ crimen eſt atrociſſimum, quo nullum reperitur in Iure Pontificio, & extra, & à Sanctis Patribus magis execrandis propoſitionibus indicatum.*

5 *Simonia, quæ occulte committi consueuit ex præsumptionibus, & coniecturis probatur.*

6 *Coniecturæ ad probandam simoniam debent esse vehementes & reum de crimine conuincentes & 21.*

7 *Simoniæ probatio vt concludens constituatur, necessaria est probatio tractatus precedentis, & pactionis, & num. 22.*

8 *Simoniæ crimen vt probetur requiritur probatio conclusionis, non tractatus, cum multa tractentur, quæ non perficiuntur.*

9 *Nemo præsumitur iactare suum, sed hoc non habet locum in actu gratuito.*

10 *Mutuum est actus permissus à charitatis fonte emanans, & amicitiam conciliat etiamsi mutuans secundario à mutuante speret.*

11 *Delictum vt excludatur debet praualere præsumptio oriens ex amicitia.*

12 *Amicitia est sufficiens ad excludendam doli præsumptionem.*

13 *Actus correspectiui quando habent causam expressam licitam excludunt præsumptionem simoniæ.*

14 *Correspectiuitas cessat vbi datur temporis interuallum.*

15 *Instrumentum publicum habet præsumptionem pro se.*

16 *Præsumptiones in materia simoniæ sunt in melius referendæ.*

17 *Partitæ Mercatoris, pro tertio, & contra tertium non probant.*

18 *Condemnandus nemo est præsumptionibus hominis.*

19 *Iniustitia cessante cessat læsio, quæ est fundamentum restitutionis.*

20 *Simonia debet plene & concludenter probari etiamsi de ea ciuiliter agatur.*

22 *Simonia respicit formalitatem ex conuentione.*

23 *Testes singulares ad effectum priuationis non admittuntur in simonia.*


24 *Testes de auditu nihil probant.*

25 *Simonia non probatur nisi probetur præcedens conuentio.*

26 *Confes-*

26 *Confeſſio reſignantis de ſimonia commiſſa poſt reſignationem non præiudicat reſignatario.*
27 *Simonia vera non inducitur ex correſpectiuitate & vicinitate actiuum.*

CONSVLTATIO TERTIA.

1 
ORTVNIVS rogauit Adeodatum, vt agat cum Iulio filio ęgrotante vt beneficium, quod Iulius obtinebat reſignare velit ad fauorem Alberti fratris ipſius Fortunij, ſe beneficij accepti non fore immemorem, imò gratum, Iulius inſcius huius tractatus reſignauit ad fauorē Alberti patre ita petente. Dubitatur an hoc caſu vlla interuenerit ſimonia, & non interueniſſe dicendum eſt, quia ſimonia non poteſt eſſe ſine pacto, aut conuentione, *c. Anſaldus 8. quæſt.* 3. in ſuppoſito caſu nulla interuenit pactio, aut conuentio. Sed Adeodatus filium rogauit, vt amico rem gratam faceret, nil certi inde ſperans, quia potuit Fortunius promiſſi pœnitere, & licitum eſt aliquid pro beneficio accepto dare, vt multis probat *Rota in Romana, ſeu Hiſpalen. ſimoniæ 7. Februarij* 1596. *coram Card. Blanchetto, & in Leodien. Canonicatus Sancti Ioannis* 11. *Martij* 1619. *coram Vbaldo* ergo etiam licitum eſt accipere cum iſta duo ſint correlatiua, adeo vt ſi quis Iure poteſt dare, alter Iure poteſt accipere, & è conuerſo, *cap. debitores, de iureiur.*

2 Verum deciſiones allegatæ videntur ſolum procedere in foro exteriori, non autem in foro animæ, licet enim verum ſit quod in ſignum gratitudinis poſſit aliquis poſt acceptum bene-

beneficium aliquid resignanti dare, & ipse quod datur Iure accipere, *c. de hoc, de simonia*, quia dans rei datæ est dominus, hoc tamen procedit abstrahendo à tractatu præcedenti, vbicunque autem præcedit tractatus, non videtur posse excludi, simonia, *cap. Matthæus eod. tit.* saltem mentalis, quia verum est quod Adeodatus non adegisset filium ad renuntiandúm, nisi præcessisset illa vrbanitas, siue oblatio Fortunij. Vnde licet vterque excusetur à simonia reali, quia nullum alicui ex tractatu vinculum iniectum est, nõ tamen excusatur à simonia mentali, quamuis non incidat in excommunicationem, aut teneatur ad accepti restitutionẽ, aut dati respectiue repetitionem iuxta text. *in c. fin. de simon.* vbi dicitur, quod contrahitur peccatum, non simonia, quod quidem peccatum *Valer. de different. inter vtrumque forum verbo simonia different. 8. n. 1.* dicit esse mortale, quod tamen textus in *d. cap. fin.* non dicit, cuius verba sunt. *In quo casu sufficit delinquentibus per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, quod non infert de necesse ad peccatum mortale: nam in supposito casu, licet oblatio illa Fortunij excitauerit animum Adeodati ad agendum cum filio, vt resignet ad fauorem Alberti; nihilominus si animus Adeodati fuit, quod etiam abstrahendo ab illa oblatione obiuisset cum filio idem officium, & oblatio illa nihil aliud operata est, quàm excitamentum memoriæ rei benegerendæ, nullum contrahere potuit peccatum mortale. Illud certum est quod promissum tenetur adimplere tam dans, quàm recipiens. *Valer. vbi supra num. 3.*

CORAM

CORAM
CARD. BLANCHETTO

Romana, ſeu Hiſpalen. ſimoniæ Merc. 7. Februarij 1596.

3 EGIT Fiſcus contra D. Gaſparem Varelam, tanquam reum ſimoniæ commiſſæ inter ipſum, & q. Fabritium de la Pegna ſuper reſignatione nonnullorum beneficiorum in Diœceſi Corduben. & Hiſpalen. quam deduxit ex ſerie facti ſubſequenti. Beneficia hæc obtinebantur prout hodie obtinentur à Gonſaluo de la Pegna fratre Fabritij, qui diſcedens ab Vrbe constituit duos Procuratores ad illa reſignandum, quę fuerunt reſignata d. Fabritio, licet nulliter prout Rota reſoluit. Ante tamen, & poſt ipſorum reſignationem ad ſui fauorem Fabritius tractauit cum Gabriele de Deſoria de illis ſibi reſignandis cum reſeruatione penſionis, ſed Gabriel recuſauit. Poſtea tractauit de illorum reſignatione cum d. Varela, ſed dicit, ſe noluiſſe conſentire alicui ex dictis reſeruationibus, verumtamen vt prætendit fiſcus ad euitãdam ſolutionem compoſitionis conuenerunt, vt nomine ficti mutui Varela exburſaret Fabritio ſcuta quinque millia monetæ, & quia beneficia erant grauata penſione annua ducatorum de Camera 140. in fauorem Nicolai de Palatios vt illa libera conſequeretur Varela emere ſe ſimularet pro ſcutis 1400. cẽſum vitalitium à Fabritio ad rationem decem pro centenario ſub periculo vitæ d. Nicolai de Palatios penſionarij, & admodum ſenis, & beneficia huiuſmodi poſtea libere reſignaret in ſui fauorem. Hunc autem contractum ſimoniacum probat primo, quia bene-

beneficia, vt prætendit fiscus ascendunt ad valorem scutorum mille, vt ex calculo valoris producto per Lelium de la Pegna instigatorem in hac causa contra Varelam.

Secundò quia ante ipsam resignationem die septima Aprilis 1588. reperitur quidam paruus consensus Fabritij super resignatione horum beneficiorum die sequenti 8. d. mensis Varela, & Fabritius acceperunt à DD. de Pinellis scuta quatuor millia ad cambium sub expresione „ quod illa accipiebant pro negotijs expediendis, quæ à Balthassare Suarez mercatore Granaten. fuerunt sibi transmissa, & litteræ cambij fuerunt directæ Ferdinando Varelæ patri d. Gasparis, sed statim dicta scuta quatuor millia monetæ cederunt in cõmodum Fabritij de mandato etiam Varelæ, & illa soluta fuerunt cuidã Spinolæ creditori d. Fabritij, die vero 15. eiusdẽ mensis huic obligationi accessit Lelius frater Fabritij, & accusator.

Eadem die statim fuit initus contractus census super vita Nicolai, vt dictum fuit, & pater Varelæ constitutus Procurator irreuocabilis ad exigendum fructus dicti anni 1588. ne d. Varela damnum pateretur quandam fideiussionem præstitam per ipsum pro summa scutorum 550. ad cambiũ accepta à d. Fabritio eisdẽ Pinellis. His peractis die 8. Maij, & sic per mensem post à Fabritio resignantur hæc beneficia libere in fauorem Varelæ. Postea ante tempus redditus litterarum cambij Varela restituit pecunias Pinellis, & fecit sibi iura cedi ab eisdem tam contra Fabritium quàm contra Lelium. Quod cum peruenisset ad aures Fabritij misit ad Varelam quendam Pontianum nomine, rogans eum, vt tali cessioni vellet renuntiare, cui Varela respondit, quod daret satisfactionem Fabritio. Mense Februarij 1589. celebratur quoddam instrumentum inter Fabritium, & Varelam, in quo insertis tribus quietantijs Varelæ pro diuersis pecuniarum summis à Fabritio receptis ad cõputũ dicti mutui, & numeratis sibi actualiter, prout testatur Notarius scut. mille & quingentis à Fabritio pro residuo scutorum tria millia mutuatorum, absoluitur, & quietatur Fabritius toto prædicto debito.

De

De mense Augusti anno eodem 1589. Fabritius assumens certam pecuniæ quantitatem accessit ad domum Laurentiæ filiæ Nicolai de Palatios cum Varela, & simulauit sibi vendere censum vitalitium 140. scutorum dicens Varelæ quòd deseruire debebant pro extinctione pensionis, quam Nicolaus habebat super istis beneficijs. In præparatorijs autem huius contractus Varela dicit se interuenisse, reliquum audiuisse à Fabritio, qui illinc ad nonnullos dies misit Notarium ad Varelam, vt cõsentiret cassationi census vitalitij per ipsum empti, Varela respondit se alloquuturum Fabritium, cum quo post fuit loquutus, Notarius recessit, nec stipulatus fuit prædictam cassationem.

Ita igitur omnia coniungendo, & ab his, quæ vno quoque tempore gesta fuerunt arguendo, prætẽdebat fiscus simoniam concludenter probatam. Nam inuerisimile videtur, quod amicus amico gratis absque vlla obligatione mutuo det scuta quinque mille, & quod quis emat censum super vita senis fere decrepiti, præsertim respondentem pensioni, quam idem senex super beneficijs resignatis habebat. Prout ex parte Fabritij inuerisimile est, quod ille voluerit fratrem inopem priuare beneficijs, & illa Varelæ diuiti renuntiare. Quibus accedit, quod cambium fuit captum pro expediendis negotijs Balthassaris Suarez, & tamen nulla negotia illius commissa reperiebantur, immo Varela in suis constitutis interrogatus si dictum Balthassarem cognoscat, negat se illum cognoscere, licet postea ostensa sibi partita dixit putasse se interrogatum an aliquem Balthassarem Soarez Curialem, & Romæ residentem cognosceret, non autem extra Curiam. Litteræ quæ debebant dirigi ad dictũ Balthassare fuerunt directę patri Varelæ ante reditum illarum fuerunt restitutæ pecuniæ Pinellis à Varela, apud quem nullo alio prætextu poterat instare Fabritius pro extinctione Iurium sibi à Pinellis cõtra ipsum cessorũ, nisi quia pro resignatione fuerat sibi satisfactũ. Præterea ad quid Fabritius debebat procurare extinctionem pensionis mediante censu super vita Laurentiæ, nisi quia

prior ille census scutorum 140. fuerat factus pro cautela Varelę, ne pensionem soluendo versaretur in damno, non enim alia de causa poterat instare Fabritius pro extinctione huius census, nisi quia pensio erat extincta.

Hinc sequi videbatur probatio simoniæ concludens, nec suffragari instrumentum restitutionis pecuniarum, quia aut erat, aut non erat simulatum mutuum, si erat simulatum, instrumentum restitutionis eidem vitio subiacebat, si erat verum, restitutio pecuniarum non excludit simoniam, cum ex mutuo pecuniarum ad affectum obtinendi beneficiorum resignationem committatur simonia perinde acsi pecuniæ fuissent gratis datæ.

Quare de mandato Sanctissimi D.N. proposui in Rota an esset probata simonia, & causa ab omnibus Dominis diligentissime discussa prædictis minime obstantibus, quæ copiosissime, & doctissime tam per Fisci Aduocatum in informationibus, quàm per nonnullos ex RR.DD. meis in causæ propositione rationibus, & auctoritatibus fuerunt in Rota allegata, & roborata maior pars Dominorum censuit ad effectum, vt dictus Varela tanquam simonię reus possit condemnari dictam simoniam non esse probatam.

4 Agitur enim de atrocissimo crimine, quo nullum reperitur in Iure Pontificio, & extra, & à Sanctis Patribus magis execrandis propositionibus indicatum, *Ioannes de Turrecrem. cap. per tuas de simon.* & cum alijs, quos enumerat per duas columnas *Tiber. Decian. tract. criminal. in par.* 1. *cap.* 85. *& Ioan: Bernardinus Diaz in sua pract. crimin. canon. cap.* 91. & ideo in illius odium plura ad illius probationem spe-
5 cialia sunt statuta. Inter cætera autem ex eo, quia occulte committi consueuit cautum est, vt ex præsumptionibus, & coniecturis probetur, *cap. per tuas, cap. sicut vbi Innoc. & Abb. de simon. cap.* 1. *de testibus in* 6. *Aym. cons.* 12 2. *num.* 7. *Sarnen. in regula de trien. quæst.* 18. *vers. id tenuit Rota.*

6 Coniecturæ tamen debent esse vehementes, & reum de crimine conuincentes, *cap. euidentia, de accusat. Alex. de Neuo. cons.*

cons. 64. num. 2. Fel. in cap. super litteris num. 17. de accusat. Caputaq. decis. 202. per totam lib. 1. & tenuit *Rota coram Sanctissimo D.N. in vna Firmana Capellaniæ* 10. *Maij* 1582. & postea *coram RR. DD. meis Coadiutoribus in infrascriptis causis coram D. Giptio in vna Britonorien. Commendæ* 17. *Decembris coram D. Orano in vna Cusentinæ Confidentiæ* 4. *Februarij* 1591. *& coram D. Pegna* 14. *Octobris in vna Calaguritana Confidentiæ, & in vna Tullen. Parochialis coram D. Decano* 28. *Maij* 1593. *& coram me in vna Aquen. simoniæ* 17. *Maij eodem anno, &* 19. *Ianuarij* 1594. *& coram D. Litta in Aretina Confidentiæ die* 23. *Ianuarij* 1595. Et hanc sententiam sequuntur *Clarus in pract. criminali in verbo simonia num.* 12. *Foll. in pract. etiam criminali cap.* 18. *num.* 2. *Ignatius Lopez in ead. pract. c.* 91. *littera* B. *&* cauetur *Constitutione Pij V. in Bullario*, §. *& vt simoniæ*, vbi vult quod reus sit conuictus.

7 Ad constituendum autem probationem concludentem necessaria est probatio tractatus præcedentis, & pactionis *cap. Antaldus quæst. 3. glos. in cap. quam pio in verbo postmodum 1. quæst. 2. Doct. communiter in c. veniens il 1. de testibus Decius cons. 118. num. 4. Paris. cons. 30. num. 21. lib. 4. Alex. cons. 2. num. 20. lib. 1. Put. decis. 171. lib. 2. Mohed. decis. 266.* & fuit resolutum fere in omnibus supradictis causis.

In casu autem, de quo agitur non probatur ista conuentio, quod ad euitandum solutionem compositionis in Dataria partes, quæ per prius tractauerant de resignatione horum beneficiorum cum reseruatione fructuum, seu pensionis, nec concluserunt postea conuenirent, vt numeratis Fabritio scutis quinque millibus monetæ resignatio libere fieret. De ea enim solus deponit Lelius de la Pegna Accusator in sua querela & memoriali porrecto Sanctissimo D.N. idque sine iuramento, qui cum esset inimicus Varelæ fidem non meretur, vt in *d. causa Firmana Cappellaniæ*, & in *d. Imolen. coram D. Pamphilio*, & in alia *Aquen. coram me* resolutum fuit, deinde cum fuerit socius criminis, & muneris, minus

ei est credendum *glos. finalis in cap. 1. de testibus in 6.* Nicolans autem de Palatios, quamuis possit repelli vti inimicus, quia tunc temporis litigabat cum Varela, tamen est de simplici auditu, non exprimit à quibus, & vbi audiuisset dici, & cum factum esset de recenti facile poterat reminisci. Tertio eius depositio contrariatur facto dicit enim audiuisse tractatum fuisse de resignatione beneficiorum inter Varelam, & Fabritium cum reseruatione pensionis 650. duc. & quod postea beneficia fuerunt libere resignata, demum quod Varela, vt subueniret Fabritio in suis necessitatibus, dederat illi pecunias, & tamen prius fuerunt mutuo datæ pecunię, quam resignata beneficia, & attendenda est causa pecuniarum datarum ab ipso expressa quæ non est illicita quia non dicit, quod contemplatione beneficiorum fuerint data quinque millia, sed ad effectum subueniendi Fabritio in suis necessitatibus, quod est licitum, vt infra dicitur.

8 Minus potest argui ista prætensa conuentio per fiscum ex tractatu præcedenti probata de renunciãdis istis beneficijs cũ reseruatione fructuum, vel pensionis, quia ad effectum huius criminis probandi requiritur probatio couclusionis, non tractatus, cum multa tractentur, quæ non perficiuntur *l. fin. C. de his quib. vt indig.* & in materia simoniæ tradit *Alex. in d. cons. 2. num. 30.* Præterea ex his, quæ gesta non fuere non arguitur aliquid actum fuisse *l. in lege ff. de contrah. empt. Anchar. cons. 302. vers. præsumen. Aym. cons. 202. num. 9. Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst. 23. num 1.*

Et pro hac sententia bene facit *decis. 36. in manuscript.* in qua dicitur *coram Chissanen.* fuisse in vna Lucana Canonicatus dubitatum an constaret de simonia ex eo quod probabatur in Vincentium, & Marthęum conuentum fuisse de permutandis certis beneficijs ad partes pacto adiecto quod alter eorum liberaret quandam alterius domum ab annuo censu flor. 13. & cum liberatio ista non habuisset effectum, sed illi, cuius commodo cedere debebat liberatio fuissent cõsignata

certa

certa melioramenta ascendentia de ad 120.flor.nihilominus Rota resoluit non esse probatam simoniam quia exequutio non erat conformis tractatui, & tamen, vt in *decis.* legitur, aderant testes deponentes illa melioramenta fuisse consignata ex causa dictę permutationis beneficiorum.

9 Non obstat prętēsum argumentū ex regula, quod nemo præsumitur iactare suū ad *l.cum de indebito, C.de probat.* tam cōtra Varelam, quam contra Fabritium ponderatum, & deductum. Contra Varelam enim deducitur hoc pacto, quod non præsumitur ipsum voluisse gratis Fabritio ferè decrepito absque obligatione Camerali mutuo dare tantam pecuniæ quantitatem, si ab eo non fuisset recepturus hæc beneficia, quod ostendit paruus consensus sub die 7. Aprilis pręcedente contractu mutui. Contra Fabritium autem, quod ipse non præsumitur voluisse huiusmodi diuiti resignare gratis beneficia valoris, vt prætendit fiscus mille scutorum, & illis fratrem priuare. Multis enim modis respondetur, & primo quod in actu gratuito non habet locum regula *d.l. cum de indebito*, vt post *Bart. in l. si tibi decem in princ. ff. de pactis & in l. 2. §. mutui datio ff. si cert. pet.* tradit *Bursat. cons.* 389. *num. 9. lib.* 4.

10 Mutuum enim est actus permissus à charitatis fonte emanans *S.Thom. 2.2. quæst. 78. art. 2.* & amicitiam conciliat, & firmat *Sot. de Iust. & Iur. lib. 6. quæst. 1. art. 2.* etiamsi mutuans secundariò à mutuante speret *S.Thomas vbi supra, glo. in c. consuluit, in verbo sperantes de vsur. Nauar. in manual. c. 17. num.* 219.

Secundo eadem præsumptio militaret contra Pinellos, qui cum dederint dd. scuta quatuor millia tam Fabritio, quàm Varelę insolidum cum sola epistola cambij directa Ferdinando Varelæ, possent præsumi voluisse iactare suum, cum fidem Fabritij fuerint sequuti, nec dicendum videtur ipsos sequutos fuisse fidem Varelæ non Fabritij, quia illinc ad octo dies voluerunt obligationem Lelij, præcipue cum tunc temporis Fabritius non esset, nec reputaretur decrepitus, imò, vt est notissimum illinc ad annū, vel paulo post obtinuit à fe. re.

Sixto Quinto destinari Collector spoliorum in Hispania.
Non obstat, quod Varela nullam receperit obligationem Fabritij, quia aut Fabritius soluebat Pinellis, & Varela erat liberatus, aut solui cogebatur Varela, & per cessionem Iurium à Pinellis erat sibi succursum. Tertio cum post mutuum vsque ad tempus resignationis non esset cautum Varelæ super resignatione facienda sibi per Fabritium illinc ad mensem cum potuisset Fabritium pœnitere, vel potuisset mori argumentum d. Reg. desumptum non excludit. Non est enim verisimile, quod pro beneficijs, quorum valor reperitur expressus ad duc. 400. & erant grauata pensione 140. duc. auri de Camera, Varela voluerit tantũ pecunię quãtitatẽ erogare.
Nec suffragatur paruus consensus, primo quia nescitur vnde ille prouenerit. Secundo cum esset reuocabilis non poterat per illum esse cautum Varelæ, & ideo non potest ex illo inferri ad præsumptionem simoniæ *Nauar. de simon. cons. 50. & 51. Put. decis. 445. lib. 1.* Immo non est verisimile, quod Vir Iurisperitus Referendarius Signaturæ Iustitię dites, qui poterat in officijs, seu censibus suas collocare pecunias, voluerit animam, & honorem suum periculo damnationis eternæ, & perpetuæ infamiæ subijcere. Obiectum de litteris cambij directis patri Varelę, quod debebant dirigi Balthassari Suarez, tollitur quia Varela in suis constitutis, dicit D. Balthassarem Suarez fuisse solitum ad ipsum transmittere negotia mediante patre, & licet aliquo modo variare videbatur in suis constitutis circa cognitionem Balthassaris, tamen non videtur considerabilis variatio.
Non obstat consideratio ex persona Fabritij, & qualitate beneficiorum, valor enim ad scuta mille non probatur, quæ enim mihi fuerunt data computa per fiscum, illa ne dum non sunt in forma probanti, sed sunt etiam in multis alterata, & producta fuerunt à Lelio Accusatore, & instigatore, vt mihi retulit Notarius, & contra dicta computa vrget expressio valoris facta in resignatione obtenta per Fabritium à fratre, in qua exprimitur beneficia ista non excedere valorem 400.
ducat.

ducat. prout etiam exprimitur idem valor in resignatione, de qua agitur.

Accedit quod de tempore resignationis factæ à Fabritio in fauorē Varelę Fabritius erat incapax istorum beneficiorum, quia cum esset natus in Vrbe, non poterat illa beneficia retinere, & à quod Gondisaluo fratre, qui in sui fauorem resignauerat controuersiam patiebatur super istis beneficijs, iam enim ille se se opposuerat Procuratori Fabritij, qui horum beneficiorum possessionem capere contendebat, & possessionem nunquam dimisit, vt videre licet, prout ego vidi in processu *coram R.P.D.Giptio* in causa super istis præstimonijs agitata inter Varelam, & Gondisaluum fol. 58.59.

11 Quare hoc casu ad excludendum delictum debet præualere præsumptio oriens ex amicitia inter Varelam, & Fabritium
12 *Caput. decis. 202. lib. 1.* Amicitia enim est sufficiens ad excludendum doli præsumptionem *Blanch. in pract. crim. fol. mihi 125. num. 21.* vt in simili tradit *Put. decis. 387. in vna Hispalen. lib. 1.* vbi in prohęmio instrumenti, quod deducebatur ad probandam simoniam, erant expressæ causa liberalitatis, & causa concordiæ, ista erat apta ad inducendam simoniam, per illam excludebatur, *Rota* maluit amplecti causam exclusiuam simoniæ, quam inclusiuam, ad id facit *decis. 42. diuers. in manuscript.*

Non obstat prætensa correspectiuitas oriens ex tot actibus die 8. Aprilis celebratis videlicet cambij cum DD. Pinellis mutui inter Fabritium, & Varelam mandati irreuocabilis facti in personam patris Varelæ ad exigendum fructus illius anni, & emptionis census 140. ducatorum super vita Nicolai de Palatios.

Primo quia mandatum irreuocabile arguit contrarium, si si enim Fabritius erat resignaturus beneficia, ad quid constituere Ferdinandum Varelam Procuratorem ad exigendum fructus illius anni qui debebant ad illius filium vti resignatarium pertinere.

13 Secundo quando actus correspectiui habent causam licitam

tam excludunt præsumptionem simoniæ, *Put. decis.* 171.*lib.*2. *Mohed.* 223.*Fuit resolutum* 1.*Februarij* 1591.*coram R.P.D. Giptio* in causa super istis beneficijs, & coram me *in vna Aquen. simoniæ* 19.*Aprilis* 1594. Quod autem resignatio beneficiorum sit licita, & contractus mutui sint à Iure approbati est indubitatum, vt fuit supra deductum.

14 Tertio vbi datur temporis interuallum cessat correspectiuitas *Tiraq. de retract. conuent.* §.1. *glos.* 4. *idem in præfat. repet. l. si vnquam C. de reuoc. donat. num.* 83.

Non obstat impositio census super vita Nicolai de Palatios, quia in his, quæ sunt in facultate nostra datur pro ratione voluntas, sed quod dicta impositio census non respexerit pensionem 140. ducat. impositam super beneficijs istis videtur colligi. Primo quia census erat scut. 140. auri in auro, pensio vero ducat. auri de Camera. Secundo quia magis expediebat Varelæ pro extinctione pensionis agere cum ipsomet Nicolao, & non cum Fabritio, Nicolaus enim pro satis minori summa extinxisset illam, vt postea euentus docuit, vel suscipere in se onus soluendi pensionem, vita senis durante, nam vtroque modo minorem quantitatem pecuniarum Fabritio numerasset, & mors dicti Nicolai cessisset commodo Varelæ, non autem Fabritij, seu Lelij, qui etiam impositioni huius census consenserat, & pro illo se obligauerat. Istis non refragantur, quæ renunciationem istorum beneficiorum fuerunt subsequuta. Primo quia omnia gesta post resignationem non probato tractatu præcedenti, non inducunt probationem simoniæ, vt fuit dictum in omnibus prædictis causis in *Rota*. Sed sigillatim omnia percurrendo. Primo consideratur restitutio facta per Varelam pecuniarum Pinellis, & cessio obtenta contra Fabritium ab eisdem, & instantia Fabritij pro cassatione d. cessionis. Dicta restitutio pecuniarum respicit potius contractum inter Pinellos & Varelam, quam renunciationem beneficiorum, quia hoc negotium fuit gestum cum illis, qui quoad beneficia nullum interesse habebant. Cessio Iurium obtenta excludit potius præsum-

ptionem

ptionem ſimonię, ad quid enim ſi dediſſet pecunias Fabritio ad effectum obtinendi beneficia voluiſſet cedi ſibi iura contra eundem à Pinellis, inſtantia Fabritij pro extinctione ceſſionis iurium, non includit, quia illam non obtinuit, nam licet Varela dixerit Pontiano, quod daret ſatisfactionem Fabritio, tamen illam nunquam dedit, niſi illinc ad decem mēſes reſtitutis ſibi pecunijs, ſi enim geſta per Fabritium ſunt ponderanda ſunt etiam habenda in conſideratione geſta per Varelam.

Nec mouerunt Dominos allegata contra dictum inſtru-
15 mentum quietantiæ, nam inſtrumentum publicum habet pręſumptionem pro ſe *Pariſ. conſ.* 104. *num.* 61. *lib.* 1. eſt enim probatio probata *l. cum precibus C. de probat.* & allegans illius ſimulationem ſeu falſitatem debet cauſam ſimulationis oſtēdere, *Bart. conſ.* 65. ſæpe in *Rota* canonizato. In caſu autem propoſito cauſa ſimulationis quietantię non probatur quàm contra Lælium. Quod cum perueniſſet ad aures Fabritij miſit ad Varelam quendam Pontianum nomine, rogans eum, vt tali ceſſioni vellet renuntiare, cui Varela reſpondit, quod daret ſatiſfactionem Fabritio. Menſe Februarij 1589. celebratur quoddam inſtrumentum inter Fabritium, & Varelam, in quo inſertis tribus quietantijs Varelæ pro diuerſis pecuniarum ſummis à Fabritio receptis ad cōputum dicti mutui, & numeratis ſibi actualiter, prout teſtatur Notarius ſcutis mille, & quingentis à Fabritio pro reſiduo ſcutorum tria millium mutuatorum abſoluitur, & quietatur Fabritius toto pręd icto debito. De menſe Auguſti anno eodem 1599. Fabritius aſſumens certam pecuniæ quantitatem acceſſit ad domum Laurentiæ filiæ Nicolai de Palatios cum Varela, & ſimulauit ſibi vendere cenſum vitalitium 140. ſcutorum dicens Varelæ, quod deſeruire debebant pro extinctione penſionis, quam Nicolaus habebat ſuper iſtis beneficijs. In pręparatorijs autem huius contractus Varela dicit ſe interueniſſe, reliquum audiuiſſe à Fabritio, qui illinc ad nonnullos dies miſit Notarium ad Varelam, vt conſentiret caſſationi

censũs vitalitij per ipsũ empti, Varela respondit se alloquuturũ Fabritium cũ quo postquã fuit alloquutus Notarius recessit, nec stipulatus fuit prædictam cassationẽ. Ista igitur omnia coniungendo, & ab his, quæ vno quoq; tẽpore gesta fuerunt arguendo prætendebat fiscus simoniã concludenter probatã.

Nam inuerisimile videtur, quod amicus amico gratis absq; vlla obligatione mutuo det scuta quinq; mille, & quod quis emat censum super vita senis ferè decrepiti, præsertim respondentem pensioni, quam idem senex super beneficijs resignatis habebat. Prout ex parte Fabritij inuerisimile est, quod ille voluerit fratrem inopem priuare beneficijs, & illa Varelæ diuiti renuntiare. Quibus accedit, quod cambium fuit captum pro expediendis negotijs Balthassaris Suarez, & tamen nulla negotia illius commissa reperiebantur, imo Varela in suis constitutis interrogatus si dictum Balthassarem cognoscat, negat se illum cognoscere, licet postea ostensa sibi partita dixit putasse se interrogatum an aliquem Balthassarem Suarez, & Romæ residentem cognosceret, non autem extra Curiam. Litterę, quę debebant dirigi ad dictum Balthassarem fuerunt directę patri Varelę ante reditum illarum fuerunt restitutę pecunię Pinellis à Varela, apud quem nullo alio prętextu poterat instare Fabritius pro extinctione Iurium sibi à Pinellis contra ipsum cessorum, nisi quia pro resignatione fuerat sibi satisfactum.

Prçterea ad quid Fabritius debebat procurare extinctionem pensionis mediante censu super vita Laurentię, nisi quia prior ille census scut. 140. fuerat factus pro cautela Varelę ne pensionem soluendo versaretur in damno, non enim alia de causa poterat nisi ex pręsumpta simulatione mutui pręcedentis, quę non est probata, & est cardo totius disputationis.

Excluditur etiam pręsumptio simulationis, quia vt dictum est, facta est cum insertione aliarum quietantiarum pro certis summis, & reali solutione 1500. & pro residuo, ex quo excluditur pręsumptio simulationis *Salic. in l. ab Anastasio num.* 4. *C. mandat.* iustificatur etiam, quia Varela ostendit se de tempore

pore

pore receptarum pecuniarum à Fabritio, ſeu Paulo poſt feciſſe nonnullas expenſas in Cancellaria, & extinxiſſe penſionem, quam ſoluebat Gondiſaluo Marin aſcendens ad non modicam pecuniæ quãtitatem, & licet mediante mutuo contrahatur ſimonia, tamen hoc eſt verum ſi pręcedat tractatus de mutuandis pecunijs, & reſignando beneficio, qui in hoc caſu non probatur, nec etiam deducitur, cum allegetur emptio beneficiorum ex pretio conuento.

Ex quibus omnibus, & ſimul iunctis & ſigillatim ex-
16 cluditur prætenſa ſimulatio huius contractus. Neque enim omnia ſunt in deteriorem partem interpretanda, imo in hoc caſu præſumptiones ſunt in melius referendę *Tiber. Decian. in tract. crim. par. 1. c. 86. nu. 7.* vbi de hoc crimine, *Chiſsanen. deciſ.* 169. in qua cum quidam reſignaſſet beneficium, deinde remanſiſſet in poſſeſsione illius poſt biennium coram eiſdem Notario, & teſtibus eadem die reſignatario numerauit centum, & dedit vineam, & obtinuit retroceſsionem dicti beneficij, *Rota* maluit pecuniam & vineæ conſignationem adſcribere reſtitutioni fructuum per biennium indebitæ perceptorum, quã cauſa obtinendi beneficiorum reſignationem, de reſtitutione tamen nulla fuerat facta mentio, & fuit etiam dictum *coram D. Litta in illa Aretina Confidentiæ.*

Præterea licet ex aliquo actu poſsit oriri aliqua ſuſpicio, non tamen contractus irritantur, & geſta vti illlicita reuocari debẽt, vt in eo, qui mutuo dedit gratis pecunias, ſi poſtea à mutuatario ex cauſa liberalitatis aliquid recipiat, ex nonnullis tamen circumſtantijs cauſa liberalitatis præſumatur falſa, videlicet quia dans erat pauper, recipiens erat lucri cupidus, licet receptio ſit ſcandoloſa, & apta ad incurrendam notam vſurariæ prauitatis, recipienti tamen non ideo primus contractus cenſetur vſurarius, & recipiens ad reſtitutionem recepti tenetur, vt per *Conrad. de contract. quæſt. 29. 3. concluſ. verſ. 4. caſus iuncta concluſ. 2.*

Non obſtant geſta cum Laurentia filia Nicolai de Palatios, quia non obſtante tali contractu, de quo Varela erat

informatus, vt supra dictum fuit, Ipse soluit per quinque menses post pensionem Nicolao de Palatios, si enim approbasset gesta per Fabritium poterat non soluere, & cum Fabritius instaret apud Varelam pro cassatione census, & Varela recusauerit, & intentioni Fabritij non satisfecerit, immo obtinuerit mandatum contra Lęlium, non potest inferri ad conuentionem simoniacam inter ipsos, potuit enim Fabritius credere, quod ex causa gratitudinis Varela eum liberaret à census solutione, multo magis stante prætensæ pensionis extinctione.

Non obstat supplicatio cassationis pensionis reperta in registro supplicationum, quia Varela negat illam fuisse de consensu suo porrectam, & est admodum inuerisimile, quod illam porrexerit, cum enim expressisset valorem istorum beneficiorum ad quadringentos duc. petendo cassari pensionem 650. duc. impositam super illis parabat ex propria confessione concludentem probationem volenti impetrare hæc beneficia propter non expressionem veri valoris.

Non obstant litteræ directæ R. P. *D. Corduben.* in quibus Varela asserit beneficia sibi resignata cum fructuum reseruatione ad fauorem Fabritij. Primò, quia dictæ litteræ non fuerunt transmissæ. Secundò, quia apparet ex qua causa illas scripserit, videlicet ne occasione vnionis factæ, seu faciendæ Seminario impediretur in perceptione fructuum istorum beneficiorum.

17 Vltimo non obstat partita libri Fabritij, quia tritissimum est, quod partitæ etiam mercatorum pro tertio, nec contra tertium probant *Doct. in l. admonendi ff. de iure iuran.* & tenuit *Rota* in pluribus causis. Secundò cum ista partita fuerit adnotata 16. Decembris 1589. & sic per sexdecim menses post resignata beneficia, non potest præiudicare Varelæ, confessio enim resignantis perfecta resignatione ad probandum simoniam non nocet resignatario, vt fuit resolutum in dictis causis *Firmana Capellaniæ coram Sanctissimo D. N. ac Tullen. Parochialis coram Reuerendissimo Domino* Decano.

Quare

Quare cum fisci probatio non fundetur super aliquo dicto testes legitimi, aut super aliquo publico instrumento, seu aliqua Varelæ clara confessione, atque vlla iuris, & de iure præsumptione, cum non probetur tale factum, quo lex præsupponat simoniacum, & super disponat, non est censendum conuictus Varela, regulæ autem *l. cum indebito C. de probationibus*, & correspectiuitati ponderatæ fuit satisfactum, nec vllas alias deduxerit iuris præsumptiones minus sequi debet condemnatio, præcipue in magno, & grauissimo delicto, cum illa non sufficiant ad effectum condemnandi *Innoc. in c. quia verisimile de præsump. Doctores omnes in cap. afferte gladium, eodem tit.*

18 Verisimilia autem, & inuerisimilia alia allegata cum incalescant in hominis præsumptiones, & contrarijs coniecturis, & verisimilibus, & inuerisimilibus confundantur, non constituunt certum probationis statum *l. diuus ff. de in integrum restitutione cap. ex transmissa, qui filij sint legitimi, Bal. in l. siue possidetis in vltima col. C. de probat.* & non debet ex illis dictis Varela reus condemnari, tum quia ex præsumptionibus hominis nemo condemnandus est *Mars. in pract. crim. §. diligenter num. 13. 21. 22. Boss. de coniect. nu. 46. Tiraq. de pœnis temp. casu 27. Bertaz. cons. crimin. 299. nu. 1. & 391. num. 16.* & in terminis simoniæ *Put. decis. 387. lib. 1.* & idem *decis. 4. de simonia*, tum quia in concursu probationum illæ sunt præferendę, quę excludunt delictum *cap. final. de præsumpt. Roman. cons. 68.* sanctius est enim nocentem absoluere, quam innocentem condemnare *l. absentem ff. de pœn.*

Et ex his pro maiori parte sententiarum decisum fuit.



R. P. D.

R. P. D. VBALDO.

Leodien. Canonicatus Sancti Ioannis Lunę 11. Martij 1619.

19 
N resignatione, seu permutatione Canonicatus, & Prębendæ, quas obtinebat Octauius de Pio cum beneficio simplici Nicolai Oleij, prætēdebatur interuenisse simonię labem, & eo nomine illos impetrauit Henricus Gerardinus à Sede Apostolica, & litem in partibus contra Nicolaum possessorem intentauit, qui tamen fuit per sententiam Officialis Leodien. absolutus, & quamuis fuisset à sententia appellatum, & causa commissa in Rota, tamen ob lapsum fatalium, cum de desertione dubitaretur, fuit ad instantiam eiusdem Henrici commissa causa restitutionis in integrum, quare proposito dubio an Henricus esset restituen. DD. ordinauerunt die 17. Maij 1617. vt informaretur stricte super simonia, & demum hodie resoluerunt Henricum non esse restituendum, quia de bono Iure, & verisimili impedimento, quare appellationem prosequi non potuerit Henricus non docuit, prout requiritur, *Rota decis. 5. de restit. in integrum* in nouis cum alijs adductis in *causa Aggrigentina Canonicatus 9. Decembris 1586. coram Giptio*. Immo sententia contra eum lata fuit iusta, & cessante iniustitia cessat lęsio, quę est fundamentum restitutionis *l. nam postea §. si minor* & ibi *DD ff. iureiur. l. verum §. sciens vbi Bart. ff. de minor. Dec. cons. 616 in fine* cum alijs per *Surd. cons. 95. num. 2*. Iustitia autem sententię absolutorię Nicolai videbatur patens, quia prætensa simoniæ, in qua Henricus
20 se fundat, visa est DD. non probari, quę tamen cum agatur ad permutationem beneficij, etsi ciuiliter agatur, debet plene,

& con-

& concludenter probari *glo.* recepta *in c. veniens* 1. & ibidem *Abb. num.* 4. *Dec. num.* 8. *de testib. Alciat. cons.* 2. *num.* 41. vbi de communi *lib.* 1. *Natta cons.* 299. *nu.* 13. *in fin. lib.* 2. *Rota apud Seraph. decis.* 1029. *nu.* 1. *decis.* 1359. *nu.* 3. *& in Firmana Capellaniæ* 7. *Maij* 1582. *coram fel. rec. Clemente VIII. in vna Calaguritana confidentiarum* 25. *Iunij* 1593. *coram bo. me. Card. Pamphilio, in vna Aretinen. Confidentiæ* 23. *Ianuarij* 1595. *coram bo. me. Litta, in vna Tullen. simoniæ* 2. *Aprilis* 1597. *coram bo. me. Orano*, & late prosequitur *Farinac. cons.* 75. *num.* 13. *lib.* 1. *& in eod. cons. num.* 4. 53. 65. *&* 106. ponit dictas decisiones *Clementis VIII. Pamphilij, Littæ, & Orani*, & accedit *decis. in Lucana Confidentiæ coram Illustriss. Ludouisio, quæ est decisio* 108. *num.* 1. *par.* 1. *in recentior. & in Albinganen. Confidentię coram Reuerendissimo Lugdunen. quæ est decisio.* 166. *num.* 8. *par.* 2. *& decis. in Vercellen. Parochialis* 13. *Ianuarij* 1617. *coram R. P. D. meo Andrea*, & licet illa probetur, etiam
21 per coniecturas secundum *Butr. & alios in c. sicut, de simonia* tamen illę debent esse euidentes, & claræ, & simoniam necessario concludentes, & quę reum omnino conuincant *glos. vlt. in cap. insinuatum, de simonia. Alex. de Neuo. cons.* 64. *num.* 2. *&* 3. *per Rota canonizatus*, vt fuit dictum in *dicta Aretina Confidentiæ coram Litta, Felin. in c. super his, num.* 17. *de accusat. Alciat. d. cons.* 2. *num.* 41. *Seraph. decis.* 1029. *num.* 2. *& decis.* 1359. *num.* 2. *Caputaq. decis.* 102. *par.* 1. *Rota decis. supra alleg.* præsertim in illa *Firmana Capellaniæ coram Clement. VIII. in d. decis.* 108. *par.* 2. vbi refertur *decisio in Romana, seu Hispalen. simoniæ* 7. *Februarij* 1596. *coram bo. mem. Card. Blanchetto*, quę ponitur *in d. cons.* 75. *apud Farinac. num.* 76. in qua *num.* 79. late probatur d. conclusio, & referuntur alię decisiones. Probationes autem pro Henrico adductæ non videntur tales, quia in primis nulla probatur concludenter præcedens conuentio illicita inter resignantem, & resignatarium ante resignationem quod scilicet Nicolaus promiserit, vel soluerit aliquid Octauio in dicta causa, quæ conuen-
22 tio, & tractatus est omnino necessarius ad inducendum, &

proban-

probandum simoniam, *cap. Ansaldas 8.quæst. 3. Doct.* communiter *in dicto cap. veniens 1.de testib. Rota apud Put. decis.* 171. *num.9. lib.2. Mohed. decis. 1. de simon. Seraph. decis.* 1029. *num.8. & 1359. num.1. & in dicta Romana seu Hispalen. simoniæ coram Blanchetto apud Farinac. dicto cons. 75. num.80. & dicta decis.108.num.3. in recent. par.1. & dicta decis.166.num.2. & d.decis.358.num. 12.par. 2.* vbi quod simonia recipit formalitatem ex conuentione. Non obstant testes deponentes, quod Octauius esset grauatus ære alieno, & vellet se eo liberare, & quod vellet vxorem ducere, & tractauerit de Canonicatu resignando data sibi pecunia, & in specie nonus attestans Octauium dixisse qui plus dabit habebit meam præbendam, vt in *Summario Henrici num. 1.*
23 quia præter id, quod omnes videntur singulares, qui non admittuntur per *Rotam* in hac materia, præsertim ad effectum priuationis, *Put.decis. 271.num.11.lib.2. Seraph.decis.1029. num.1. & seq. & vna Tullen.simoniæ coram Orano vers. aut sunt singulares apud Farinac.d.cons. 75. num. 106.& in dicta Firmana coram Clemente VIII. vbi supra num. 43. & in Aquen.Simoniæ 18. Ianuarij 1544. coram Blanchetto vbi supra apud Farin.nu.63.* qui etiam dictam conclusionem sequitur *d.cons.75. num.9.& num.29. in fin* & nonnulli etiam sunt
24 de auditu ab ipso Octauio, qui etiam nihil faciunt *l. testes C.de testib.* & in hac materia simoniȩ *Rota d.decis. 358. num. 5.par.2. in recent.& in d.Romana Simoniæ coram Blanchetto, & in d.Tullen.Simoniæ coram Orano apud Farinac.d. cons.75. nu.82.& 106.& in Conchen. Archipresbiteratus 27 Nouembris 1602.coram Litta apud Farinac. lib. 2. cons. decis. 187.* quatenus etiam probarent, non concluderent, nisi de intentione, & tractatu ex parte Octauij, non autem de conclusione, & effectuatione ex parte Nicolai, prout requiritur, cum aliàs non posit dici pactum, vel conuentio, quæ requirit duorum consensum *l.1.§.conuentionis ff.de pactis*, sine qua conuentione simonia non constitit ex late deductis. Nec etiam obstat quòd Nicolaus post resignationem dedit Octa-
uio

uio florenos 1500. quos pro redemptione penſionis, necnon
florenos 400. loco beneficij permutati, quod Octauius aſſe-
quutus non fuerat, & rurſus alias pecunias pro compenſatio-
ne illius pluris, quod Octauius pro penſione ſibi reſeruare
cupiebat, vt per teſtes in *ſummario Henrici num.* 5. *&* 10. *ac*
16. *& ſeq.* quia dabatur generalis reſponſio, quod ex actibus
ſubſequutis non probatur ſimonia, niſi probetur præcedens
conuentio cum potuerint dari pecunię ex cauſa remuneratio-
25 nis, vel ex alia cauſa, vt putà mutui, vt de dicta ſumma flo-
renorum 1500. cantat chirographum ab Octauio ſubſcriptum
*Put. deciſ. 171. num. 5. & 7. & deciſ. 490. nu. 2. lib. 2. Seraph.
dicta deciſ. 1029. num. 7. & 10.* fuit dictum in ſimilibus termi-
nis in *Carthaginen. Confidentiæ 21. Iunij &* 13. *Nouembris*
1592. *coram Giptio, & in d. Firmana coram Clemente VIII.*
& in *dicta Calaguritana Confidentiæ coram Card. Pamphilio,*
& in *Aquen. Simoniæ coram Card. Blanchetto*. vbi in ſpecie
habetur de pecunijs mutuò datis, & in *dicta* Romana, *ſeu
Hiſpalen. Simoniæ coram eodem*, & in vna *Imolen. Confiden-
tiæ* 24. *Februarij* 1592. *coram Card. Pamphilio* apud *Farin.
dicto conſ.* 75. & ibi ponit *dictas deciſ. num.* 42. 53. 62. 65.
109. *Rota dicta deciſ.* 108. *num.* 5. *par.* 1. *in recent. & in di-
cta deciſ. 358. num.* 21. *par.* 2. late *Alciat. reſponſ. 2. num.* 16.
& ſeq. lib. 1. & in omnem caſum, quatenus etiam Octauius
confeſſus eſſet accepiſſe dictas pecunias pro redemptione
26 penſionis, vel loco beneficij permutati, quod tamen non
probatur, dicta confeſſio vti emanata poſt reſignationem non
præiudicaret reſignatario, vt in puncto fuit deciſum in dicta
Firmana coram Blanchetto, & apud *Seraph. dicta deciſ.* 1029.
num. 3. *&* 13. & in *Vercellen. Parochialis* 23. *Ianuarij* 1617.
coram D. Andrea, & quatenus etiam depoſuit tanquam te-
ſtis, adhuc vti ſocius criminis repellitur in hac cauſa priua-
tionis, *Alex. de Neuo. dicto conſ. 64. num. 5. Seraph. dicta de-
ciſ. 1029. num. 4. cum alijs in dicta Vercellen.* Non obſtat
etiam, quòd dictæ ſolutiones videantur correſpectiuæ ad re-
ſignationem, quia talis correſpectiuitas non probatur, ad

Pp quam

quam debeat concurrere identitas Notarij testium, & quod in cótinenti fere vnus actus post alios sit subsequutus *Farin. dicto cons. 75. num. 11. & num. 36.* & decisionibus ibi positis
27 *num. 54. & 93.* & in omnem casum simonia vera non inducitur ex correspectiuitate, & vicinitate actuum *Put. dicta decis. 171. num. 10. lib. 2. Rota decis. 418. num. 4. in fin. par. 1. in recent. & decis. 358. num. 11. par. 2.* Quæ eo magis videbantur Doctores amplectenda, quia multæ exceptiones competebant contra personas, & dicta testium de quibus late per informationes pro Nicolao, qui etiam respondebant sigillatim ad alia leuiora ex aduerso opposita.

Ex quibus fuit conclusum Henricum non esse restituẽdum.

PORTVEN.

SVMMARIVM.

1 *Pensio absque facultate Summi Pontificis non potest sine labe simoniæ redimi & multo minus vendi, vel alio oneroso contractu alienari.*

2 *Pensionem redimentes aut vendentes sine Pontificis auctoritate puniuntur tanquam simoniaci.*

3 *Cedens pensionem pretio accepto absque Summi Pontificis auctoritate, & cessionarius tanquam simoniaci sunt puniendi.*

4 *Correptio scripturæ contra veritatem non releuat.*

5 *Procuratoris constitutio irreuocabiliter tanquam in rem propriam importat translationem dominij.*

6 *Procurator in rem propriam non est proprie procurator, sed dominus, appellatur autem procurator largo modo, quia negotium agit pro sua vtilitate & dicitur positus omnino in loco constituentis ipso remoto.*

7 *Mandatum irreuocabile habens ad exigendam pensionem in veritate habet totum ius pensionis.*

8 Pensio

8 *Penſio quando dicatur vendi.*

9 *Penſione extincta per futurum matrimonium cedentis, ceſſionarius habet actionem repetendi ſuos denarios ob non exiſtentiam rei emptæ ab ipſis, & venditæ à cedente.*

10 *Iuriſpatronatus venditio eſt ſimoniaca per annexionem rei ſpiritualis.*

11 *Penſionis fructus an poſsint vendi, & alienari, & num. 12.*

13 *Penſionis commoditas poteſt titulo oneroſo, mediaque pecunia alienari, & transferri, & num. 14.*

15 *Paria ſunt non eſſe, & non apparere.*

IOANNIS CAROLI PICAE
PATRITII AQVILANI I.V.D.
ET PROTONOTARII APOSTOLICI.

CONSVLTATIO QVARTA.

1 ETRVS ceſsit pretio accepto penſionem quandam, & eius terminos decurſos ad fauorem Ioannis abſque facultate Summi Pontificis, eumque ad illam exigendam irreuocabilem procuratorem, tãquam in rem propriam conſtituit, quæritur an in huiuſmodi ceſſioneinteruenerit aliqua ſimonię labes? In quo dubio mihi videtur affirmatiue reſpondendum, certum eſt enim nõ poſſe ſine labe ſimoniæ redimi, & multo minus vendi, vel alio oneroſo contractu, qui in idem reincidit, alienari penſio abſque facultate Summi Pontificis, & quicquid hactenus in controuerſiam vocatum fuerit, tollitur per nouam Conſtitutionem Pij V. Incipit. *Ex proximo*, quæ eſt 38. in ordine de anno 1571. Penſionarij enim per dictam

Bullam non solum debent esse Clerici, sed tenentur recitare officium B. Mariæ Virginis, & pensiones illis datæ sunt inuendibiles, quia dantur cum obligatione alicuius spiritualis, & Clericalis muneris, requirentes non tantùm Statum Clericalem, vt conditionem, sed etiam postulantes ministerium spirituale, ratione cuius fructus pensionis debentur, *Nauar. in man. cap. 23. num. 111. & cons. 59. 61. & 65. de simon. & 11. de reb. Eccles. non alien.* & præter alios, quos allegat eum sequens *Garz. de benef. parte prima cap. 5. num. 20. vsque ad 28.* eamdem sententiam tenent *Suarez de Relig. tom. primo lib. 4. de simon. cap. 26. num. 8. Less. de Iust. & Iur. lib. 2. dubit. 22. cap. 35. num. 122. Monet. de distrib. par. 2. quæst. 118. num. 152. Reginal. in praxi lib. 23. quæst. 5. per tot. & tract. 3. c. 8. nu. 183. tom. 2. Rodriq. tom. 2. cap. 22. de pension. Anton. Fernandez. in sua medul. casuum conscien. par. 4. cap. 15. §. 6. num. 4 Ioannes à Cochier de permut. beneficiorum par. 3. cap. 2. num. 17. & 18. atque alij Theologi, Iuristæ, & Summistæ* passim, & decidit *Rot. decis. 63. in impres. post cons. Farinac. coram Gipsio,* quam ad idem refert *Garz. loco citato num. 22.*

2 Nec desunt dicentes ita practicari, & esse de stylo Vrbis, vt redimentes, & vendentes sine Pontificis auctoritate pensionem puniantur tamquam simoniaci, *Garz. vbi supra num. 23.* qui citat *Tolet. & alios* dicens præterea falli *Enriquez* putantem ante præfatam Bullam pensionem esse quid temporale, sequuntur *Less. loco citat. num 129. Ioannes Valer. Valentin. de different. vtriusque fori differen. 16. num. 2.* & addit *Suarez loco citat. num. 9.* etiamsi haberet facultatem transferendi, pensionarium committere simoniam si transferat pensionem in alium media pecunia.

3 Ex quibus cum pensionarius alteri cesserit pensionem, & terminos illius super Archipresbyteratu grauato pro exbursato pretio scutorum 270. & multos terminos cessionarius exegerit ab Archipresbyteris pro tempore, nullum superest dubium, quin simoniam vtraque pars commiserit, & tanquam Simoniaci præfatus cedens, & similitèr cessionarius

sint

ſint puniendi, vltra alias pœnas in pœnam priuationis dictæ penſionis, & amiſsionis pretij reſpectiuè per *Extrauag. deteſtabilis de ſimonia, inter commun. & alia Iura.*

4 Non obſtat ſi dicatur cedentem vendidiſſe tantùm terminos penſionis ſeù illius fructus, quod videtur licitum ſua vita durante, non autem penſionem, vt ex inſtrumento.

Primo, quia ex fide dicti Inſtrumenti, quam extraxit ſubſtitutus dicti Notarij, quamque idem tradidit Notario huius cauſæ, qui eam collationauit cum protocollo antequam euidētiſsime correcta fuerit, conſtat cedentem vēdidiſſe penſionem, & terminos, vndè veritas erit attendenda, & non dicta correctio ſcripturæ, quæ non releuat aduerſarios, *arg. l. eleganter §. qui reprobos ff. de pignorat. action. & gloſ. in l. 2. in verb. non habent C. de hæreticis.*

5 Secundo quia ex ſcripturæ integro tenore dicti Inſtrumenti etiam ſi celebratum fuiſſet eo modo, & forma, quibus legitur adulteratum vt ſupra, clariſsime conijcitur cedentem vendidiſſe penſionem, & ceſſionarium eandem totam emiſſe, & non terminos tantùm, nàm dictus ceſſionarius eſt in dicto inſtrumento conſtitutus procurator irreuocabilis tanquam in rem propriam ad exigendum dictam penſionem, quę quidem conſtitutio procuratoris importat translationem dominij, & procurator ſic conſtitutus totum commodum ſibi applicat,
6 *Bald. conſ. 2. verſ. illud conſtat vol. 2.* nec venit nomine procuratoris in aliquo Statuto, nec eſt procurator propriè, ſed dominus, *Bart. poſt gloſ. in l. prima ff. de procurat. Iaſon. in l. qui ſtipendia C. eod. tit.* appellaturque procurator largo modo, quia negotium agit pro ſua vtilitate, *Fulgoſ. conſ. 202. nu. primo verſ. ſed dato*, & dicitur poſitus omnino in loco conſtituentis ipſo remoto *Alex. in l. quadringenta ff. ad trebel. Iaſ. in l. ſi cum emptor col. 2. ff. de pact. Bald. in l. 3. C. de nouat. Ferrett. conſ. 355. vol. 2.*

7 Non releuat ſi dicatur præfatum ceſsionarium fuiſſe conſtitutum procuratorem tamquam in rem propriam quoad fructus tantum, & non quoad ius penſionis, remaneretque

proinde difficultatem in robore, nam dixit *Rota in vna Mediolanen. pensionis Lunæ 5. Martij 1607. coram bonæ memor. Card. Marquemont* eum qui habet mandatum irreuocabile ad exigendam pensionem in veritate habere totum ius pensionis, & ex alijs clausulis eiusdem instrumenti optime deducitur dictam constitutionem procuratoris cadere super tota pensione, non autem super fructibus tantùm, tùm ex illa, *omnia iura &c.* quæ importat translationem omnium iurium etiam directorum, & in casu nostro consequenter totius pensionis per ea, quæ dicit *Castren. cons. 191. col. 2. vol. primo per tex. in l. qui stipendia*, vbi latè *Ias. C. de procurat. Aret. cons. 124.* tum ex alia, *cum facultate consentiendi cassationi dictæ pensionis, & in alium translationi*, quæ facultas etiam reperitur in ventre dicti instrumenti, & declarat ex illo tunc eiusdem instrumenti celebrationis potuisse translatarium, & posse in præsentiarum disponere non solum de terminis, sed de iure toto pensionis tamquam proprio, eo modo, quo quilibet est rei suæ moderator, & arbiter *l. in re mandata C. mandat.* quod patet, si illam potest transferre, & cassare, & ex hoc etiam cessat alia excusatio, quod hic cõtractus sit contractus, qui dicitur scommessa, & sit emptio vitæ pensionarij, quandò non secuta morte cedentis, cessionarius potest alienare pensionem.

8 Non valebit effugium si pro ipsis respondeatur esse illicitas, & passim fieri procurationes ad cassandas, & transferendas pensiones, quia sumus in casu, quo cedens vendidit fructus pensionis decursos, & decurrendos, ac etiàm anticipatos terminos, seù annatas, pro quibus possit dictus cessionarius extinguere dictam pensionem ad eius commodum vndè pensio transferenda pro pretio scut. 270. est redacta in dominium, & proprietatem cessionarij cùm eam possit ad propriam vtilitatem pro dicto pretio cum anticipatis solutionibus cassare, & in alios transferre, & dicitur propterea vendita, & empta, sicut empta, & vendita dicitur domus, cuius iura per contractũ sunt cessa si cessionarius inter alia habeat

hoc ius in mandato, vt eam alienare, & pretium ſibi appropriare poſsit, & cum adſit ſubſtantia, & radix originalis cõtractus emptionis & venditionis, quæ conſiſtit in conſenſu rè, & pretio *Bald. in l. in vendentis nu. 3. C. de contrahenda emptione*, & explicat *Iaſon. in l. Iuris gentium* §. *adeò, in principio ff. de pactis* non videtur ambigendum huiuſmodi contractum perfectiſsimum eſſe emptionis, & venditionis dictæ penſionis *l. traditio ff. de acquirend. rerum dominio.*

9 Declarat plenius ſuper hoc horum contrahentium mentem pactum vulgari ſermone in eodem inſtrumento prolatum. *Che dato il caſo, ch' il detto Sig. cedente veniſſe à pigliar moglie ſia obligato à rendere integramente al detto Sig. ceſsionario li detti ſcudi 270. ſenza conſideratione alcuna de gli termini che haueſſe riſcoſsi della detta penſione.*

Quod quidem pactum vltrà manifeſtam, & non palliatam vſuram, quam præfert, ſatis apertè manifeſtat cõtractum initum ſuper iure penſionis integro, cum in effectu tali conuentione reſultet translatio penſionis *Rota expreſſe in dicta deciſione Mediolanen. penſionis*, extincta enim penſione per futurum Matrimonium cedentis ceſsionarius habet actionem repetendi ſuos denarios ob non exiſtentiam rei emptæ ab ipſis, & venditæ à cedente argumen. eorum quæ dicuntur in iure euict. & de rebus poſt venditionem euictis.

10 Tertio, & vltimo quia ſicut eſt ſimonia non ſolum venditio Iurispatronatus per annexionem rei ſpirituali ſecundum doctrinam *S. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 2.* ſed etiam fructuum Iurispatronatus, qui conſiſtunt in præſentatione, per rationem *text. in c. ſi quis obiecerit. 1. quæſt. 3.* Vendita enim præſentatione Iurispatronatus neutrum remanet inuenditum iuxta phraſim, & locutionem Cauonis, Ità etiam non poſſunt vendi fructus penſionis durante vita penſionarij quin dicatur vendita penſio, & aliquid penſionis remaneat inuenditum, cum non minorem annexionem fructus totius vitæ penſionarij habeant cum penſione, quàm præſentatio cum Iurepatronatu.

11 Nec

11 Nec dicatur disparem esse rationem fructuum Iurispatronatus, qui consistunt in præsentatione, & fructuum pensionis, qui consistunt in pecunia; Præuia enim præsentatione Clericus instituitur in beneficio, & præsentatio ex hoc est omninò spiritualis, magis, quàm pecunia, quæ exigitur ratione tituli pensionis ex fructibus beneficij, & est temporalis, & profana, nàm sufficit quod etiam fructus pensionis sint quid spirituale non secus, ac pensio; Requirunt enim non secus, ac pensio in translatarium Clericum, vt ex alia Constitut. *Pij V.* incip. *Sacrosanctum sub Dat. Romæ quinta Idus Septembris* 1568. qua stante cùm translatarij fructuum pensionis debeant esse Clerici, sicut qui prouidentur de pensionibus per proxime citatam *Bullam* eiusdem Pontificis, conijcitur mentem illius Sanctissimam fuisse, vt non minus quàm pensionarij Clerici tenentur recitare officium B.M. Virginis, sic etiam teneantur translatarij fructuum pēsionum eos reddendo spirituales, & inalienabiles sicut pensiones ipsas.

12 Ad hæc optimè ponderauit doctissimus *Nauar. cit. cons.* 11. *de reb. Eccles. non alien.* quod videtur factum ad amussim pro re nostra, non solùm respectu simoniæ, sed etiam prohibitę alienationis rerum Ecclesiasticarum per alia Iura, & nouissimè per Constitutionem *Pauli II. Ambitiosæ*, fructus pensionis esse inuendibiles ad longum tempus, & ad vitam, vt pariter *Less. in similiter citato loco num. primo* dd. fructuum alienationem triennalem tantum admittit, & non longiorem ratione *d. Extrauag.* quo etiam respexit *Suarez in præfato loco num. 9.* cùm dixerit per se loquendo fructuum pensionis venditionem ad vitam non videri illicitam, hoc enim ita esset de per se, & nisi obstarent dictæ *Bullæ Pauli Ambitiosæ, & Pij, ex proximò*, hæc enim facit quid spirituale pensionem, proindèque inuēdibilem cum fructibus inseparabilibus ab ea pro tota vita pensionarij, & illa dictos fructus ad longum tempus reddit inalienabiles ad mentem *Nauarri*, & aliorum præsertim *Garz. 2. parte c. primo nu. 37. & seqq.* & firmauit *Rota in dicta decis. Mediolanen. pensionis*.

Faciunt

Faciunt concluſa poſt diſputationem per *Barboſ.de offic.& poteſt.Epiſc. parte 2. alleg. 95.num.* 1. fructus beneficiorum eſſe inalienabiles ad longum tẽpus ex *d. Extrauag.Pauli II.* nec minus, quod dicit *Garz.modo alleg.primo cap. 1.part.nu.* 161.cohæret,ſcilicet penſionem æquiparari beneficio in materia ſpoliorum, & facultatis teſtandi,& diſponendi de redditibus, ex quo datur loco beneficij per *Rodoanum*, & alios, quos citat.

13 Non obſtat ſecundò ſi penſionem, & fructus non poſſe vendi demonſtratum ſit, commoditatem exigendi penſionem poſſe titulo oneroſo mediaque pecunia alienari, & transferri, vt poſt alios firmat *Garz.d.prima parte c. 5. num. 29.* Id enim intelligitur de illa commoditate, quam habent Itali, & alij exteri ſuper penſionibus Hiſpanicis, quæ eſt merè quid temporale, tùm quia hęc commoditas datur indifferenter Laicis, & Eccleſiaſticis, tùm quia titulus, & ius penſionis datur alicui Clerico dicto *Teſta, ſeu Capo di ferro*, qui habet onus recitandi Officium Beatæ Mariæ Virginis, & non poteſt dictum ius, nec fructus penſionis pro tota vita, quatenus ipſi contingerent, alienare media pecunia,ſicut ille, qui habet commoditatem, quod expreſſe tradit *Filliuc. loco infra citando num.20.* ſine temporis differentia priora ſua dicta declarando,abſoluteque loquendo, & non eſt applicabile in caſu noſtro, & ita cum alijs eſt intelligendus d. *Garz.* qui ſic ſe ipſum declarat *ibi, & dicta 2.parte cap.primo num. 38.& ſeqq.* & non loquitur contra nos, qui ſupplicamus poſtremò videri omninò additiones eiuſdem in locis cunctis ſupra citatis ad corroborationem omnium ſupradictorum vna cum *toto cap. 9. de peccatis, quæ committi poßunt in materia penſionis tract. 42. Filliuc.* bis, & non ad propoſitum ex aduerſo allegati ſi tota eius doctrina perſpecta dijudicetur, quoad penſionem mixtam, & penſionis commoditatem vendibilem.

12 Non obſtat tertiò reſeruatum fuiſſe inter prædictos contrahentes beneplacitum Apoſtolicum cum expreſſa proteſta-

tione, *non aliàs, aliter, nec alio modo*, & proinde tolli omnem amaritudinem, vt etiam ex aduerso fuit dictum, nam isti contrahentes acceperunt pretium & terminos respectiuè non expectato beneplacito, & incurrerunt propter hoc pœnas supradictæ *Extrauag. ambitiosę, Quaranta vebo alienatio num.* 8. & etiamsi aliàs non fuisset necessariũ dictum beneplacitum, debebat præcedere cum reseruatum fuisset, ad vitandas pœnas Constitutionum Apostolicarum, & actus nullitatem per Iura, & Doctores auctorizatos *in decis.* 192. *Greg.* & alios adductos ibi *per adden. littera A.*

15 Nec denique obstat quod etiam post cessionem factam Ioannes pro parte dicti Petri & eius nomine egit coram Auditore Camerę contra pensionarios, & obtinuit pro terminis decursis, & non solutis mandatum executiuum, & litteras declaratorias relaxari in forma, quia de hoc non constat, ac proinde negatur id factum fuisse, paria enim sunt non esse, & non apparere, *l. duo sunt* Titij *ff. de testam. tutel. l. in lege ff. de contrah. empt. Surd. decis.* 306. *num.* 13. *& decis.* 149. *num.* 2. De vi autem & efficacia obligationis Cameralis, & potestate Illustrissimi Auditoris Cameræ in ea exequenda extat lata, & elegans Iuris allegatio per D. Augustinum Barbosam Iuris vtriusque consultissimum in propria causa Bracharen. regressus, sine ingressus ad Thesaurariam non ignauiter elaborata, quam huic meæ consultationi annectendam duxi, & est vt sequitur.



SVM-

SVMMARIVM.

1 *Mandati Rotalis intimationem & reproductionem si quis impedierit, debet in eius odium haberi pro intimato, & reproducto.*
2 *Impediens citari habetur pro legitime citato.*
3 *Quando per alium stat quominus quid fiat, id vtique pro facto habetur.*
4 *Sequestri appositio quibus casibus intret, ostenditur.*
5 *Clericus non potest renuntiare foro sui Iudicis domiciliarij sine consensu proprij Ordinarij.*
6 *Contractus ratione quis forum sortitur vbi contraxit si ibi inueniatur.*
7 *Delinquentes forum sortiuntur in loco delicti non ex priuato ipsorum consensu, sed à lege ipsa, & Iure communi.*
8 *Clericus præstito iuramento pensionem certo tempore soluere promittens, & expresse proprij fori domicilio renuntians, potest conueniri in loco contractus etiamsi ibi non inueniatur.*
9 *Clericus soluere promittens in eum locum remittendus est etsi non sui Iudicis, & Episcopi id fecerit assensu.*
10 *Contractus ratione, vel delicti commissi potest quis in prima instantia cognoscere quamuis non sit loci Ordinarius.*
11 *Concil. Trid. sess. 24 de reform. cap. 20. non sustulit modos legitimos, quibus quis ex Iuris dispositione sortitur forum.*
12 *Promittens soluere, vel respondere in certo loco, potest in eo conueniri licet ibi non reperiatur, & etiamsi habeat priuilegium non respondendi nisi coram certo Iudice.*
13 *Declaratur Ordin. Regia Lusit. lib. 2. tit. 1. §. 14.*
14 *Papa est Ordinarius Ordinariorum, & habet pro Diœcesi totum Orbem.*
15 *Prorogatio Iudicis ratione contractus non fit ex mero consensu contrahentium, sed à lege, eiusque auctoritate inducitur.*
16 *Prorogatio in contractu celebrato extra Regnum potest fieri in Iudicẽ contractus etsi in extraneũ iurisdictionẽ nõ habeat.*

17 *Auditoris Cameræ vsus & stylus in relaxandis litteris declaratorijs qualis, ostenditur.*

18 *Auditor Cameræ habet solum executionem obligationum Cameralium, & nullus alius se in eis intromittere potest.*

19 *Priuilegia Auditoris Cameræ quibuscunque alijs derogant.*

20 *Obligationis Cameralis vis, efficacia, & prærogatiua tota consistit in illa eius formula, quæ habet vim iudicati.*

21 *Actiones omnes sunt introductæ de Iure Ciuili, ac proinde sunt positæ in mera, & absoluta potestate Principis.*

22 *Obligatus in forma Cameræ non potest opponere exceptionem fori declinatoriam, nec Iudicis incompetentiæ.*

23 *Fraus à promittente committitur si ad diem, & locum constitutum non soluerit, & soluturus debitam quantitatem accesserit, idcirco præsens iudicatur.*

24 *Soluere promittens loci adiectione, & temporis certi constitutione, illius lapsu in mora est.*

25 *Forēsis, et extraneus cōtrahēs in loco ligatur statutis illius loci.*

26 *Verba contractus sunt intelligenda secundum statutum, & consuetudines illius loci in quo fuerunt prolata.*

27 *Contractus factus à Lusitano extra Regnū debet regulari secundum solēnitates, & omnia, quæ in illo foro obseruantur.*

28 *Principis de potestate disputare nō licet, quia hoc esset sacrilegiū*

29 *Partes possunt inter se pacisci, vt exinde nullus ordo iudiciarius inter eos obseruetur.*

30 *Acceptans prouisionem dicitur consentire omnibus in prouisione contentis.*

31 *Contractum approbans intelligitur eum approbare cum omnibus suis qualitatibus.*

32 *Obligationem ex parte quis comprobare non debet, & in partē tanquam de iniqua queri.*

33 *Contractus est indiuiduus eo respectu vt vel in totum debeat approbari, vel reprobari.*

34 *Statuta, et consuetudines locorum, in quibus delicta patrātur, debent attendi in eis puniendis.*

35 *Argumentum valet de delictis ad contractus.*

36 *Causam*

36 *Procemialia verba mentẽ & intentionẽ disponentis declarãt,*
37 *Causam finalem inducunt procemialia verba.*
38 *Causa finalis totam respicit dispositionem, & ad illam generaliter influit.*
39 *Causa procemialis influere in dispositiuam dicitur.*
40 *Causa procemialis coangustat verba.*
41 *Interpretatio congrua colligitur ex causa proęmiali.*
42 *Crimina illic puniri debent vbi admissa fuere, quia ibi auctoris criminis, & probationis copia adest.*
43 *Beneficiales causæ aliam speciem constituunt à ciuilibus, & criminalibus distinctam.*
44 *Dictio,* talis, *est repetitiua certæ, & determinatæ qualitatis supra enuntiatæ.*
45 *Dictio,* huiusmodi, *est relatiua præcedentium cum omnibus suis qualitatibus. & posita post certum ordinem expressum adstringit dispositionem ad id, ad quod adijcitur.*
46 *Causa mere criminalis dicitur quãdo principaliter agitur ad cõmodum publicũ ex delicto tantũ seu ad publicã vindictã.*
47 *Ciuilis causa criminaliter intentata dicitur quando pro delicto principaliter agitur in iudicio ad commodum priuatum, pro pœna scilicet pecuniaria parti applicanda.*
48 *Causa mixta dicitur vbi pœna partim parti, & partim fisco venit applicanda.*
49 *Causæ beneficiales Rotales, & Curiales dicuntur.*
50 *Obseruantia subsequuta tollit omne dubium.*
51 *Dispositio quælibet declaratur per subsequentem obseruantiã.*
52 *Priuilegium, quatenus declaratione indigeat, declaratur ab obseruantia subsequuta.*
53 *Obseruantia dicitur optima priuilegiorum interpres.*
54 *Persona loquẽtis nũquam cõprehenditur generali dispositione.*
55 *Principis auctoritas in quibuscunque concessionibus semper censetur præseruata.*
56 *Excommunicati ab Auditore Cameræ à nullo alio præter ipsum, & eius Locumtenentem, seu alios suos possunt absolui, præterquam in mortis articulo.*

BRA-

BRACHAREN.

Regressus siue ingressus ad Thesaurariam.

Domine vim patior responde pro me. Isa. 38.

1 ANDA est declaratoria contra Balthasarem Diaz dafonseca, de cuius renitentia in parendo mandato de immittendo ad meum fauorem in exequutionem litterarum Apostolic. per Rotam relaxato constat ex eo quia ipse habita illius notitia illico ad procuratorem, & Iudicem Regiæ Coronæ recursum habuit, & obtinuit suo nomine mihi in specie mandari & fratri meo germano Simoni Vaz Barbosa Canonico, ac omnibus,& quibuscunq; Notarijs per eundem Balthasarem nominandis sub grauissimis pœnis, ac amissione naturalitatis è Regno,ne mandatum huiusmodi Rotale, aut quascunq; alias S. Rotæ sentētias faciant executioni demandari cōtra dictum Balthasarem, quod omnibus tam magnum metum iniecit, vt etiam chari & consanguinei ab huiusmodi intimatione facienda se penitus abstinerent, quare cum mediante prouisione Regia ad instantiam dicti Balthasaris emanata, & sic culpa,& facto eius non potuerit dictum mandatum intimari, nec reproduci, in eius odium tanquam impedientis dictam intimationem, & reproductionem debet haberi pro intimato, & reproducto, vt in puncto censuit *Rota in Astoricen.* Parochialis 1. *Iulij* 1619.*coram bo. mem.*
2 *Buratto*, inter eius impressas *decis.*416. prout impediens citari habetur pro legitimè citato *cap. quoniam frequenter* §. *porro, vt lite non contest. Tiraq.in tract. res inter alios acta vers.limita duodecimo, Lancellot.de attent.par.2.cap.4. num.*106. *Stephan.Gratian.discept.forens.cap.*66.*num.*32. quando

enim

3 enim per alium ſtat quominus quid fiat ,id vtique pro facto habetur in ipſius pręiuditium *Tiraquell. de retract. lig.* §. 1. *gloſ.* 10. *num.* 9.
4 Apponendum eſt etiam ſequeſtrum, quia conſtat de meo bono iure ex deciſione in hac cauſa facta *ſub die* 22. *Iunij* 1629. *coram* ℞. *P. D. meo Pirouano*, cuius vigore dictum mandatū mihi Rota cōceſsit *die* 8. *Martij* 1630. vnde intrat appoſitio ſequeſtri, *Rota deciſ.* 326. *num.* 2 *par.* 2. *recent.* tum etiam propter recurſus ad Iudices laicos, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancel.* §. 7. *proœm. num.* 25. *&* 36. vbi plures Rotæ deciſiones citat: tum denique quia ob huiuſmodi recurſus, & manifeſtam Balthaſaris dilapidationem, & debitum magnę pecuniarum ſummę ex pluribus terminis pēſionum decurſarum, & non ſolutarum, ac ex longa intruſione, & ſua magna pertinacia in non ſoluēdo, contra eum executio cōmodè fieri non poterit, & difficilis reddetur fructuum recuperatio, adnotata per *Gonzal. d.* §. 7. *num.* 34. *Rota deciſ.* 13. *nu.* 3. *cum ſeqq. par.* 2. *diuerſ. & deciſ.* 136. *num.* 3 *par.* 2. *recent.*
5 Nullitates autem ex aduerſo adductæ nō merebantur reſponſionē, ſed ne quid intactum relinquatur, & omne prorſus dubium in futurū tollatur, ne amplius ambigendi locus fiat, breuiter reſpondebitur, & in primis ad illud quod nullo modo Balthaſar poterat ſe ſubijcere iuriſdictioni, & compulſioni Auditoris Cameræ renūtiando foro ſui Iudicis domiciliarij ſine conſenſu proprij Ordinarij iuxta *cap.* 1. *& cap. ſignificaſti, de foro comp.* facillime ſatisfit dicendo Iura illa loqui de Clericis prorogantibus iuriſdictionem in Iudicem non ſuum ex vi tantum formalis conſenſus, in noſtro autem caſu iuriſ-
6 dictio competit non ex nuda voluntate partium, ſed potius ex diſpoſitione Iuris, quod dictat quem ratione contractus forum ſortiri in loco vbi contraxit *l. hæres abſens* §. *proinde ff. de iudic. cap. vlt. de foro comp.* ſicut etiam delinquentes forum ſortiuntur in loco delicti non ex priuato ipſorum con-
7 ſenſu, ſed à lege ipſa, & Iure communi, vt reſoluit *Franc. Molin. de brachio Regio lib.* 3. *quæſt.* 40. *num.* 32. & quamuis

Doctores

Doctores id communiter intelligant si contrahens in loco
8 contractus reperiatur, per *cap. Romana §. contrahentes, de foro comp. lib. 6.* tamen quia Balthasar Romæ cōtraxit, ibique se obligauit soluere pensionem certo tempore, apud Auditoris Cameræ tribunal præstito iuramento se responsurum promittendo, & expressè proprij fori domicilio renuntiando, vt in obligatione impressa, ideo licet in loco contractus (Romæ scilicet) non inueniatur, poterit Auditor Cameræ contra eum absentem iuxta formam suę obligationis procedere quoties de promissa solutione tractabitur, iuxta *glos. 2. in l. 1. ff. si quis in ius vocatus*, quam celebratissimam dicit *Cou. practic. cap. 19. nu. 5. in princip. & Gutier. de Iuram. confirm. par. 3. cap. 16. nu. 4. &* 5. sequitur *D. Barbos. in l. 1. ff. de iudic. art. 3. nu. 224.* quod ante dixerant *Dec. in c. 1. nu. 65. de iudic.* & ibi *Alciat. nu. 33. Alex. cons. 39. n. 4. lib. 7.* & in pun
9 cto de clerico, qui si soluere promiserit, in eum locum remittendus est, etsi non sui Iudicis, & Episcopi id fecerit consensu, tradunt *Rip. in d. cap. 1. num. 68. Cou. dicto cap. 10. nu. 5. vers. nono, Franc. Molin. d. tract. cap. 28. num.* 14. & quod
10 ratione celebrati contractus, vel delicti commissi possit quis in prima instantia cognoscere quamuis non sit loci Ordinarius, refert à sacra Congreg. decisum *Francisc. Leo in thesauro fori Eccles. par. 2. cap. 1. num. 75.* quia *Conc. Trid. sess. 24.*
11 *de reform. cap. 20.* non sustulit modos legitimos, quibus quis ex Iuris dispositione sortitur forum, refero *Ego ipse de officio, & potest. Episcopi par. 3. alleg. 81. num. 14.*

12 Nec diffitetur *Ordin. Regia Lusit. lib. 3. tit. 6. §. 2. & tit. 11.* §. 1. dum disponit quod si quis promisit soluere, vel respondere in certo loco, vt in casu nostro, potest in eo conueniri licet ibi non reperiatur, & etiamsi habeat priuilegium non respondendi nisi coram certo Iudice, prout eam refert D. Barbos. *in l. hæres absens §. 1. num. 53. ff de iudic.* quæ de-
13 sumpta videtur *ex cap. dilecti, de foro compet.* Nec id negat alia Ordin. *lib. 2. tit. 1. §. 14.* quatenus non patitur, vt in præiuditium iurisdictionis Regiæ fiat prorogatio in alienum Principem,

cipem, quia disponit inter laicos, & quamuis vi alicuius priuilegij generaliter dispoluisset, nec restrictè, vt loquitu, esset intelligenda, adhuc nihil obstaret, tum quia respectu clerico-
14 rum non dicitur Papa alienus Princeps, cum sit Ordinarius Ordinariorum, & habeat pro diœcesi totum Orbem *c. cuncta per mundum, cap. per principalem 9. q. 3.* tum etiam quia hoc immediatè non procederet ex voluntate clerici, sed potius ex dispositione Iuris, quod iubet partes etiam inuitas respondere in loco, in quo contraxerunt, *dict. cap. Romana* §. *contrahentes, D. Barbos. dicto art. 3. num. 222.* nam hæc prorogatio Iudicis non fit solum ex consensu ipsius contrahentis,
15 sed à lege, eiusque auctoritate inducitur, *tex. elegans in d. cap. dilecti, de foro comp. Rip. in d. cap. 1. num. 68. Cou. d. num. 5. vers.*
16 *nono*, & magis ad rem accedendo quòd in contractu celebrato extra Regnum posit fieri prorogatio in Iudicem contractus, etsi in extraneum iurisdictionem non habeat, per doctrinam *Panor. in d. cap. dilecti num. 4.* resoluit *D. Barbos. d. art. 3. num. 172.*

17 Fallitur igitur *D. Gabr. Pereira* vir aliàs doctißimus *de manu Regia par. 1. cap. 9. num. 10.* dum existimat excommunicationem incursam ob obligationem Cameralem pendere ex vi pacti ab initio suscepti incurrendi censuram, itaut non amplius citetur debitor vt constituatur in contumacia, quia longè aliter se habet vsus Tribunalis Auditoris Cameræ in relaxandis huiusmodi censuris, ille enim obtinuit vt priùs mandatum exequutiuum relaxetur, illoque dato birruarijs, ac facta diligentia de reperiendis bonis, vel persona, si non reperiuntur, facta fide ab exequutore de hoc, in Iuris subsidiũ preuijs citationibus etiã per contradictas debitor excõmunicatur, vt refert *Marches. de cõmiss. p. 1. pag. 803. n. 154. in vlt. impr.* Citatur enim primò post reproductum mandatum, ad dicendum contra Iura producta, & repetita, secundò ad videndum se in Iuris subsidium excommunicari, & litteras declaratorias decerni, & cum hac citatione fit decretum nisi infra tres dies, tertiò illis transactis citatur iterũ ad videndum

se in Iuris subsidium excommunicari, & litteras declaratorias aliàs decretas relaxari, & quatenus opus sit, denuò decerni, & relaxari, & fit decretum ad primam diem cum intimatione, quartò fit dicta intimatio, & elapsa prima die iuridica expediuntur litteræ declaratoriæ in Iuris subsidium vt supra.

18. Vnde patet litteras declaratorias censurarum non ex vi pacti, vt perperā ex aduerso dicitur, sed ex contumacia præcedentibus tot monitionibus, & citationibus per Auditorem Cameræ talem modū procedendi in facultatibus habentem relaxari, quod etiam colligitur ex pluribus facultatibus Sūmorum Pont. eidem cōcessis, *&* præsertim à fel. me. Paulo V. *in Constit. 28. aliàs* 20. incip. *Eximiæ. §. 7. & 20. sub Dat. Romæ apud S. Marcum* Kal. *Octob.* 1606. quæ est in *Bullar. nouo tom. 3. pag.* 212. quando enim Auditor Cameræ ad illud officiū assumitur, creatur à Papa ipsius Papæ, & Camerarij generalis causarum Auditor, & inter alia causarum genera demandatur illi executio obligationum in forma Cameræ, vt testatur *Galles. de obligat. Camerali quæst. 7. num. 3.* & Papa inhibet quibuscunque Iudicibus, & personis, etiamsi Cardinales fuerint, sub pœnis ne se in obligatione Camerali intromittant, vt in §. 33. dictarum facultatum, conceditque amplissima priuilegia, quæ quibuscunque alijs derogant, vt fuit dictum in *Leodien. Canonicatus* 12. *Maij* 1597. *coram*
20 *Penia*, impressa per *Marches. d. p. 1. pag.* 771. cuius obligationis Cameralis vis, efficacia, & prærogatiua tota consistit in illa eius formula, quæ habet vim iudicati, *Anton. Fab. ad lib. 7. Cod. tit. 26. de appell. definit. 33. num.* 9. quem refert *D. Lotter. de re benefic. lib. 1. q. 40. num. 249.* Papa scilicet ita volente, &
21 concedente, cum enim omnes actiones sint introductæ de Iure Ciuili *l. 2. §. deinde & §. ex actis ff. de orig. Iuris*, ac proinde sint positæ in mera, & absoluta potestate Principis *l. vlt. C. si contra Ius, vel vtilit. publ.* in illis denegandis, vel concedendis sufficit sola eiusdem Principis voluntas cū generali clausula derogatoria obstantiarum *Doctores in l. cum hæredes*

23. *in prin. ff. de acq. poss. D. Lotter. d. q. 40. n. 244.* vbi *nu. 248.* subdit respectu formularum, ex quibus resultat via executiua, omnes actiones esse de Iure Ciuili, à quo fuerunt ordinatæ, & compositæ, vt loquitur *Pompon. in l. 2. §. deinde ex his ff. de legib.* & hinc prouenit vt obligatus in forma Cameræ
22 non possit opponere exceptionem fori declinatoriam, nec Iudicis incompetentiæ, secundum *Mandos. de inhibit. quæst. 93. num. 5. Marc. Anton. de Amatis decis. 81. num. 2. Surd. cons. 280. num. 13. Zachi. de obligat. Camer. q. 7. nu. 26.* qui loquitur de clerico.
23 Quod quidem tantò magis procedit quia obligatio Cameralis, de qua agitur, fuit facta Romæ, inter Clericos, & super re Ecclesiastica, & ego adhuc hic in Vrbe commoror, Balthasar vero procuratorem in ea habet Thomam Lutiolum cum amplissima facultate constitutum, qui ad omnes actus citatus fuit, & quatenus cōstitutus nō esset, sufficeret iuxta obligationē præfatā citationes fieri per diligentias, siue edictum publicum, prout etiam ad abundantiorem cautelam factum extitit, fraus siquidem à promittente committitur si ad diem, & locum constitutum non soluerit, & soluturus debitam quantitatem accesserit, idcirco præsens iudicatur, vt ille, qui dolo desijt possidere *l. is qui dolo, & l. sin autem §. 1. ff. de rei vendic. Duen. reg. 514. fallent. 15. Cou. d. cap. 10. num. 5. vers. decimo tertio*, Franc. *Molin. de brachio sæculari cap. 32. num. 2.* nam loci adiectione, & temporis certi
24 constitutione soluere promittens illius lapsu in mora est *l. magnam C. de contr. & commit. stipul.* Port. *commun. lib. 4. reg. 23. decis. Genuens. 150. num. 1.*

Nec in respicientibus formam siue solemnitatem actus extra proprium territorium gesti, attendenda sunt statuta loci vnde contrahentes originem ducunt, sed in quo celebratur contratus *Becc. cons. 62. nu. 8. lib. 1. Surd. decis. 129. nu. 16. & de-*
25 *cis. 197. per tot.* quia forensis & extraneus contrahens in loco ligatur statutis illius loci *l. venditor §. si constat ff. cōmun. præd. Iaffred. Lanfranc. decis. 376.* incip. *Licet, Camill. Borrel.*

in sum.omnium decis.tom.1.tit. 43. de foro compet. num.107.
26 *Brunor.à Sole in locis commun.verbo forensis num. 5.* Et verba contractus sunt intelligenda secundum statuta, & consuetudines illius loci in quo fuerunt prolata *l.si fundum ff.de euict. l.si non speciali C.de testam.Bart. in l. extraxisse ff. de action. & oblig.Ozasc.decis.114.num.vlt. Cardin.Mantic.de tacitis & ambig.conuent.lib.14.tit.39. num.24.insignis Cald.Pereira quæst.forens. lib.1.quæst. 12. num. 1.* vbi *num. 2.* subdit quod
27 contractus factus à Lusitano extra Regnum debet regulari secundum solemnitates loci vbi celebratus est, quem citaui *in collect.ad c.vlt.nu.3.de foro compet.*partes enim semper videntur habere intentionem & mētem contrahendi iuxta consuetudinē loci, in quo fit contractus, vt dicit *Bar. in l. cunctos populos nu.43.vers.sed posset dubitari,in fine C.de Sum.Trinit.* quē refert, & sequitur *Bertaz.de clausul.instrum.claus.4.glo. 38.num.1.& claus.20.glos.19.num. 1.* Vnde ratione cōtractus Romæ ab ipso Balthasare, siue eius legitimo procuratore vt supra celebrati nullus negabit ipsum etiam absentem teneri seruare solemnitates Camerales, & omnia, quæ in illo foro obseruantur, ad notata per *Ioan.Cephal.cons.171.num.26.vol. 2.Franc.Marc.Delphin.decis. 276.vol.1.Mari.Antonin.variar.resol.lib.2.resol.fin.casu 28.Camil.Borrel.d.tit.43.de foro*
28 *comp.num.109.*de cuius stylo in procedendo, ac vi, & efficacia obligationis huiusmodi non est dubitandum ex supradictis, ne videatur aliàs supremi Principis potestas in dubium reuocari, de qua haud disputare licet *Gozadin.cons.92.nu.17. Duen.reg.43.fallent.5.Beroi.cons.367.nu.8.& cons. 393.nu.5. Becc.cons.56.nu.53.vol.1.*cum alijs plenè adductis *in meo nouissimo tract.de Iure Ecclesiast.lib.1.de personis c.2.de potestate & auctorit.Romani Pont. num.99. & seqq.* cum sacrilegium hoc esse affirment *Doctores*, vt tradūt *Dec. cōs. 588.nu. 2. Cephal.cons.87.nu 3.vol 1.Rolan.cons.100.nu. 47.cum seq.vol. 4 Menoc.cons.103.n.38.* & ideo cum de potestate dubitari non possit, sufficit de voluntate constare *Felin.in c. quæ in Ecclesiarum nu.60.& seq.de constit. Alex.cons. 92.num.35.lib.6.*

29 Acce-

29 Accedit etiã specialis ipsius Balthasaris obligatio, qua spõte voluit posse ab eodẽ Aud. Cam. cõueniri, cogi, cõpelli, coarctari, cõdẽnari, excõmunicari, aggrauari &c. & expresse renũtiauit cũ iuramẽto quibuscunq; constitutionibus, statutis Papalibus, Regijs, & localibus à Iure, vel ab homine editis &c. & consentit relaxationi mandati exequutiui vnica citatione, & intimatione pręcedente in Romana Curia coram Auditore Cameræ per contradictas, seu edictum publicum facta si procuratorem in ea non habuerit, prout latius habetur in obligatione, de qua *in Sum. impresso nu.* 1. nec est in Iure nouum posse partes inter se pacisci, vt exinde nullus ordo iudiciarius inter eos obseruetur iuxta doctrinã *glos. verbo illustrium prope fin. in cap. fin. de senten. & re iudic. lib. 6. & Abb. in cap. de causis num. 8. de offic. deleg.* cui non accommodatur responsio, quam præstat *D. Gabr. Pereira d. c. 9. nu.* 14. quod illa non procedit in sententia excommunicationis ferenda, quæ si nulla est, non potest ab illis validari, nam si est ferenda, adhuc nulla non est, quia non entis nullæ sunt qualitates *l. eius qui in prouincia vers. quoniam ff. si certum pet. c. ad dissoluendum, de despons. impub.* cum alijs citatis per me *in tract. Axiomatum Iuris vsufreq. Axiom.* 162. *num.* 1. lata vero non potest esse ante obligationem, cuius vigore ferenda est.

De legitima igitur excõmunicatione dicti Balthasaris apparet ex stylo Curiæ quoties virtute obligationis Cameralis proceditur contra absentem, de quo testatur *Sallust. Tiber. lib. 1. c. 11. Rota in Romana, seu Bracharen. pecuniaria 2. Decẽbris* 1594. coram *Orano,* apud *Zachi. de oblig. Camerali decis.* 115. *nu.* 7. vbi cum Antonius Lopez Cantor Ecclesiæ Bracharen. esset obligatus in forma Cameræ ad soluendum certam pecuniarum summam, & ob non solutionem factam præcedente citatione per contradictas fuisset declaratus excõmunicatus, ac de validitate excõmunicationis ageretur, Rota tenuit pro eius validitate, eo quòd vigore obligationis Cameralis tribuatur Auditori Cameræ facultas procedendi per audientiam contradictarum, absque eo quòd dictus Cantor princi-

palis

palis semel personaliter, vel domi ad iudiciū vocaretur; & nouissime idem firmauit in *Elboren. fructuū* 17. *Nouembr.* 1629. coram *R.P.D.Queipo*, vbi fuit reputatus pro vere excōmunicato quidam Canonicus Elboren. qui propter debita Romæ cōtracta sub obligatione Camerali absens per cōtradictas & affixionem cedulonū declaratus fuit, & cum huiusmodi causa esset iterum proposita & acerrimè disputata pro parte dicti Canonici, Domini de Rota steterunt in decisis sub die 14. *Martij* 1631. *coram R.P.D.Ghisilerio* & Canonicus Cōscientię suæ consulens absque alia controuersia obediuit, & confestim soluit, & cum Capitulo super fructibus medio tempore indebitè perceptis amicabiliter se composuit.

30 Nec Balthasar intrusus dum sic retinet Thesaurariam vigore meæ renunciationis, iure potest discedere à conuentionibus Apostolica auctoritate initis, quia facto prouisionē acceptans visus est consentire omnibus in prouisione contentis, in puncto *Put.decis.* 369. aliàs 359. incip. *In vna His-*
31 *palen. lib.* 2. & ideo sic approbans resignationem intelligitur eam approbare cum omnibus eius qualitatibus *l.contra Iuris* §.*vlt.in fine ff.de pactis*, *Alex.cons.*21.*num.*6.*&* 7. *lib.*8. *Go-*
32 *zadin.cons.*1.*num.*5. Neque enim quisquam debet ex parte obligationem comprobare, & ex parte tanquam de iniqua queri *l.si ita stipulatur, in fine ff.de oper.liber.* etenim contra-
33 ctus est indiuiduus eo respectu, vt vel in totum debeat approbari, vel reprobari, *l. si quis aliam rem.ff. de solut.l.quod si vno pretio ff.de in diem adit.* insignis *Cald.Pereira quæst.forens.cons.*39.*Becc.cons.*169.*num.*1.*lib.*2.*Fachin.cons.*59.*nu.*10. *lib.*1.*Stephan.Gratian.discept.forens.cap.*301. *num.* 57. & succedunt late tradita in alio discursu hac de re impresso *nu.* 18. iniquum est igitur velle Thesaurariam vigore resignationis, siue cessionis capere, & pensionem auctoritate Apostol. ibidem reseruatam improbare, & non soluere, nam, vt bene ait *Paul.de Castro cons.*286.*Quoniam fundamentum col.*3.*lib.* 1. qui vnum admittit repudiare ei non licet quod admisso connectitur, ab eoque necessariò decurrit per *glos.fin.in l.Lutius*
ff.depositi

ff. depositi, prout eum refert *Aym. cons.* 356. *num.* 5.

34 Quæ omnia si quis inoffenso pede percurrerit non poterit non affirmare illa adeo vera esse, vt nefas sit contrarium asserere, quod respectu partiũ fatetur *D. Gabr. Pereira vtriusq; Iuris consultissimus d. cap.* 9. *num.* 13. sed adhuc obstare dicit præiuditium Principis, eiusq; iurisdictionis propter quoddam *Breue Iulij III.* incip. *Ad perpetuam sub Dat.* 21. *Iulij* 1554. relatum per eundem *D. Pereira dicto cap.* 9. *nu.* 15. quo Regibus Portugaliæ indultum asserit à Sede Apostolica ne causæ criminales, ciuiles, & mixtæ huiusmodi è Regni finibus extrahantur, vt à Iudicibus exteris iudicentur, quod colligit ex illis verbis eiusdem Breuis ibi, *aut ex quauis occasione se in causam talem trahi posse præsentiunt*, iuncto ibi, *ac omnes, & singulas tam criminalium, quàm ciuilium, atque etiam mixtarum causarum huiusmodi, &c.* & quamuis prima facie responderi posset Breue non bene adduci ad nostrum casum, vtpote quia forum, quod quis sortitur ratione contractus, & delicti, est à lege ipsa, & Iure communi omnibus concessum, & Iudex fori contractus, & delicti in hunc sensum non potest dici extraneus per commissionem, aut rescriptum obtentus, & sicut Lusitanus delinquens extra Regnũ non potest declinare forũ Iudicis delicti eo quòd extraneus sit in vim dicti Breuis, immo ligatur consuetudine illius loci, & pœna per eam indicta, vt *in auth. qua in prouincia C. vbi de crim. agi oporteat, l. saccularij §. sunt quædam ff. de extrord. crimin.* de quo tex. *Ias. in l. cunctos populos C. de Sum. Trinit. nu.* 30. dicit quod *Bald.* in multis locis fecit magnum festum, asserens esse meliorem textum de Iure ad probandum quòd in maleficijs puniendis debeant attendi statuta, & consuetudines locorum, in quibus delicta patrantur, ita nec forum sortitum ratione contractus alibi gesti cum renunciatione &c. declinare poterit, vt in casu nostro, valet enim argumentum de delictis ad contractus *l. omnem ff. de iudic. d. auth. qua in prouincia, cap. fin. de foro comp. Euerar. in topicis legalib. loco* 20. *Card. Tusch. tom.* 1. *lit. A. concl.* 495. *num.* 8. *& concl.*

*concl.*507. *num.*26. cum alijs per me citatis *in tract. de locis communib. argument. Iuris loco* 35. *num.*1.

36 Attamen, quicquid aduersarius dicat, Breue agit tantùm de facinorosis, & diuersis criminibus obumbratis, qui ne suorum delictorum impunitatem diutius cōsequantur, suosq; aduersarios molestare valeant cum primum sibi alicuius delicti, seu criminis conscij existebant, aut quauis occasione se in causam talem trahi posse præsentiebant, suorum Ordinariorum ac Iudicum, & officialium eorundem Regnorum iurisdictionem declinabant, ita clare ostendunt procemialia eius verba, quæ mentem & intentionem disponentis declarant, *l. item quia* §. *fin. ff. de pactis l. cum hi in princ. ff. de transact. Mascard. de probat. concl.* 1284. *nu.*6. *Gutier. pract. lib.* 1.
37 *quæst.* 89. *à num.*3. & causam finalem inducunt *l. fin. ff. de hæred. instit. l.*1. *ff. ad Maced. Menoch. cons.* 219. *nu.*9. *&* 30. *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *procem. num.* 122. D. *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *q.* 36. *nu.*3. *D. Gabr. Pereira decis.* 98. *num.*1. Becc. *cons.* 129. *num.* 100. *lib.*2. *Rot. decis.* 185. *num.*4. *in fine & num.* 5. *&* 6. *par.* 1. *recent. & decis.* 167. *nu.*2. *p.*2. *recent.* quæ totam
38 respicit dispositionem, & ad illam generaliter influit, *Crauet. cons.* 192. *sub nu.* 21. *vers. quinta illa dicitur*, Becc. *cons.* 45.
39 *nu.* 5. *volum.* 1. causa enim procemialis influere in dispositiuam dicitur, *Rot. decis.* 458. *num.* 4. *par.* 1. *diuers.* & co-
40 angustat verba *Rauden. Pisana decis.* 4. *num.* 149. *par.* 1.
41 & demum ex ea colligitur congrua interpretatio *Mantic.*
42 *decis.* 59. *num.* 6. Et optima ratione huius Breuis dispositio fundatur, cum necesse sit crimina illic puniri vbi admissa fuere, vtpote quia ibi auctoris criminis, & probationis copia adest, quæ si alibi fierent, perdifficilis indagatio foret, sæpiusque vel testium inopia, & difficultate etiam probationis, ac expensis maioribus impunita penitus remanerent delicta §. *hoc considerantes in auth. vt omnes obed. Iud.*

43 Vnde cum Breue sic euidenter de causis criminalibus tantùm agat, extendi nullo Iure potest ad ciuiles, & multò minus ad beneficiales quę appellatione causarum ciuilium & crimina-

minalium non cõprehenduntur, cum aliã ſpeciem cõſtituant à ciuilibus, & criminalibus diſtinctã, ad not. per *Lap. alleg. 70. Papazz. in addit. ad deciſ. 27. de procurat. in nouis verſ. qui dicit, Put. deciſ. 247. aliàs 241. lib. 2. in correctis*, illa enim verba *aut ex quauis occaſione ſe in cauſa, talẽ, &c.* id nõ euincũt pro-
44 pter dict. *talem*, quæ eſt repetitiua certę, & determinatæ qualitatis ſupra enuntiatæ, vt per *Seraphin. deciſ. 822. n. 2.* & alios per me adductos *in tract. de dictionib. vſufreq. dict. 398. num. 2. ſecundum Lugdunen. impreſſ.* Nec alia verba paulo generalia, *ac omnes, & ſingulas tam criminalium quàm ciuilium, atque etiam mixtarum huiuſmodi, &c.* extendunt quicquam
45 vltra in proœmio narrata, ob dict. *huiuſmodi*, quæ eſt relatiua præcedentium cum omnibus ſuis qualitatibus, *gloſ. in c. Abbate, de elect. lib. 6. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloſ. 4. num. 4. Seraph. deciſ. 388. num. 6. & deciſ. 606. num. 3. & 14. Rot. deciſ. 373. num. 6. par. 2. recent.* Card. *Tuſch. tom. 2. lit. D. concl. 387. num. 1.* vbi quod poſita poſt certum ordinem expreſſum reſtringit diſpoſitionem ad id, quod adijcitur; & ſic vt proœmio correſpondeant, debent neceſſariò ſupradicta verba intelligi de ciuilibus & mixtis criminaliter intentatis, id enim alia verba eiuſdem Breuis ſatis oſtendunt, ibi, *contra clericos, & laicos, ac alias perſonas huiuſmodi ſuper criminibus & delictis per eos perpatratis, ac bonis, & rebus ad eos pertinentibus, & actionibus ſibi competentibus, necnon cauſis & litibus contra eos quomodolibet motis inquirere, & per inquiſitionem, vel accuſationem, aut ex mero officio, ac aliàs iuxtà formam Iuris procedere, & punire, ac carceribus mancipare, &c.* Ex quibus deprehẽditur contra tales ſuper bonis & rebus ad eos pertinentibus, & actionibus &c. per inquiſitionem, vel accuſationem eſſe procedendum, ac proinde de ſolis facinoroſis puniendis criminaliter, ciuiliter, vel mixte inibi agi neceſſariò dicendum eſt, cum accuſatio, vel inquiſitio contra alios dirigi non poſſit.

46 In criminalibus enim tres cauſarum ſpecies reperiuntur, vna dicitur proprie criminalis quando principaliter agitur ad commodum publicum ex delicto tantum, ſeu ad publicam

vindictam, vt per *Mascard. de probat. concl. 463. Farin. in praxi p. 3. quæst. 100. à princ.* & alios, quos retuli *in tract. de appellatiua verborum vtriusque Iuris significat. appellat. 44. num. 2. Marant. de ordine iudic. par. 4. dist. 1. nu. 2.* & hinc est, inquit ipse, quod si aliquis ex delicto venit puniendus corporaliter ad publicam vindictam, dicitur causa criminalis, quia ex tali pœna corporali nullum commodum sentit priuatus, refert & sequitur *Buccaron. de different. inter iudic. ciuilia &*
47 *crimin. in præmiss. 1. num. 3.* Altera dicitur ciuilis quando pro delicto principaliter agitur in iudicio ad commodum priuatum pro pœna scilicet pecuniaria parti applicanda, *Ias. in rub. C. de iudic. & in l. plerique ff. de in ius vocando num. 14*
48 *Clar. in praxi crimin. §. fin. q. 1. in vers. quarto igitur, & vers. seq. Buccaron. d. proœm. 1. num. 4. Camill. Borrel. d. tom. 1. tit. 42. nu. 11. Cabed. p. 1. decis. 14. num. 4. Rota decis. 19 nu. 1. de iudic. in antiq. et decis. 113. nu. 2. post tom. 2. cons. Farin.* Tertia deniq; dicitur mixta, vbi pœna partim parti, & partim fisco venit applicanda, vt habetur per *Alex. in addit. ad Bart. in l. 3. in prin. ff. de sepul. viol. in lit. D.* & per *Dec. in rub. de iudic. nu. 52. vers. & causa mixta in 2. lect. Boss. in pract. crimin. tit. de appellat. num. 8.* vbi de communi, *Ioseph. Ludou decis. 71.* vbi dicit hanc opinionem esse canonizatam per vniuersum Orbem, *Cardos. in praxi Iudicum verbo causa num. 3. Cabed. d. decis. 14. num. 6.* & ad has tres causarum species respexit dictum Breue dum in dispositiua de illis meminit.

49 Quod autem de istis tantum non autem de beneficialibus, Breue illud sit intelligendum ostendit quoque inueteratus S. Rotæ vsus, quæ huiusmodi causas cognoscit, & definit, ac quotidie in ea committi vidimus, cum nullibi melius tractentur, & definiantur, vnde ex natura sua Rotales, & Curiales dicuntur causæ beneficiales, *Rot. decis. 36. sub num. 2. de appellat. in nouis, Gonzal. ad reg. 8. Cancel. §. 2. proœm. nu. 60.*
50 quę obseruantia subsequuta tollit omne dubium *Bart. in l. missi opinatores nu. 14. C. de exact. tribut lib. 10. Becc. cons. 140. nu. 21. & late cons. 202. nu. 11. lib. 2. Osasc. decis. 136. nu. 4.* est enim generale quod quælibet dispositio declaratur per subsequen-

ſequentem obſeruantiam *cap.cum veniſſent* vbi *Butr. nu.* 12. *& 21.& Imol.num.19. de conſtit.Crauet.conſ.294. ſub.num.8. & conſ.459.num.21.Natt.conſ.498.num.28.Beroi.conſ.91. nu. 10.vol.1.Decian.conſ.44.nu.28.& 115. vol.4. Honded. conſ. 6.num.32.lib.1.Caſanet. conſ. 45. num.144. cum ſeq. Menoch. conſ.104.num.13.& conſ.341.num. 23.Becc. conſ. 101. num. 49.lib.1.Ioſeph.Ludou.concl.38.*& in pũcto quod priuilegium,
52 quatenus declaratione indigeat, declaratur ab obſeruantia ſubſequuta *Corn.conſ.193.num.10.vol.2.Oſach.d. deciſ. 136. Soccin.conſ.111.in fine lib.1*.quem refert *Card.Tuſc.tom.5.lit. O. concl. 59. num.51. Honded. conſ.92.num.38.lib.1. & conſ. 60.num.11.lib.2.& conſ.35 num.44.eodem lib.2*, vbi *nu.* 45. ampliat etiamſi obſeruantia ſit cõtra verum intellectum pri-
53 uilegij,quæ ideo dicitur optima priuilegiorum interpres *Ioſeph.Ludou.d.concl.38. in 13.illat.Roman.conſ. 89. circa fin. verſ.vltimo, & conſ.271.n.3.Menoch.conſ.390..16.Vincent. de Franch.deciſ.56.num.6.par.1.Honded.conſ. 1.nu 36.lib.2.*
54 Nec eſt credendũ Iulium III.voluiſſe Apoſt.Sedi,& S.Rotæ cauſarũ Portugaliæ cognitionem verbis hoc non importantibus in perpetuum tollere, arg.*cap.ſuper eo 55 de offic deleg.Grammat.conſ.2. num.11.Gonzal. ad reg. 8.Cancel. §. 2. proœm.num.17.* tum quia in generali conceſſione, vel ſermone numquam comprehenditur perſona loquentis, vt læſa cenſeatur *l.ſi mercedẽ 53.§.ſi habitatoribus ff.de action. empti* vbi *gloſ. verbo habitatio,Rota deciſ.241.num.5.cum ſeqq par. 1.diuerſ.*immo ſemper intelligitur excepta,*c.fin.de offic. deleg.*
55 *lib.6. Mandoſ.reg.11.Cancel.q.fin.* & in quibuſcunque conceſſionibus ſemper Principis auctoritas cenſetur præſeruata, *Natt.conſ.580 num. 4. verſ.nam prædictis, Menoch.de ſucceſſ. creat.lib.2.§.17.nu.88.cum ſeq.Surd.conſ.152.num 16.*
56 Nec denique obſtat quod Iudex executor, qui vigore litterarum declatoriarum Auditoris Cameræ denuntiauerat excommunicatum eundem Balthaſarem, illi abſolutionem impartitus eſt ſub prætextu huiuſmodi nullitatum, itaut vigore talis abſolutionis idem Balthaſar, acſi non eſſet excommunicatus,admiſſus iam ſit ad Chorũ,& ad Officia diuina,ac

ad distributiones quotidianas participandas, quia respondetur illum sic absoluendo nulliter & absque iurisdictione processisse, cum certum sit executori non licere super validitate sententiæ, cuius executioni additus est, pronuntiare *l. si vt proponis, l. executorem C. de execut. rei iudic. l. si prætor 75. ff. de iudic. Bart. in l. à Diuo Pio in princ. num. 4. Alex. nu. 9. & Ias. nu. 12. de re iudic. Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 38. Surd. cons. 405. nu. 15. Cou. practic. c. 16. nu. 5.* & in puncto quòd executor ab Auditore Cameræ in partibus deputatus non possit declarare nullas esse censuras ab eodem Auditore Cameræ promulgatas resoluit *Rot. in d.* Elboren. *fructuum 17. Nouembris 1629. corã R. P. D. Queipo*, & quod ob id huiusmodi executor absolutionem impartiri non possit, statuit expressè fel. mem. *Paulus V.* in dictis facultatibus eidem Auditori Cameræ concessis §. 21. in hæc verba. *Et quod à te, vel Locumtenentibus & alijs prædictis pro tempore excommunicati, seu aliàs censurati ab alijs quam à te, vel Locumtenentibus, & alijs tuis huiusmodi etiam de partium consensu, præterquam in mortis articulo constitutum, absolui non possunt, ad euitandas collusiones, statuere &c.*

Non iniucundum Lectori fore existimo si Breue Iulij III recensitum hic ad verbum apposuero, cuius tenor sequẽs est.

IVLIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei.

AD perpetuam rei memoriam, Romanum decet Pontificem prouidere ne quod in bonorum fauorem indultum extitit, ijs, qui Christianæ Religionis decorem suis flagitijs deturpare non verentur delinquendi licentiam in delictis patrocinium cum impunitate subministret. Hinc Christianissimus in Christo filius noster Ioannes Portugalliæ & Algarbiorum Rex Illustris nobis nuper exponi fecit quod cum nonnulli clerici tam in minoribus quàm in sacris Ordinibus constituti, & beneficiati, ac alij tam seculares, quàm Regulares personæ Portugalliæ & Algarbiorum Regnorum, ac aliorũ dominiorum ipsius Ioannis Regis præsertim facinorosi & diuersis criminibus obum-

obumbrati magis ne liberius in suis delictis insordescant, et suorum delictorum impunitatem diutius consequantur, suosque aduersarios molestare valeant, cum primum sibi alicuius delicti seu criminis conscij existunt, aut ex quauis occasione se in causam talem trahi posse præsentiunt, suorum Ordinariorum, ac Iudicum & Officialium eorumdem Regnorũ et dominiorum iurisdictionem declinant, ipsiusque Ordinarijs, Iudicibus, & officialibus per diuersas cõmissiones, litteras, et rescripta à Nobis & Sede Apostolica, aut illius Nuncijs & Legatis per eos obtẽta vel potius extorta sub certis grauaminibus in illis expressis, censuris & pœnis inhibere ac commissiones, litteras, & rescripta huiusmodi Iudicibus extraneis extra Regna & dominia prædicta comorantibus delictorum & criminum causas ac delinquentium eorundem demerita ignorantibus, & vtplurimum eorum aduersarijs suspectis ad quos aduersarij ipsi pro beneficio iustitiæ consequendo se commode conferre non audent neque possunt, idque si possint, vel audeant, ab eo tamen ob nimios labores & expensas in persecutione causarum huiusmodi præsertim in partibus alienis subeundos & faciendas causantibus & non minus longe periculosisque itineribus & viarum discriminibus reuocantur committi procurant, quo fit vt locorum Ordinarij, alijque Iudices prædicti, eorumque Officiales, Promotores & procuratores fiscales, clericos, & laicos etiam enormibus delictis & homicidijs notatos, prout illis incumbit, & Iustitiæ debitum requirit, inquirere, coercere & punire ac ij, quorum interest, illos accusare & in causam trahere non possunt, vnde clerici, & laici præfati in suis malitijs insordescentes suorum delictorum impunitatem vel absolutionem facile consequuntur & ad delinquendum longe procliuiores fiunt, ac à suorum aduersariorum petitione indebitè liberantur, in non modicum Christi fidelium scandalum, & Iustitiæ perturbationem, ac status Ecclesiastici depressionem, atq; non ad mala impune agenda, sed ad Iustitiæ adminiculum cõcedi debent litter. Apostolic. nõ in abusum. Quare idem Ioannes Rex zelo Iustitiæ accensus cupiens omnibus Iustitiã æqua lance ministrare, ac sceleratos quõscũq; debitis pœnis mulctare, probos vero ab in-

iurijs

iurijs releuari per dilectum filium Alphonsum de Alencastre eius cōsobrinū, & Praeceptorē Maiorē Militiae Iesu Christi Cisterciensis Ordinis, & pro eo ad Nos, & Sedem Apostolicam Oratorē supplicare fecit vt in praemissis opportune prouidere de benignitate Apostol. dignaremur. Nos igitur, qui omnibus praesertim Regia dignitate fulgētibus, et Iustitiae debitū exobptātibus personis fauorabiles esse debemus, huiusmodi supplicationibus inclinati quod de caetero perpetuis futuris tēporibus nulli clerici tā in minoribus quàm Sacris, & Presbyteratus Ordinibus cōstituti seu beneficiati tā seculares quam quorumuis Ordinum Regulares personae, et laici super criminibus & delictis per eos in Regnis et dominijs Ioannis Regis huiusmodi hactenus et pro tēpore quomodolibet perpatratis, aut rebus ad eos pertinētibus, vel alia quauis occasione litteras etiam in forma Breuis, aut rescripta à Nobis, & Romanis Pontificibus pro tēpore existentibus ad alios quā in Regnis et dominijs Ioannis Regis huiusmodi cōmorantes Iudices & personas directa in prima seu alia quacunq; instātia & nūc mota, & indecisa pendēte, & cū praesentiū litterarū speciali & specifica mētione et expressa derogatione ex quauis causa etiam per viā grauaminis, et appellationis impetrare possit. Et si illa quandoq; impetrauerint, ac eisdē extraneis Iudicibus cōmuniter, vel diuisim committi obtenuerint, locorū Ordinarij, eorūq; Officiales, & Promotores, et procuratores fiscalis, ac quomodolibet in causis ipsis interesse habentes, ac Iudices & quaecunq; aliae personae Regnorum & dominiorū Ioannis Regis huiusmodi eisdē cōmissionibus, & rescriptis, ac in eis appositis clausulis, necnō earum vigore seu praetextu emanātibus inhibitionibus, citationibus, decretis, mandatis, censuris, poenis, et sententijs exinde subsecutis (nisi commissiones, & rescripta huiusmodi super supplicationibus manu nostra propria vel Romani Pontificis pro tēpore existentis & cum clausula Motus proprij signatis, expedita fuerint) obedire, vel acquiescere minime teneantur, nec ad id obligati existant, quinimò praedicti Ordinarij, Officiales, Promotores, procuratores, Iudices Regnorum & dominiorum Ioannis Regis huiusmodi, cōmissionibus, & rescriptis ac exinde subsecutis citationibus, inhibitionibus, decre-

tis

tis, mandatis, cenſuris, & alijs executionibus prædictis non obſtantibus contra clericos, & laicos, ac alias perſonas huiuſmodi ſuper criminibus, & delictis per eos perpatratis, ac bonis & rebus contra eos quomodolibet motis inquirere, et per inquiſitionē aut ex mero officio, ac aliàs iuxta formam Iuris procedere, & punire, ac carceribus mancipare, cauſaſque & lites ipſas audire, cognoſcere, & decidere, inſontes abſoluere, aliaq; in illis neceſſaria & opportuna facere exequi libere et licite valeant in omnibus & per omnia, acſi litteræ, & cōmiſſiones, & reſcripta huiuſmodi nullatenus emanaſſent, aut illis nominatim, & expreſsè directa fuiſſent auctoritate Apoſtol. tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia ſtatuimus, et ordinamus, ac omnes & ſingulas tā criminalium quàm ciuilium, ac etiam mixtarū cauſarum huiuſmodi cōmiſſiones, & reſcripta, ac aliàs et gratiæ, litteras Apoſtolicas contra præſentium tenorem à Nobis & Sede Apoſtolica pro tēpore emanata, nec non citationes, proceſſus, executiones, & ſententias exinde ſubſecutas, ac exeōmunicationes, et alias cenſuras, & pœnas promulgatas ſequeſtraq; & interdicta quomodolibet appoſita nullius roboris, vel momenti fore, & eſſe, ac eoſdem Ordinariorum Officiales, procuratores, et alios Iudices, atq; quomodolibet intereſſe habentes citationibus, inhibitionibus, decretis, ſententijs, mandatis, et alijs executionibus per eoſdem Iudices extraneos, vt præfertur, pro tēpore factis obedire, differre, vel acquieſcere nullatenus debere, ipſaſque præſentes ex quauis cauſa de ſubreptionis vel obreptionis vitio ſeu noſtræ intentionis defectu notari, vel impugnari nullatenus poſſe, ac ſub quibuſuis, & illarum totum tenorem inſerentibus reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs eis in toto, vel in parte derogantibus etiam à Nobis, ſeu Rom. Pontifice pro tēpore exiſtente ſeu dicta Sede, vel illius Legatis quomodolibet pro tempore emanatis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis per huiuſmodi exceptas, & quoties emanabunt toties in priſtinum & validū ſtatū reſtitutas, repoſitas, et plenarie reintegratas eſſe & cenſeri ipſiſque præſentibus nullatenus derogari poſſe, ſicque per quoſcunq; quauis auctoritate fulgentes Iudices, et Commiſſarios & cauſarum Palatij Auditores, ſublata eis & eorum

cuili-

cuilibet quauis aliter iudicandi & interpetrandi facultate, & auctoritate iudicari, interpetrari, & decidi debere, & si secus super his à quoq; quauis auctoritate scienter vel ignoranter cōtigerit attentari, irritum & inanne decernimus, non obstantibus præmissis & Apostol. ac in Prouincialibus, ac synodalibus Concilijs editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, necnon statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, cōfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis, priuilegijs quoq; indultis, ac litteris Apostolicis & Conseruatorijs quibusuis vniuersitatibus Ecclesijs, monasterijs, locis, Militijs, & Ordinibus, eorumque Superioribus, & personis à quibusuis alijs sub quibuscunque tenoribus, & formis ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam irritantibus & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, & approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi eis caueatur expresse quod illis nullatenus, aut nōnisi sub certis formaet modo in eis expresso derogari possit illorum veriores tenores, acsi de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresse derogamus cæterisque contrarijs quibuscunque, & quia difficile foret easdem præsentes litteras ad singula quoque loca, in quibus expediens fuerit deferri, volumus eadem et auctoritate Apostolica decernimus quod illarum transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Eccles. munitis eadem prorsus fides in iuditio, et extra vbilibet adhibeatur, quę eisdē præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscators die 21. Iulij 1554. Pontificatus nostri Anno Quinto.

S V M M A R I V M.

1 *Consensus causalis tanquam pars gratiæ, & propter quem Papa facilius mouetur ad reseruandam pensionem, debet probari.*
2 *Consensus causalis probari debet etiamsi Papa inferius derogauerit regulæ de præstando consensu.*
3 *Derogatio regulæ de consensu intelligitur de formali, si ante fuit facta mentio consensus in reseruatione pensionis.*
4 *Consentire reseruationi pensionis censetur ille, qui vtitur supplicatione, in qua fit mentio consensus.*
5 *Approbatio contentorum in scriptura inducitur ex illius vsu.*
6 *Ratificatio inducitur ex quo quis vigore actus facti per alium est in possessione.*

CARD. CAVALERIO.

Casalen. Pensionis. Veneris 13. Iunij 1608.



VIT à Sanctissimo D. N. Paulo V. prouisus D Franciscus Surdus de Archidiaconatu Ecclesiæ Casalensis, & in supplicatione fuit reseruata pensio scutorum 30. in fauorem D. Octauij Sannazarij cum clausula quòd Fräcisci titularis ad reseruationem pensionis, & infrascripta omnia expressus accedit assensus, & inferiùs cum derogatione regulę de consensu prræstãdo. Verum quia prouisus negabat se vnquam tali reseruationi consensisse causa in Rota commissa dubitaui an in reseruatione, de qua agitur, esset necessarius consensus, & si sic, an probaretur, &
1 Domini censuerunt constare de consensu sufficienti. Cum enim ab initio talis consensus tãquam causalis videretur fuis-

se necessarius, quia Papa ex eo videbatur fuisse motus saltem facilius ad reseruandam pensionem, vt colligitur ex verbis dictæ clausulæ, propterea tanquam pars gratiæ debebat iustificari, *cap. 2. de rescrip. Cas. de Grassis decis.* 12. *num.* 1. *&* 4. *de probat.* Et licet adesset derogatio regulæ de præstando consensu, tamen illa derogatio intelligebatur de consensu formali; qui præstatur in Cancellaria pro expeditione litterarum,
3 nō autem de consensu casuali ad perfectionem reseruationis *Mohed. decis.* 5. *de renunciat. circa fin. Sarnen. in reg. de impetr. benef. per obitum famil. Card. q.* 11. *num.* 3. & fuit dictum *in vna Cremonen pensionis* 5. *Nouembris* 1578. *coram bonę memoriæ Rubeo.*

De hoc autem consensu sufficienti Domini satis constare dixerunt, quia cum prouisio Francisci & reseruatio pensionis legatur in eadem supplicatione, Franciscus eo ipso quod vsus est dicta supplicatione, & secundum illam expediuit litteras prouisionis Archidiaconatus ad sui fauorem, consensit etiam
4 dictę reseruationi pensionis, talis enim consensus vndecunq; colligi potest *Cassad. decis.* 1. *num.* 3. *de renunc.* & habetur in *d. decis. Cremonen. pensionis.* Recipiens enim scripturam, & multò magis illa vtens censetur omnia in ea contenta approbasse *l. filiusfam.* vbi notatur *ff. d Macedon. Bart. in l. cum tabernam* §. *idem quæsiuit, in fine ff. de pignor. Mathesil. sing.* 22. & talis acceptatio se extendit etiam ad ea, quæ propter aliud prolata fuerunt. *Anch. in Clem.* 1. *in* 5. *not. de iureiur.* & in terminis nostris *Pute. decis.* 100. *lib.* 2. vbi clare dicit quod acceptans beneficium in vim certę supplicationis debet illud acceptare cum omnibus qualitatibus dictæ supplicationis.

Nec dicebant obstare quod supplicatio nō fuerit porrecta ab ipso Francisco, sed ab eius fratre, quia cum hodie obti-
5 neat Archidiaconatum vigore dictæ supplicationis censetur ratificasse illius impetrationem *Capuraq. decis.* 193. *par.* 1. & sic cum omnibus qualitatibus, vt in *d. decis. Putei* 100. *in fine & per tot. lib.* 2. Et ita resolutum &c.

Reperitur inter eius impressas decis. 26.

SVMMARIVM.

1 *Casus decisionis proponitur.*
2 *Iustificatio regulariter præcedere debet.*
3 *Consensus resignatarij probatur eo ipso quod litteras expediuit, & gratia vsus est.*
4 *In gratiosis non est meræ facultatis partem acceptare, et partem impugnare.*

R. P. D. PIROVANO

Elboren. Pensionis Mercurij 19. Nouembris 1614.



1 MICHAEL de Lacerda possidens Canonicatum, & dimidiam præbendam in Ecclesia Elboren. vtrumque renuntiauit Gaspari de Britto reseruata pensione ducatorum 300. & litteris expeditis, sed ante assecutionem dicti Canonicatus Brittus decessit, & Bernardus Fonseca de eodem beneficio Apostolica auctoritate fuit prouisus, cum narratiua pensionis ducatorum 300. ad fauorem Michaelis illam annuatim percipientis, qui Bernardus continuata possessione dicti Canonicatus per octo annos & vltra illum resignauit ad fauorem Francisci Gundisaluez, & contra eum instante Michaele fuit lata sententia per Vicarium Elboren. pro solutione decursorum dictæ pensionis, & causa per viam appellationis introducta in hoc sacro Tribunali, & cum clausula sine retardatione solutionis pensionis arbitrio Rotę, dubitaui an intraret arbitrium pro Francisco ad eum effectum, & Domini censuerunt quoad Bernardum, & pro tempore, quo ipse possedit, non intrare arbitrium

reseruando particulariter videre quid esset determinatum quoad Franciscum.

2 Dicebāt enim quod etsi in remouendo arbitrio & retardatione principaliter animaduertendum sit an litteræ sint iustificatæ, cum iustificatio regulariter præcedere debeat *Paris. de resignat. lib. 6 quæst. 2. num. 65. Rot. decis. 221. num. 3. par. 3. diuers. & in causa Cæsaraugustana pensionis 20. Decembris 1591. coram bo. me. Card. Pamphilio*, idem si sint conditionales, vel præstitus non sit consensus, vel de quasi possessione exigendi non doceatur, vt bene distinguitur *in Salamantina pensionis 26. Iunij 1614. coram Domino nostro Decano*.

3 Tamen cum in præsenti Bernardus fuerit prouisus cum narratiua pensionis 300. ducatorū ad fauorē Michaelis annuatim percipientis, satis visum est constare de consensu Bernardi eo ipso, quòd dictas litteras expediuit, & gratia vsus est per octo annos, & vltra quo stetit in possessione beneficij, quia in gra-
4 tiosis non est meræ facultatis partem acceptare, & partem impugnare, diuidendo in hac parte iudicium concedentis *l. nam absurdum ff. de bonis libert. §. si ita stipulatio in fine de operis libert. Surd.* latissime *consil. 107. num. 1. cum seqq.* dicens quod huiusmodi qualitates sunt indiuiduæ ab ipsa concessione, idem affirmauit in *decis. 288. num. 7.* & in his terminis idem censuit Rota *in Casalen. pensionis 13. Iunij 1608. coram R. P. D. Caualerio* admittendo consensum posse ex actibus positiuis colligi ex traditis per *Casad. & alios in decis. prædicta allegatos*.

SVMMARIVM.

1 *Collector Apoſtolicus non eſt Superior ab Auditore Cameræ.*
2 *Obligationis Cameralis vigore proceditur contra abſentem.*
3 *Excommunicatus excommunicatione maiori, & publice denuntiatus priuatur ipſo iure diſtributionum & fructuum perceptione.*
4 *Executor de partibus non poteſt ſuper validitate ſententiæ, cuius executioni additus eſt, pronuntiare.*

R. P. D. QVEIPO

Elboren. Fructuum Lunæ 17. Nouembris 1629.

1 VM Hieronymus de Gouuea Canonicus Elboren. propter debita Romæ contracta ſub obligatione Camerali ab Auditore Cam. excommunicaretur, & per affixionẽ cedulonum declaratus fuiſſet, & à Capitulo Elboren. ab ingreſſu Eccleſiæ, & à perceptione fructuum, & diſtributionum excluderetur, ad Collectorem Apoſtolicum Regni Luſitaniæ recurſum habuit, qui Auditori ſuo cauſam commiſit, & ab eo dictus Hieronymus ſententiam fauorabilem reportauit, nempe condemnantem dictum Capitulum ad reſtitutionem prædictarum diſtributionum, & fructuum, vt latius in dicta ſententia continetur, à qua ſententia dictum Capitulum Elboren. appellauit, & mihi commiſſa cauſa, propoſui dubium, an præfata ſententia Auditoris eſſet confirmanda, & Domini negatiuè reſponderunt, tum propter eius nullitatem ex defectu iuriſdictionis, quia Col-

Collector Apostolicus non est superior ab Auditore Cameræ, tum propter eius iniustitiam, nam de legitima excommuni-
2 catione dicti Hieronymi apparet ex stylo Curiæ quoties virtute obligationis Cameralis proceditur contra absentem, de quo testatur *Sallust. Tiber. lib. 1. cap. 11. & Rot. in Romana seu Bracharen. pecuniaria 2. Decembris 1594. coram Orano,*
3 *apud Zach. de oblig. Camer. decis. 115. num. 7.* excommunicatus autem excommunicatione maiori, & publicè denunciatus priuatur ipso iure distributionum & fructuum perceptione *cap. pastoralis §. verum, de appellat. & ibi Abb. Imol. Dec.* & reliqui Doctores, *Cou. lib. 3. var. c. 12. num. 8. Paris. de resign. benef. lib. 4. quæst. 3. num. 52. Gutier. canon. quæst. lib. 1. cap. 1. ex num. 90. Monet. de distribut. q. 15. num. 18. Garz. de benefic. par. 7. cap. 13. num. 90. Pute. decis. 180. lib. 1.*

4 Neque obstat quod executor ab Auditore Cameræ in partibus deputatus declarauerit censuras ab eodem Auditore Cameræ promulgatas esse nullas, quia in hoc huiusmodi executor nulliter processit, cum executori non liceat super validitate sententię, cuius executioni additus est, pronuntiare *l. sicut proponis l. executorem C. de execut. rei iud. l. si prætor 75. ff. de iudic. Bart. in l. à Diuo Pio in princ. num. 4. Alex. num. 9. Ias. num. 12. ff. de iudic. Felin. in cap. pastoralis §. quia vero num. 16. de offic. deleg. Menoch. de arbit. lib. 1. quæst. 38. Surd. cons. 405. num. 15. Cou. pract. c. 16. num. 5.*

Et ita resolutum, &c.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus priuatur fructibus, nec ipsos facit suos.*
2 *Executor de partibus non potest nisi censuras ab Auditore Cameræ emanatas publicari facere.*

R.P.D. GHISILERIO

Elboren. Participationis fructuum, & distributionum. Ven.14. Martij 1631.

1 NFORMANTE tãtum Capitulo Elboren. DD. confirmarunt sententiam Rotalem, qua fuit reuocata sententia Auditoris Collectoris Apostolici Regni Lusitaniæ: siquidem de illius validitate non dubitatur, cum interuenerint requisita ad hunc effectum, & Iustitia bene probatur attenta nullitate ex defectu Iurisdictionis supradicti Auditoris, & iniustitia, cum condemnauerit Capitulum ad restitutionem fructuum, & distributionum perceptarum. Licet Hieronymus ęre alieno grauatus ab Auditore Cameræ ad instantiam suorum creditorum declaratus fuisset excommunicatus, cum excommunicatus priuetur fructibus, nec ipsos faciat suos *c. pastoralis §. verum de appellat. Felin. in c. Apostolicæ de except. Put. decis. 273. lib. 1. in correct. Rot. in antiq. decis. 5. 8. 9. & 12. de sent. excommunic.*

2 Nec pretextu quòd fuerit nulliter excommunicatus, potuit lucrari distributiones, quia cum executori fuerit tantum commissum purum factum publicationis censurarum, non potuit declarare Hieronymum non incurrisse in censuras, vel ex quo non fuerit in Curia personaliter citatus ante relaxa-

tionem

tionem mandati, vel ex quo non fuerit seruata forma solita in illis intimandis, quia de legitima excommunicatione apparet ex styloCuriç, cum censurç emanassent ab Auditore Camerç, executor de partibus non potuit nisi eas publicari facere, & quæ præter istud attentauit fuerunt nulla *ad tex. in l. si vt proponis, & in l. penultima C. de executione rei iud. Bart. in l. à Diuo Pio num. 10. vers. quandoque post latam sententiam ff. de re iud. Doct. in c. de cætero, vbi Abb. & Felin. eod. tit.* cum essent partes Iudicis delegantis *cap. si delegatus in fin. de officic. delegat. in 6. Franch. in c. dilecti il 3. num. 30. de appellat.*

Et ita resolutum &c.

INDEX RERVM, ET VERBORVM OMNIVM,

Quæ in hoc Tractatu continentur.

A.

B.

Bona

ctus

Iuris

Depo-

Hære-

M.

ra

non

Q.

R.

tentes


VASA

vir-

Finis Indicis Rerum, & Verborum.



INDEX DOCTORVM, QVI IN HOC OPERE CITANTVR.



A



chiepiscopus Hispalen. scripsit in I. sentent. Obijt anno 1359.

Alphonsus Viualdus Hispanus scripsit Candelabrũ aureum.

Aluarus Valascus natione Lusitanus patria Vlyssiponensis Senator Regius, scripsit de Iure emphyteutico Tomum vnum, consultationum Tomos duos, & tractatum de partitionibus.

Ambrosius Catharinus patria Senensis Ordinis Prędicatorum, Archiepiscopus Compsæ, scripsit in quinque priora capita Genesis, & in epistolas D. Pauli, & in epistolas Canonicas. Obijt anno 1552.

Anastasius Germonius Sabaudus Archiepiscopus Tarantasiensis, scripsit de Sacrorum immunit. Paratitlam in Ius Canonicum, & libros duos animaduersionum, & de Indultis Cardinalium, ac alia opera.

Andręas Barbatia Siculus floruit anno 1460. scripsit in Decretales, & de Cardinalium præstantia, ac varia consilia.

Antonius de Butrio Bononiensis scripsit in Decretales, in Clementinas, & consilia.

S. Antoninus patria Florentinus Ordinis Prædicatorum, ac postea Archiepisc. Florentiæ. Scripsit Summam historialẽ in tres partes diuisam, & Summam Theologicam in quatuor partes distinctã, & librũ de eruditione Confessorum.

Antonius Fernandez de Moura Lusitanus, patria Bracharen. scripsit Examen Theologiæ moralis, seu medullam omnium casuum Consciẽtię.

Antonius Gama natione Lusitanus, patria Vlyssiponen. Palatij Senator Regius, scripsit Tomum vnum decisionum.

Antonius Naldus Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum scripsit Summã casuum Conscientiæ. Viuit Romæ ætate prouectus.

Antonius Ricciulus Episcopus Bellicastren. & Vicesgerens Card. Vicarij, scripsit tractatum de Iure personarum extra gremium, Ecclesię existentium. Viuit Romæ.

Ascanius Tamburinus de Marradio Vallumbrosanæ nostrę Congregationis Monachus, in Magni Etrurię Ducis Curia procurator generalis, scripsit de

psit de Iure Abbatum, & Prælatorum Episcopis inferiorum tom. I. & II. tertius non dum lucem aspexit.

Augustinus Triumphus, patria Anconitanus, & ideo de Ancona nuncupatus, professione Religiosus S. Augustini. Scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiæ, & commentarium in Canticum Beatæ Virginis. Obijt anno 1328.

Augustinus Barbosa natione Lusitanus, patria Vimaranēsis scripsit ad hanc vsq; diem *Dictionarium Lusitanicolatinum*. Bracharæ 1611.

Remissiones Doctorum in S. Concilium Tridentinum. Vlyssipone 1618.

De officio, & potestate Episcopi, par. III. Romæ 1622. deinde Parisijs 1625. demum Lugduni 1629.

Collectanea Doct. in vniuersū Ius Canonicū in Tom. IV. diuisa, Romæ 1630.

Formularium Episcopale. Lugduni 1630.

De Axiomatibus Iuris vsu frequētioribus. Lug. 1630

De Appellatiua verborum vtriusq; Iuris signif. Lugduni 1630.

De locis communibus argumentorū Iuris. Lug. 1630.

De clausulis. Lugd. 1630.

De Dictionibus. Lug. 1630.

Iuris Ecclesiastici vniuersi libros tres, videlicet *de personis, de locis, & de rebus Ecclesiasticis*, non dum tamen lucem aspexere.

Viuit Romæ ætatis XL.

B

BALDVS de Vbaldis natione Italus patria Perusinus, Bartholi quondam auditor. Scripsit præterea, quæ ad Ius Ciuile pertinent, Commentaria in libros Decretalium. Obijt anno Domini 1420.

Baptista Platina patria Cremonensis vixit tēpore Sixti IV. scripsit librum de vitis Pontificum à S. Petro vsque ad Paulum II.

Bartholomæus Gauantus Ord. Clericorum Theatinorū scripsit super Rubricas Missalis, & Breuiarij. viuit Romæ.

Basilius Pontius de Leon Augustinianus Hispanus scripsit de impedimentis Matrimonij, & de Sacramento Matrimonij.

Blasius Viegas natione Lusitanus

nus patria Elborensis è Societate Iesu. Scripsit commentarios exegeticos in Apocalypsim Ioannis Apostoli. Obijt 22. Augusti 1598

C

CAROLVS de Grassis Siculus scripsit docte tract. de effectibus clericalibus.

Cosmus Magalanus natione Lusitanus, patria Bracharen. è Societ. Iesu. scripsit cõmentarios in Epistolas Pauli ad Timotheum, & ad Titum.

D

DIDACVS Couarruuias à Leyua natione Hispanus, patria Toletanus, Episcopus Segobiensis. Scripsit

In Tit. de testamentis interpretationem.

De successionibus ab intestato.

In tit. de sponsalibus.

In cap. quamuis pactum, de pactis lib. 6.

In cap. alma mater, de sent. excom lib. 6.

In Clem. si furiosus, de homicid.

In reg. peccatum, de regul. Iuris lib 6.

Veterum collationem numismatum.

Dominicus Sotus natione Hispanus, patria Segobiẽsis Ordinis Prędicatorum, scripsit inter alia opera de ratione tegendi, & detegendi secretum libros tres, de Iustitia & Iure libros decem.

Dominicus Iacobatius Romanus Rotæ Auditor, & postea Cardinalis, scripsit de Concilijs.

Durandus à S. Portiano natione Gallus Ordinis Prædicatorum, & Episcopus Meldensis, scripsit in quatuor libros magistri sententiarum commentaria.

E

EMMANVEL Barbosa natione Lusitanus, patria Vimaranẽsis aduocatus Regius, parens Augustini, & Simonis, gentilis Petri de Barbosis huius tempestatis scriptorum, Remissiones Doctorũ in Ordinat. Regiam Lusitan. duobus Tomis diuisas in lucem edidit. Obijt nonagenarius doctissimus vir Vimaranis 17. Aprilis 1630.

Emma-

Emmanuel Sa natione Lusitanus, patria Interamnensis in oppido villa de Cōde nūcupato natus, è Societate Iesu scripsit Aphorismos caluum Cōscientiæ, scholia breuia in quatuor Euangelia, & notationes in totam Scripturam sacram. Obijt Arronæ Mediolanensis diœcesis die 30. Decembris 1596.

Emmanuel Rodericus natione Lusitanus, patria Mōtis maioris noui Elboren. Diœcesis Religiosus Sancti Francisci de Obseruantia prouinciæ S. Iacobi, scripsit summam casuum Conscientiæ in quatuor tomos diuisam, & in Bullam Cruciatæ, & quæstionum Regularium Tomos tres, & alium in quo continentur collectiones priuilegiorum Regularium.

F

FRANCISCVS de Caldas Pereira natione Lusitanus, patria Bracharensis Senator Regius, & in celebri Conimbricensi Academia professor insignis, scripsit in l. si curatorē C. de in integ. restit. min. & de nominatione & extinctione emphyteusis, ac de potestate eligendi, & de emptione & vendit. Obijt Bracharæ.

Frāciscus Longus à Coriolano Capuccinus scripsit tractatū de casibus reseruatis iuxta regulam è Clemente Octauo Regularibus pręscriptā, item summam chronologicam, & aliam summā Theologicam S. Bonauenturæ. Obijt Romæ 1625.

Franciscus Ferrariensis Ordinis Prædicatorum Prior Generalis, scripsit egregia commentaria in summam S. Thomæ contra gentes. Obijt anno 1528.

Franciscus Petrarcha patria Florentinus Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patauinus, scripsit plura opera, quæ quatuor Tomis continentur. Obijt anno 1374.

Franciscus Soares natione Hispanus, patria Granatensis è Societate Iesu, philosophicas scientias publicè docuit, Theologicas Pinciæ, Romę, Compluti, Salmanticæ, & Conimbricæ, scripsit

In Metaphys. Arist. Tom. II.

Opusculorum Tom. I.

Commentariorum, ac disputat. in

tat in 3.p. S.Thomæ tom. I. & II.

Comentar.&c. Tom. III. de Sacramentis.

Comment.&c. Tom. IIII. de Pœnitentia.

Comment. &c. Tom. V. de censuris.

De Religione Tom. IV.

De Gratia Tom. I.

Obijt Vlyssipone 1618.

Franciscus Toletus S.R.E. Cardinalis natione Hispanus, patria Cordubensis è Societate Iesu. Scripsit inter alia summam casuum Conscientiæ. Obijt Romæ 14. Septembris 1596.

Franciscus Turrianus natione Hispanus patria Legionẽsis è Societate Iesu, scripsit de Summi Pont. supra Conciliũ auctoritate, de votis monasticis, cælibatu, de matrimonijs clandestinis. Obijt Romæ die 21. Nouembris 1584.

Frãciscus Victoria natione Hispanus Ordinis Prædicatorũ, scripsit de potestate Ecclesiæ, de potestate ciuili, de potestate Concilij, de Indis, & de Matrimonio. Obijt anno 1546.

Franciscus Zabarella patria Patauinus Archiepiscopus Florentiæ, & Cardinalis creatus à Ioanne XXIII. Obijt anno 1417.

G

GABRIEL Pereira & Castro natione Lusitanus, patria Bracharẽsis filius D. Frãcisci de Caldas Pereira, Senator Regius, scripsit decisionum Tom. I. & de Manu Regia Tom. II. Viuit Vlyssipone.

Gabriel Vasquez natione Hispanus, patria Belmontanus, è Societate Iesu, scripsit de cultu adorationis lib. III. Commentariorum in 1. par. S.Thom. Tom. II. Cõment. in 1.2. S.Tho. Tom. I. Opuscula moralia, & alia. Obijt 23. Septembris 1604.

Gregorius de Valentia natione Hispanus, patria Methymnẽsis è Societate Iesu, scripsit plura valdè erudita, & præcipuè in S. Thomam, Obijt Neapolis die 25. Aprilis anno 1603.

Guido Grossus patria Narbonensis, qui postea fuit Clemens Papa IV. dum in minoribus scripsit plurima ad

Ius

lus Ciuile pertinentia, scripsit etiam in 1. & 2. Decretalium. Obijt anno 1268.
Gulielmus Durādus dictus Speculator, natione Vasco, Episcopus Mimatensis, scripsit speculum in tria volumina distinctum, & rationale diuinorū officiorum libris octo, & repertorium Iuris, & commentaria in Canones Concilij Lugdunensis.

H

HENRICVS Enriquez natione Lusitanus patria Portugalensis è Societate Iesu scripsit summā Theologię moralis Tom. III.
Henricus Gandauensis natione Belga Archidiaconus Tornacensis scripsit egregium opus Quodliberorum, item de Virginitate, & Pœnitentia. Obijt anno 1293.
Hieronymus Gonzales natione Hispanus ex oppido de Arnedo Diœcesis Calaguritanæ scripsit dilucidū ac perutile glosemma ad reg. 8. Cancellariæ, Obijt Romæ.
Hugo de S. Victore natione Saxo, professione Monachus, dignitate Abbas Sancti Victoris, scripsit plura tribus Tomis.

I

IACOBVS Menochius natione Milanēsis scripsit plura, de interdictis videlicet, de arbitrarijs, de pręsumptionibus, & cōsiliorum Tom. XII.
Ioannes Aloysius Riccius patria Neapolitanus Episcopus Viquiaquensis, scripsit collectan. decisionū par. VII. praxim rerū Ecclesiast. Tom. II. decisionum Tom. IV. & praxim probādi Iuspatronatus. Viuit in suo Episcopatu.
Ioannes Azorius natione Hispanus, patria Murcianus ex oppido Lorca Societatis Iesū scripsit institutionū moralium Tomos III. Obijt Romę 19. Februarij 1603.
Ioānes Capreolus Tholosanus Ordinis Prædicatorum, scripsit cōmentaria in quatuor libros Magistri sententiarū.
Ioānes Calderinus Bononiensis filius adoptiuus Ioannis Andreæ, scripsit in libros Decretalium, item consilia, & decisiones.
Ioannes Maldonatus natione Hispanus, patria Bæticus ex oppi-

oppido, quod vulgò vocatur Fuente del Maestro, è Societate Iesu, scripsit summam casuum Conscientiæ, Commentarios in Prophetas maiores, & in Hieremiam, Ezechielem, & Danielem, Obijt Romæ anno 1583.

Ioannes de Imola scripsit super tres libros Decretalium, super Sextum, & Clementinas. Obijt anno 1436.

Ioannes Duns Scotus natione Anglus Ordinis Minorum, scripsit plura. Obijt tandem anno 1308.

Ioannes de Turrecremata natione Hispanus Ordinis Prædicatorum, S.R.E. Cardinalis, scripsit summam de Ecclesia, commentaria in Decretum Gratiani, & in aliqua Euangelia, & alia. Obijt Romæ anno 1468.

Ioannes Frãciscus Ferentillius natione Italus, patria Interamnensis in Romana Curia Aduocatus, magnæ expectationis vir, & qui de se multa & grauia in dies pollicetur, decisiones Sacræ Rotæ coram bonæ memoriæ Buratto, argumentis, summarijs, & suis doctissimis annotationibus locupletatas imprimi curauit. Viuit Romæ ętatis suæ anno XL.

Ioannes Maior natione Scotus scripsit in quatuor libros sententiarum, item commentarium in Mathæum.

Ioannes Tabiena natione Ligur Ordinis Prædicatorum scripsit summã casuum Conscientiæ, quæ Tabiena dicitur.

Iulianus Viuianus patria Pisanus Episcopus Salonen. scripsit praxim Iurispatronatus, Viuit Velletri.

L

LEONARDVS Lessius natione Belga, patria Brechtanus in Brabantia è Societate Iesu scripsit de Iustitia & Iure, cæterisque virtutibus Cardinalibus libros quatuor eruditos.

Lucas Castellinus Ordinis Prædicatorũ Episcopus Cathacensis scripsit de electione, & canonizatione Sanctorum Viuit in suo Episcopatu.

Ludouicus Mòlina natione Hispanus, patria Conchensis è Societate Iesu, scripsit in 1. par. S. Thomæ, & de concordia,

M

MARTINVS Aspilcuelta Nauarrus, multa scripsit, quæ sex Tomis continentur Venetijs apud Iuntas 1618. Obijt anno 1586.

Martinus Bonacina vtriusque Signaturæ Referendarius à S.D.N. in Episcopum Vtiçen nouissimè promotus, vir sane doctus scripsit
De Sacramentis
De Censuris.
De Matrimonio.
De Horis Canonicis.
De Legibus, Restitutione, & Contractibus.
De Præceptis Ecclesiasticis.
De Simonia, cum alijs tractatibus.
In Bullam Cœnæ Domini.
De Sacrosancta Christi Incarnatione.
Viuit Romæ, ętatis L.

Melchior Lotterius Romanus, in Curia aduocatus, vir sane doctus, scripsit de re Beneficiaria Tom. I. in prælo iam est secundus. Viuit Romę ætatis LVIII.

Martinus Delrius natione Belga patria Antuepian. è Societate Iesu scripsit inter alia disquisitionū Magicarū. tom. III.

N

NICOLAVS Garcia natione Hispanus Ecclesię Abulensis Canonicus, scripsit tractatum de Beneficiis omnibus numeris absolutum.

P

PAVLVS Comitolus natione Italus, Patria Perusinus è Societate Iesu scripsit Tractatum Apologeticum pro monitorio Sedis Apostolicę ad Venetos. Item Confutationem libelli septem Theologorum Venetorum aduersus interdictum Apostolicum. Item septem libros responsorum moralium.

Petrus Alagona natione Siculus, è Societate Iesu, scripsit compendium Iuris Canonici, Manualis Nauarri, & operum S. Thomæ. Obijt Romæ.

Petrus Canisius natione Belga patria Neuiomagensis, è Societate Iesu scripsit Catechismum siue summa doctrinæ Christianæ & alia. Obijt Friburgij apud Hel-

uetios 21. Decembris 1597.

Petrus Barbosa natione Lusitanus ex Diœcesi Bracharen. Senator Regius, & Cancellarius Maximus, scripsit super titulos ff. soluto matrim. & de iudic. Tom. III. & denuo de præscriptionibus. Obijt doctissimus vir Madritij dum ibi esset ex supremo Regis consilio.

R

ROBERTVS Bellarminus S. R. E. Card. Italus patria Politianus Marcelli II. Pont. Max. sororis Cynthiæ Ceruinæ filius, è Societate Iesu, scripsit de controuersijs Christianæ Fidei aduersus sui temporis hæreticos, & alia opera miræ eruditionis. Obijt Romæ anno 1622.

Rodericus à Cunha natione Lusitanus patria Vlyssiponensis, fuit olim Portalegrensis, deinde Portucallensis Episcopus, nunc est Archiepiscopus, ac dominus Bracharæ, Hispaniarumquè primas, scripsit eruditè de Confessarijs sollicitantibus mulieres in Confessione, & commentarios in primam partem Decreti Gratiani. Viuit in suo Archiepiscopatu.

S.

SEBASTIANVS Barradas natione Lusitanus patria Vlyssiponensis è Societate Iesu scripsit in historiam, & concordiam Euangelicam præclaros commentarios, Obijt Conimbricæ 1610.

Sebastianus Cesar natione Lusitanus patria Vlyssiponensis, scripsit eruditam relectionem de Ecclesiastica Hierarchia. Viuit Vlyssipone.

Simon Vas Barbosa natione Lusitanus patria Vimaranensis Emmanuelis filius, & Augustini de Barbosis frater, Canonicus in insigni Ecclesia Vimaranensi, scripsit principia, & loca communia vtriusque Iuris. Viuit Vimaranis.

Stephanus de Auila natione Hispanus patria Abulensis è Societate Iesu, scripsit de Censuris Ecclesiasticis.

Stephanus Gratianus, patria Romanus scripsit Disceptationum forensium Tom. V.

Obijt

Obijt Romę anno 1625.
Stephanus Quaranta patria Neapolitanus ſcripſit Summam Bullarij.
Syluester Prieras nationis Pedemontanus Ordinis Prædicatorum Magiſter S. Palatij, ac poſtea Magiſter Generalis, ſcripſit Summam caſuum Conſcientiæ, & librum de ſtrigibus.

T

S. THOMAS Aquinas natione Italus, patria Neapolitanus profeſſione Religioſus Ordinis Prædicatorum, ſcripſit plura Tom. XVII. diſtributa. Obijt anno 1244.
Thomas de Vio patria Caietanus Ordinis Prædicatorum, Magiſter generalis, ac poſtea S. R. E. Cardinalis, ſcripſit commentaria in totam Summam S. Thomæ, & in omnem fere Sacram Scripturam. Obijt anno 1534.
Thomas Sanchez natione Hiſpanus patria Cordubenſis è Societate Ieſu ſcripſit erudite de Sacramento matrimonij Tomos tres, & in primum & ſecundum præceptum Decalogi Tom. II.
Thomas Zerola patria Benauentanus Epiſcopus Minorenſis ſcripſit praxim Epiſcopalem, & de Sacramento Pęnitentię.

V

VALERIVS Riginaldus natione Burgundus è Societate Ieſu, ſcripſit praxim fori pœnitentialis.

FINIS.

		Errata	Corrige
Pag. 15	verſ. 28	Sientię	Scientia
pag. 37	verſ. 1	rationabis	rationabilis
pag. 51	verſ. 17	ne	nec
pag. 38	verſ. 27	cauſa , uulla	cauſa nulla
pag. 53	verſ. 30	qui	quæ
pag. 57	verſ. 33	perpetum	perpetuum
pag. 57	verſ. 29	vellum	velum
pag. 58	verſ. 12	exiguatur	exigatur
pag. 60	verſ. 26	poteſtam	poteſtatem
pag. 64	verſ. 31	præcipiendi	percipiendi
pag. 66	verſ. 11	propoſitum	propoſitam
pag. eadē	verſ. 28	colligit	colligitur
pag. 67	verſ. 22	præcipiendi	percipiendi
pag. 68	verſ. 3	ſubſiiſtit	ſubſiſtit
pag. 70	verſ. 5	conternunt	concernunt
pag. 73	verſ. 22	colligit	colligitur
pag. 83	verſ. 26	vnoquoquo	vnoquoque
pag. 84	verſ. 15	pręſentatis	pręſentantis
pag. 87	verſ. 2	iudicant	indicant
pag. ead	verſ. 7	licore	liquore
pag. 91	verſ. 21	Eccleſia	Eccleſiæ
pag. 105	verſ. 4	beneficiorum	beneficiorum
pag. 108	verſ. 31	admitti	admittit
pag. 117	verſ. 4	ſecit	fecit
pag. 119	verſ. 26	paſſumque	paſſuſque
pag. 125	verſ. 33	contempnenti	contemnenti
pag. 128	verſ. 23	velens	volens
pag. 129	verſ. 8	haberer	haberet
pag. 134	verſ. 29	quia	qua
pag. 135	verſ. 19	perere	petere
pag. 151	verſ. 17	defenſione	definitione
pag. 153	verſ. 10	reſtitutiones	reſtitutionis
pag. ead.	verſ. 12	ex diurno	ex diuino
pag. 156	verſ. 24	oppoſitum	oppoſitus
pag. 159	verſ. 4	Eccleſia	Eccleſiæ
pag. 175	verſ. 10	diſſentio	diſſenſio
pag. 180	verſ. 24	Simoniæ	Simoniam
pag. 186	verſ. 8	malet	mallet
pag. 189	verſ. 22	coutineat	contineat
pag. ead.	verſ. 27	tranfertur	transfertur
pag. 199	verſ. 28	conſeratur	conferatur
pag. 209	verſ. 34	pecuniam	pecuniam
pag. 211	verſ. 7	conſerat	conferat
pag. 219	verſ. 8	firmarunt	affirmarunt
pag. ead.	verſ. 8	proluxus	prolixus
pag. 258	verſ. 19	fuerint conceſſis	fueritue conceſſus
pag. 261	verſ. 12	prohibenda	prohibendam
pag. ead.	verſ. 23	compenſatione ſut	compenſationeſuè

pag 263

	Errata	Corrige
pag. 261 vers. 12	sine voluntate	sola voluntate
pag. 272 vers. 11	profus	profusus
pag. 277 vers. 4	actiuum	actuum
pag. 286 vers. 12	tantum	tantam
pag. 291 vers. 18	eonsignationem	consignationem
pag. 303 vers. 25	spirituali	spiritualis
pag. 304 vers. 2	pensionis	pensione
pag. 306 vers. 23	sine	siuè
pag. 313 vers. 3	loquitu	loquitur
pag. 328 vers. 6	ediiis	editis

REGE-

REGESTVM

†ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt.


abcdefg.

Omnes sunt Duerniones, præter † Ternio.



ROMÆ, Typis Francisci Corbelletti. MDCXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.



005647008

